


Eng



Ge. Zeglius.

MONUMENTA

UNGRICA.

EDIDIT

JOH. CHRISTIANUS ENGEL.

VIENNAE

SUMTIBUS ANTONII DOLL BIBLIOPOLAE.

MDCCCIX.

Praefatio.

Quum omnes cultae gentes historia patriae suae pragmatica gaudeant: nos quoque Hungari eo adnitamur, opportet, ut historiam Hungariae et regnorum adnexorum condamus et majoribus nostris dignam, et ad leges historiae exactam, et usibus nostris aptam.

Maximum ad scopum hunc tendentibus impedimentum objicit copia monumentorum historiae nostrae hucdum ineditorum, et in manuscriptis delitescentium, per varias bibliothecas et collectiones archivales dispersorum. Saepe manuscripta haec nec inspici quidem possunt, aut ob ignorantiam possessorum suorum, aut ob inanem formidinem, nescio quorum detrimentorum, quae ex communicatione et publicatione illorum enasci possent, aut ob vanitatem et gloriolam, metumque, ne sic dictae raritates communicatione hujusmodi pretium amittant, aut denique ob socordiam et invidiam custodum suorum. a) Si

a) Ad confundendos, si adhuc erubescere possent, Harpagones hosce placet transscribere verba cel. eruditi

Hiersemann 17 July 1929

vero inspectio et usus concedatur etiam historicis nostratibus: descriptio et collatio manuscriptorum magno taedio, sumtuumque et temporis dispendio procuranda est, ita, ut mechanico hoc labore eruditi nostri ab elaboratione ipsius historiae abstrahantur. Largiamur porro, unum aliudve manuscriptum copia facta plurium manibus tractari, non tamen ad omnium notitiam pervenit, quorum interest. Ea namque veritatis historicae basis praecipua statuitur, ut monumentum historicum, quo narratio nititur, in textu originali ab omnibus legi, examinari, et commentariis illustrari possit.

Galli G. *Peignot* (Dictionnaire raisonné de Bibliologie. Paris. 1802 8. T. I. pag. 53.) „*Bibliotaphe.* Ce nom, composé de deux mots grecs, signifie enterreur de livres. Il convient à ces bibliomanes, ou bibliophiles, qui n' achetent des livres, que pour les enfouir et empêcher les autres d' en profiter; ils sont aux livres, ce que les avares sont á l' argent; il est impossible, de jetter un coup d' oeil sur leur trésor, sans les alarmer. Malheureusement les bibliotaphes ne sont, que trop communs; ils font le plus grand tort aux hommes studieux, qui sont privés des ressources, qu' ils trouveroient chez ces Harpagons literaires. On a comparé ces derniers au chien, qui empêche le cheval de manger l' orge, qu'il ne peut manger lui-même... Ils sont *la peste* des lettres selon l'expression d' un savant. Les bibliotaphes sont rares en France.“ Utinam postremum hoc de patria nostra dici posset! Verum novi et ego plurimos hujusmodi bibliotaphos Hungaros et Austriacos, quos, nisi resipuerint, alia occasione publice nominaturus sum.

Omnes itaque cultae nationes impressis scriptorum suorum collectionibus quam plenissimis gloriantur. Illustres et ubique cum laude nominati viri: *Muratorius*, *Leibnitius*, *Bouquetius*, *Freherus*, *Rymerus* et alii curam hujusmodi collectionum gentis suae amore ducti suscepere: viamque stravere serioribus eruditis, qui pragmatica historia nationis ex fontibus his jam apertis hausta famam suam ad posteros transmisere, et practicae juventutis ad negotia publica tractanda institutioni multum profuere.

Habuit et nostra patria *Bongarsium* et *Schwandtnerum* extraneos, in edendis tamen scriptoribus suis diligentes. Habuit eadem suum *Belium*: sed adparatus ejus non ultra primum tomum progressus est. Adamus Franc. *Kollárius* magnam praeparabat collectionem, ast ante ejus editionem fatis abreptus, nonnisi singulos quosdam scriptores luce donavit. Habuit, habetque aetas nostra suum *Kovachichium* et *Ederum*: sed vix stadium ingressi substitere, et vereor, ne prorsus desistant. Singulos quidem scriptores, singulaque monumenta multi laudabiliter edidere, ast hac ratione tardius ad scopum pervenitur.

Nec loci hujus, nec mearum partium est, inquirere, quid subsit, quod scriptorum nostrorum editoribus pede fausto progredi haud licuerit? Conatuum horum honestas, utilitas, necessitas exigit a nobis, ut si plenam et vastam scriptorum nostrorum collectionem adornare nequeamus, saltem hoc vel aliud monumentum hi-

storicum vetustate et tenebris obductum luci publicae exponamus. Dum holocaustum non possumus, libationem genio patriae offeramus.

M o n u m e n t a U n g r i c a,

a me edenda non tantum sic dictos scriptores, sed etiam acta publica, diplomata, diaria, carmina argumenti historici etc. complectentur, eaque sive latino, sive hungarico, sive germanico idiomate concinnata. Praecipua mea cura manuscriptis ineditis impensa esto, ast non excludo monumenta impressa quidem, rarissima tamen et paucis obvia. Ad monumenta Ungrica pertinent etiam illa, quae historiam regnorum S. Regni Coronae adhaerentium illustrant.

Curabo, ut monumenta haec ex originalibus vel apographis fide dignis accurate descripta, textu quoque, plurium codicum collatione instituta, ad fidem originalis exacto, absque scribae vel typographi (quantum per humanam sortem licet) a) mendis typis exscribantur. A notis, excursibus et commentariis abstinebo, cum hodiernae rei librariae et literariae difficultates spatium textui originali necessarium diminui ve-

a) Addere lubet: quantum per typographiarum conditionem licet. Rari sunt in iisdem typothetae literarum latinarum gnari, rarissimi correctores apti. Inde magna literatis quidpiam edere volentibus oboritur difficultas, et improbus labor. Hinc excusatum me haberi oro, quod non obstante omni vigilantia errores typi a me in fine libri exacte adnotati irrepserint.

tent. Singuli tamen scriptoris et monumenti edendi adjicietur notitia critica, biographica et bibliographica.

Praesens tomus horum monumentorum exhibet sequentia.

1-mo *Fragmentum chronici Hungarorum rithmici tempore Lodovici I. regis conscripti.* Autor anonymus, sacerdos tamen, ut videtur, Germanus, a) capellae regis Ludovici I. addictus, caeterum, ut ipse fatetur, juvenis, chronicon Simonis Kezae versibus leoninis, iisque satis rudibus reddidit. Cum tamen exemplar Kezae, quo versifex hic usus est, complura anecdota continere debuerit, quae in aliis hodie obviis Kezae exemplaribus haud reperiuntur; Chronicon hocce confert ad historiae Hungaricae vetustioris plenitudinem, et ad editionem Kezae criticam, in collatione plurium codicum fundandam, votis historicorum nostrorum pridem expetitam. Id maxime dolendum, chronicon hoc nonnisi ad tempora usque Salomonis regis pertingere.

2do. *Emerici Bubek, Judicis curiae regiae regestrum de Thuroch anno 1391 expeditum;* id est: Extractus omnium literalium instrumentorum per nobiles Comitatus Thurotz ex speciali Regis, Praelatorumque et Baronum jussu, coram dicto Judice curiae regiae super juribus possessionariis et libertatibus suis productorum —

a) Evincunt hoc phrases similes ut egr. itineris ad reysam.

Monumentum ad historiam non tantum dicti comitatus, sed et totius regni, ad illustrandam rem diplomaticam patriae nostrae plurimum faciens, a compluribus patriae eruditis commemoratum, sed nuspiam hactenus editum.

Juvat ea inserere, quae de hoc monumento cel. Dnus. Mart. *Schwartnerus* disserit in Introd. in artem diplomaticam Budae 1802.

„Insigne hoc est antiquitatis Hungaricae documentum, cujus similia frustra alibi quaesiveris. Legi ego illud in protographo, dum mense Novembri 1798 Pestini auctoritate Tabulae, quae, quod regis nomine jus dicat, *regia* nuncupatur, transumtum est. Materia illius pergamena est, forma libelli, quam in quarto dicimus. Foliis utrinque inscriptis, filoque e pergamena consutis, decem constat; scriptura in eodem sola monastica est, seu neogothica, abbreviaturarum vero maximus numerus, sigillo de filo serico pendente, Emerici Bebek (textus Bubek habet) communitum est, et demta postrema pagina, in qua pleraque omnia epilogi verba obliterata sunt, integrum et sic satis bene conservatum est. Causam et occasionem edendi istius instrumenti in textu allegavi. *Regestri* nomen in epilogo accepit; titulus in fronte (registrum de Thuroch) serius, ut videtur, inscriptus est. Pertinuit diploma hoc porro inter chartas sic dictas pariculas, cum ex epilogo exemplum illius (par registri praesentis) in domo tauarnicali fuisse depositum cum certitudine possit erui. Distinctum est, si prologum et epilogum demas, septuaginta

membris (paragraphis). Horum cuique argumentum breve praemissum est, membrumque quodvis novus versus orditur. Praeter comitatus Thurocziensis familias nobiles, etiam Arvensium nobilium jura et titulos respicit; comitatum Arvensem enim illo tempore districtum (hodie processum dicimus) Thurocziensis fuisse, vel ex hoc instrumento manifestum est. Recensentur in illo CLXVII. literae *verae*, ut ibi appellantur, justaeque, falsarum nulla in specie facta est mentio. Omnium antiquissimum, quod ibidem, in transsumto attamen duntaxat capituli Strigoniensis, commemoratur diploma Andreae II. regis est *de anno gratiae* 1230; praeter quod alia adhuc duo ejusdem regis annorum 1233 et 1235 adnotavi. Regem Belam IV. numero XXXI. auctorem prae se ferunt; unicum Stephanum V. 1271 (*non Stephanum* II. 1171 ut BELIUS in Cottu Thurocz. retulit) — XII. Ladislaus Cumanus elargitus est; VI. Caroli Rob. regis sunt; XXIV. Ludovico tribuuntur, a conventu Thurocziensi L. profecta sunt. Sigismundi regis perpauca, et Judicum curiae regiae, cet. praetereo. Plerisque omnibus istis regum literis, libertatis a jugo servitutis, ordinisque equestris et agrorum inest collatio. Falluntur vero vehementer, qui vulgari traditione decepti, Belam IV. post cladem a Tartaris acceptam in angustias comitatus Thurocziensis compulsum, hic ultimae plebis homines, vel pro tantillo beneficio ab iisdem accepto, equestri axiomate donavisse credunt. Neque enim rex, Austriam in

fuga petens, longius inter Thurocziensis substitit, neque privilegium in registro quodpiam reperii, quod fatali illo universae Hungariae anno datum esset. Sed neque universae Belae IV. literae, Thurocziensibus tunc concessae, nobilitares sunt, in quibus largiendis Belam IV. saltem ante annum 1241 difficilem fuisse, aliunde (KOLLAR *Amoenit. Hist. Jur. publ. Regni Hung.* P. II. p. 182. 83.) meminimus. Habuit adhaec Thuroczium jam et ante haec tempora, ab origine inde regni, equestres suas familias, quas non Bela IV. primum tales creavisse putandus est. — Id tandem adhuc de registro hoc vel maxime memorabili quaeri posset: nihilne Bebekius censor literarum, quae ibidem non ex asse, sed summatim tantum exhibentur, in nonnullis comprobandis humani passus est? — Utinam aliquis rerum patriarum studiosus, antiquitatisque hungaricae amans et peritus, in lucem publicam protraheret incomparabile illud monumentum perpetuo commentario illustratum. Fieret id sane magno rei diplomaticae et genealogicae, historiaeque et juris commodo."

Denique circa regestrum hocce adnotandum adhuc habeo, transsumti ejusdem a Tabula regia judiciaria expediti ac a cel. Schwartnero memorati authenticam copiam asservari in bibliotheca regnicolari Széchényiana. Rogatus a me diligentissimus et ad humanitatis officia promtissimus bibliothecarius regnicolaris hujus Bibliothecae, D. Jac. Ferd. de *Miller* eandem copiam cum impresso meo (ex manuscripto Andreae Czeman-

ka) exemplari contulit, et variantes quasdam lectiones annotavit, quas lectori post typi errata exhibeo, ut monumentum hoc omni, qua licebat, cura diplomatica editum esse intelligat.

3to. *Stephani Taurini Olomucensis Stavromachia*, scripta anno 1519. Elegantissimum hoc praepositi eccl. Albensis in Transsilvania, Stephani Taurini, opus poeticum, quo historia memorabilis belli servilis in patria nostra an. 1514 grassantis carmine heroico, eoque ad regulas artis exacto et lectu jucundissimo enarratur, Viennae apud Singrenium impressum est quidem; ast exemplaria impressa adeo rara sunt, ut plerique eruditi patriae nullam hujus praestantis operis habeant notitiam, et bibliotheca ipsa regnicolaris Széchényiana hucdum impresso hujusmodi exemplari careat.

Stephani *Taurini*, germanice Stieröchsel a) (non recte enim a nonnullis, et inter hos a Paulo *Valaszkyo* in novissima conspectus reip. lit. in Hung. editione Budae 1808 8. adornata Taurunus adpellatur) biographiam texendam relinquo scriptoribus rei literariae Moravicae, et inter hos inprimis cel. Petro *Cerronio* Gubernii Caes. Moravici Secretario, in re literaria patriae suae versatissimo. b) Praeter data biographica in

---

a) Ita nomen hoc in exemplari bibliothecae Windhageniana coaeva manu scriptum invenit cel. *Denisius* Buchdruckergesch. Wiens 1782 4. P. 1. pag. 331.

b) Adparavit ille pro typo 5 Voll. 4. sub titulo: Nachrichten von den verstorbenen und jetzt lebenden Schriftstellern Mährens.

epistola Stauromachiae praefixa et in Abcdario annexo contenta, quae et studia ab eodem absoluta, et gesta munera enumerant, et fidedignitatem ejusdem qua testis coaetanei et oculati adstruunt, ex epistola cel. Viri Petri *Cerronii* ad me data comperii, Stephanum Taurinum in diplomate quodam sublati monasterii Praemonstratensium Obrowiczensis anno 1515 exarato testem, et quidem qua canonicum ecclesiae collegiatae ad S. Petrum Brunnensis, ac Liegniczensis adscribi, amicumque ejusdem Wenceslaum de Wilharticz fuisse aeque Olomucii natum, circa annum 1513, canonicum non tantum Cathedralis Olomucensis sed etiam ejusdem ecclesiae collegiatae Brunnensis, inde a 18. Sept. 1514 autem praepositum capituli Olomucensis. a) — Habuit Taurinus noster plures alios amicos paribus et ingenii et mentis studiis sibi conjunctissimos, ac eruditione conspicuos, et inter hos Joachimum Vadianum, Helvetam, Viennae degentem, qui ad Rudolphum Agricolam juniorem Rhetum, Strigonii apud Cardinalem Thomam Bakáts (is enim probe intellexit, eruditorum protectione gloriam parari sempiternam) degentem m. Nov. anni 1514 haec scripsit: b)

„Stephanum Taurinum jurisconsultum, virum optimum et doctissimum, si adhuc Istrograni apud Cardinalem degit, meo nomine impense saluta, utque aliquid ad me literarum det,

---

a) V. de illo *Ursini Velii* bellum Pannon. p. 142.

b) *Denis* c. l. pag. 122.

hortare. Ex eo enim tempore, quo Roma reversus Viennae apud me, collimitiumque et tum convivii nostri Symposiarcham Jacobum Spiegel, juris consultum et secretarium caesareum una se amica jucunditate oblectavit, quid agat, aut qua fortuna sua stet conditione? nec fama, nec literis intelligere potui."

Alter eruditus Johannes *Borgbier* Nissenus (Silesita) Mathematicus aeque Istrograni degens, in libro suo de eclypsibus anni 1516 Taurinum adpellat necessitudinarium et coaulicum, Ictum et philosophum non usque quaque contemnendum, hominum, qui vivunt, omnium festivissimum et facetissimum. a)

Cel. *Pray* in indice librorum rariorum bibliothecae R. Univ. Hung. b) haec de Taurino commemorat: Notationes, c) quas ad operis calcem adjungit, perquam utiles sunt, tum quod multa illic de rebus domesticis parum alias cognita refert, tum quod inscriptiones Romanas in Transsilvania et vicinis plagis repertas, quae ob fugientes literas vix jam legi queunt, aut non ex-

a) Ibid. pag. 320.

b) T. II. 1781 8. p. 386.

c) Intelligit scilicet Abcdarium ab authore libro suo adjectum. Idem hoc Abcdarium deerat in exemplari manco bibliothecae Caes. Vindob. Palatinae. Non destiti tamen, donec completum exemplar Stauromachiae et quidem in bibliotheca Acad. Caes. R. equestris Theresianae reperissem, ex quo annuente humanissimo bibliothecario S. Caes. R. Majestati a consiliis Domino de *Sartori* Abcdarium exscribere et in appendice edere licuit.

stant amplius, conservaverit. a) Eadem apud hunc, sed paulo aliis adjunctis vestita narratio de fonte S. Crucis occurrit, quae apud Cuspinianum, ut ad hunc articulum commemoravi. b) Reliqua fata Taurini nostri, prout et annus diesque obitus ejus non constant. Delineatio supplicii Georgii Székely juxta iconem originalis satis fideliter ligno incisa est.

4to. *Fragmentum libri rationarii super erogationibus aulae regis Hungariae Ludovici II.* anno 1526. Monumentum hocce a cel. Prayo et aliis saepe citatum, nuspiam tamen editum, confert plurimum ad historiam regni et aulae Hung. annique patriae nostrae feralis 1526.

Rationes hasce concinnasse videtur Ladislaus Macedonius, episcopus Syrmiensis, in comitiis anno 1526. post diem S. Georgii celebratis aerario regis et regni praefectus, c) adjunctis eidem rei monetariae procuratoribus Nicolao Gerendio et Francisco Dotzio. d)

5to.

---

a) Stephanus *Zamosius* in analectis lapidum fama se accepisse memorat, Taurinum de lapidibus Dacicis scripsisse: ast haec male ita interpretatur Hanerus in script. rerum Hung. et Trans. Viennae 1777 8. p. 109 ac si Taurinus libellum singularem de lapidibus Dacicis in Austria emisisset.

b) Est fabula de fonte S. Crucis prope portam Trajani, quotiescunque aliquis rex Hung. moritur, vel periculum subire cogitur, in cruorem verso.

c) *Istvánfii* lib. VIII. ed. Colon. 1685 fol. p. 79 seq.

d) Vide Art. diaetae 1526 de Thesaurarii officio et de re monetaria conditos 3. 4. 5. 6. 7. 34. 36.

5to. *Casparis Bojthini Pannonii de rebus gestis Gabrielis Bethlen* librorum duodecim inchoatorum *libri tres*, ex publicis regnorum Hungariae et Transsilvaniae actis, variis procerum epistolis et fide dignis relationibus rerumque eventibus eruti, anno domini 1624. Scriptorem hunc in collectionem meam inserere constitui, tum ideo, ut pateat, me Transsilvaniae quoque, aliorumque regnorum ad S. Coronam pertinentium rationem in instituto meo habiturum; tum ideo, quod princeps Gabriel Bethlen non tantum in historia patriae nostrae, sed et in historia totius Europae insignem obtineat locum, et laudatus ab his, culpatus ab illis, magnam ubique nominis famam consecutus sit, adeoque biographica haec de illo narratio non tantum nostratibus, sed et aliarum gentium historicis utilis et necessaria videatur: tum denique ideo, quod *Bojthinus* ipse et stylo, et actorum publicorum usu, et reliquis narrationis historicae virtutibus inter recentiores rerum patriarum scriptores non postremum sibi vindicet locum. Ex XII. libris, quos Bojthinus conscripsit, nonnisi tres quidem superesse videntur; sunt tamen, qui sperant, plures adhuc inveniri posse. Offero interim tres illos, qui haberi poterant, quique educationem principis, applicationem ad publica servitia sub Sigismundo Báthori, Andrea Báthori, Moyse Székely, Stephano Botskai et Gabriele Báthori (quorum quidem Transsilvaniae principum acta enarrantur)

* *

res denique ab eodem qua principe usque ad a. 1614 gestas complectuntur.

De Bojthino seu Caspare Bojti plura apud scriptores historiae nostrae literariae frustra quaeres, quam quae cel. Jos. *Benkö* in Transsilvania sua publico communicavit. a) Haec autem ille:

„*Casp. Bojti*, quem juvenem princeps Gabr. Bethlen circa annum 1617 sumtibus suis Heidelbergae aluit, scholae Maros - Vásárhelyiensi rector praefectus est: postea vero capitulo Albensi eum princeps Bethlenius admovit, Historicumque suum, et secretum aliquoties legatum in Germaniam constituit. Bojtius 1mo actiones funebres sepulturae Susannae Károlyi principissae sacras latine recitatas, quas inter nostri quoque, qua rectoris M. Vásárhelyiensis geminae reperiuntur orationes, collegit, digessit et edidit anno 1624. 4. 2do Casparis Bojthini Pannonii de rebus gestis M. Gabrielis Bethlen libri. Illustris bibliotheca collegii Enyediensis tres tantum; Ill. (nunc Excell.) D. Comes Sam. Teleki vero quatuor priores horum librorum possidet; b) reliqui aut latent, aut perierunt.“ —

a) Tomo II. p. 384 Viennae 1778 8. *Horányius* in Mem. Hung. art. Bojti Jos. Benkö, quin eum citasset, exscripsit. Prohdolor *notitia literaturae domesticae* apud nos inter studia neglectissima referenda est. Obviam ivisset huic malo amicus meus pie defunctus Godofr. *Kéler*: sed operi prope consummato immortuus est. Libri et manuscripta ejus devenere ad manus fratris ejus Illmi Dom. Sigismundi de *Kéler*.

b) In veritatem asserti hujus apud E. D. Cancellarium Trans. Aul. Com. Sam. *Teleki* (p. tit.) indagare

Bojthinum astrologicis et chronologicis quibusdam praejudiciis laborasse, porro Domini sui virtutes et successus nimiopere extollere, errores tacere, non mirabimur, si aetatem, qua vixit, conditionem viri, et gradum, quem cultura literarum tunc in Europa assecuta fuit, geniumque seculi XVII. ineuntis, recentibus diversitate religionum inflictis mutuis vulneribus contaminati, consideraverimus. Hoc sensu etiam levius accipiendae et mitius interpretandae sunt quaedam erga Augustam Domum Austriacam obtrectationes, quae tamen huic amplius necquidquam nocent, et quaedam duriores locutiones in religionem catholicam prolatae. Haec et similia, dum in veteribus monumentis recurrunt, non eo pertinent, ut eadem sequamur et imitemur, sed potius monent nos, ut similia aevi nostri luce, et debita erga Augustam Domum gratitudine et fidelitate indigna vitemus, et fugiamus. Propter hanc aliamve hujusmodi phrasim autem monumenta vetera perpetuo sepelire vel mutilare velle, cultos viros dedecet.

Denique id adhuc adjicio, me Bojthinum tribus Codd. inter se collatis et variantibus notatis omni cura, et ut spero, genuine edidisse.

Subintellexi, quosdam titulo monumentorum *Ungricorum* offendi: dicunt enim, usu magistro scribi debere: Hungaricorum. His re-

haud defui; verum prohdolor! erronee hoc a Cl. Benkö adstrui intellexi; quartum enim Bojthini librum Excell. idem Comes non possidet.

spondeo: Magyaros Slavis adpellari *Ugros*, et inde efformari Ugriam, aut addito euphonistico n. *Ungriam*, quae in veteribus etiam chronicis et monumentis sic scribitur. Ast quidam medii aevi scriptores potissimum versifices, prolongandi voces studio ducti, *Hungariam* efformarunt, ut scilicet canere possint:

Felix ergo Hungaria
Cui dona data sunt varia.

Itaque usum hunc, dum in titulo, qui brevis esse debet, serviliter haud sequor, utor in ea re decenti, quae eruditis in similibus negari haud potest, sentiendi scribendique libertate: alios autem, ut porro quoque Hungarica et non Ungrica scribant, non impedio.

Si favor publici zelum editoris adjuverit, quantum per humanae vitae vices licet, certo promittere possum, me plures adhuc monumentorum similium tomos editurum. Natio, quae sensum suum characteremque nationalem constanter tuetur, monumenta vetera nationalia, scriptoresque rerum suarum aestimare solet. Spero itaque, illos omnes meis conatibus fauturos, qui solidis studiis mentem excoluerunt, et Hungaricam indolem non exuerunt. Odi profanum vulgus, etiamsi illustri stirpe natum, quod ludicris tantum rebus delectatur, et arceo.

Viennae 8. Febr. 1809.

Nomina Praenumerantium. *)

Serenissimus R. Princeps Archidux Carolus Regni Hung. Primas.

D. E. C. Sam. Teleki de Szék Cancellarius Trans. Aulicus Viennae.

D. E. Comes Franc. Széchényi de Sárvári Felsö Vidék, Cubiculariorum R. Hung. Mag. Viennae.

D. E. Comes Ant. Apponyi Praeses Commissionis Aulicae in re *navigatorio - canalistica* Viennae.

D. Jos. Szegedi de Eadem, *Consil. Aul.* Viennae.

D. Paulus Kiszel de Benedekfalva Ag. Aul. Viennae.

D. Bartsch Viennae.

D. Jahn Viennae.

D. Andr. Filtsch Viennae.

D. Prof. Vitkoczy Magno - Varadini.

D. Andr. Fazekas ord. fiscalis Distr. Jazygum et Cuman. Jaszberenyii.

D. Petr. Zaborsky in Nagy - Tarcso.

D. Petr. Kubinyi, Assessor compl. Comit. in Nustya.

---

*) Quorum scilicet nomina usque ad finitam libri impressionem innotuerunt. Ex compluribus enim locis nulla adhuc relatio appulit. Titulos ob compendium typi plenos haud adposuimus,

D. Math. Holko, Senior et V. D. Minister in Rimabanya.
Bibliotheca regiae Universitatis Pestini.
D. Jos. Barthos, Praefectus Episcopalis in Mako.
D. Thom. Bedekovich Secretar. Camerae R. Hung. Aul. Budensis.
D. Joan. Martinka, Advocat. Bajae.
D. Ludov. Baloghi, Assessor Comit. Neograd. in Perczel.
D. Steph. Horváth, Actuar. suae Exc. Praesidis Univ. Regiae Jos. Uerményi.
D. Prof. Trenka Pestini.
D. Steph. Rakovsky Pestini.
D. Ant. Bauer de Kápolna.
Collegium Reformatorum Saros - Patakini.
D. Alex. Kövy, Prof. jur. hung. in Coll. Sáros - Patak.
D. Gabr. Palatitz, Assessor Comit. Zabolchiensis.
D. Sigism. Bernáth de Bernátfalva, Auditor jur. hung. Sáros - Patakini.
D. Joseph. Eggenberger, Bibliopola Pestini 12 Expl.
D. Franc. Nob. Landerer, Bibliopola Cassoviae 10 Expl.
D. Andr. Kralovanszky, Rector et Prof. Gymn. evang. Soproniensis.
D. Merefs, Plenipotentiarius Comitissae de Battyán in Schlaning seu Szalonak.
D. Georgius Telentsits, Dioeces. Sabar. Presbyter saecular.
D. Wolfg. Cserey de Nagy - Ajta, S. C. R. A. M. Camer.
D. Comes Jos. Defseöffy de Csernek et Tarko.
D. Jos. Ganczaugh, Com. Sárofs. Tabulae jud. Assessor.
D. Samuel Hellner, Advocatus.
D. Jos. Jekelfalussy de Eadem, S. C. R. M. A. Camer.
D. Thom. Kalnássy de Ead. Com. Sáros. Asess.
D. Paul. Matulay, Advoc.
D. Sam. Pulszky de Cselfalva, Com. Sáross. Tabulae jud. Assess.
D. Ladisl. Pulszky, ill. Coll. distr. Eperies. Civis.
D. Steph. Roskoványi de Ead. S. C. R. A. M. Consiliar.
D. Thom. Szirmay de Rákocz, Com. Zempl. ord. Jud.

D. Andr. Szulyowsky de Karom et Szulyo, Com. Sáross. Vice-Jud. Nob.
D. Car. Tahy de Tab-Váár, Com. Sáros. Tab. Ass. et una ejusd. Com. ord. Jud.
D. Casp. Tahy de Tah-Váár, Com. Sáros. Assess.
D. Joan. Tapler, Advoc.
D. Sam. Ujházy de Budamér, compl. Com. Assess.
D. Luc. Jos. Marienburg, Rector et Prof. Coronae.
Bibliotheca scholastica Coronensis.
D. Mich. Thibólth Director bonorum E. D. C. Széchényi Sopronii.
D. Franc. Thibólth Exactor ejusdem.
D. Franc. Pap Plenipotentiarius ejusdem.
D. Steph. Sándor Viennae.
D. Greg. Berzeviczy de Eadem in Kakas-Lomnitz, J. Cottus Scep. Tab. jud. Assessor.
D. Prof. Adorian Kesmarkini.
D. Prof. Joannes Genersich ibid.
D. V. D. M. Christ. Genersich ibid.
D. Balth. Luby ibid.
D. Emer. Pongrátz de Sz. Miklós et Óvár, Assessor Com. Liptov.
D. Paulus Tersztyanszky Advoc.
Bibliotheca Collegii Reformatorum Debreczinensis.
D. Franc. Kováts, Archidiaconus et Parochus Kálloiensis.
D. Joh. Paul Parochus Ecclesiae Ruthenicae in Kállo.
D. Franc. Henni Auri campsor et homo regius Abrudbanyae.
D. Franc. Vizkeleti Assessor Com. Hunyad.
D. Jos. Mihåltz de Ead. et Gelentze Parochus oppidi Tövis.
D. Anton. Biró R. Judicii Montan. Assessor.
D. Franc. Hene Canonicus Ecclesiae Albensis Cathedr.
D. Alex. Balogh — — — — — — Jaurinensis —
D. Jos. Borsodi.
D. C. Anton. Amade.
D. Jos. Domian.
D. Lad. Tuboly.
D. Valentinus Kajcsányi.

D. Josephus Brix, Parochus in Detrekö.
D. Fay in Ömöd.
D. Balko Parochus in Vereskö.
D. Frantz Ord. Cisterc. Religiosus Agriae.
D. Kondę Posonii.
D. Alexius Jordanszky Canon. Colleg. Eccles. Poson.
D. C. Ladislaus Desöffy.
D. Wastl Varasdini.
D. Imel 2 Exempl.
D. Andreas Schwaiger bibliopola Poson. 8 Exempl.
D. Alexander Berzevitzi de Eadem ad Exc. Consil. R. H. Loc. Secr.
D. Petrus Tökölyi.
D. Jos. Rekak.
D. Petrus Benyovsky 2 Exempl.
D. Joh. Szobovits.
D. Mich. Szalai Judex Nobilium.
D. Mraffko.
D. Josephus Dravetzki Dominus in Winna.

Fragmentum Chronici Hungarorum

rithmici

tempore Ludovici I. Regis Hung.

conscripti.

A

Primus sexternus de Cronico Ungarorum et de gestis eorundem. a)

De culmine dignitatis hujus seculi juvenili rationis vomere noster gliscit animus quasdam veritatis historias perarare. Nam si adulti Historiographi Principum gentilium gesta quondam actica descripsere, quanto dignius et differentius de monte Christianitatis Lodevico I-mo Pannoniorum Principe, a fretoque usque adOceanum Domino Historias describemus. Malus enim verus est, in cujus praecordiis velum pendet fidei, quo navis totius Ecclesiae vehitur et liburnus. Hunc ergo solum Naturae genitor terrae et maris regimen posuit et registrum, per quod communis cunctis deprecantibus justitia reperitur. Iste enim est Princeps pacis propagine generosus. Nam Serviae, Bulgariae, Frigiae, Pamphiliae, Craciae, Ramae, Macedoniae, Crabaciae, Dalmaciae, Galliciae, Cumaniae Rex Dominusque Syciliae et Apuliae naturalis. Dic ergo tellus, in talibus dignitatis gra-

a) Ex codice Msto hist. Ecl. Nro. LXXVIII. Bibliothecae Caes. Reg. Vindob. Aulicae. Codex est chartaceus. Chartae solidae inpressum est Drachnis alati signum. Codex iste, in quo plura alia, huc tamen non pertinentia, insunt, possidebatur olim a Martino de Weissenburg, item a Hrbkone, qui eum donavit Communitati Civitatis majoris Pragensis.

dibus secundum genus seculi Monarcham si vidisti. Quem tamen titulus generosi sangvinis celsitudoque interminabilis nunquam melluit Majestatis; Illius igitur praesens pagina, non caussa magnitudinis, nec potentiae, laudibus ancillatur: sed quia hunc ut stateram totius rectitudinis infallibilem rationis oculus in omnibus recognovit.

Rubrica. Prologus cronicae Hungaricalis in rithmo spondaico faciente combinationem ritmicam in termino aequivoco septem syllabarum.

O haeres summi regis
Aequor et astra solum
A labe demit mundum
Enerva labis librum
Me de Hunnorum gestis
Quos caritatis fide
Irretis atque firmas
Katholicaeque vitae
Coeli cum suo rege
Actus praefati ducis
Et sanctitate flores
In mente ejus planta
Producens fructum veris

Tu digne cuncta regis
O Deus per Te solum
Cor in me crea mundum
Et fac dictare librum
Nam laudem horum gestis
Katholicaque fide
Has gentes ergo firmas
Fac edere de vite
Ac in virtute rege
Qui stellas coeli ducis
Tu paradisi flores
Ut sit virtutum planta
Ut virtus germen veris.

Prologus secundus in alio genere rithmico, in quo exprimitur nomen Regis Hunnorum octo syllabarum.

Ad honorem dignitatis
Hungarorum pietatis
Ut me docet elimare
Qui conatur ambulare
Sanguis monet Te avorum
Veri regis Hungarorum
Actus aquilae sigillat
Nam de corde Tuo stillat

Haec Tuae Ludovice Rex
Fons, scribo, rationis lex
In regibus jam solus es.
Per largitatis tramites.
Et Karuli benignitas
Ex cujus corde fluxeras
Ex justa Te sententia
Lex honor & clementia

Prae dulcore semper ridet
Qui convictum dum se videt
Tanquam Judas Machabaeus
Quo terretur omnis reus.
Tuque largitatis Bria
Firmamentum atque via
Famam in Te superavit
Tuens justos sauciavit
Te laudare namque rebar
Transis, parce, cur loquebar

Tuus leonis animus
Virtutibus magnanimus
In armaturis vigilas

Tu strenuus ut Jonathas
Ut Noe pudicitiae
Ut Simeon justitiae
Virtutum nunc judicium
Mucrone legis vitium
Nunctu mensuras hominum
Defectui rex sensuum.

Prologus tertius in alio genere rithmico septem syllabarum, in quo agitur de utroque tempore hoc modo:

O Deus summa Resis
E Corde tuo crescit
Ops nemora crispantur
A roris armaturis
Tu seris violetum
A floribus crinitur
A togulis aestatis
Textoria ver arte!
In vallibus pubescunt
Grex florum cum armento
Haec omnia prosternis
Sic orbis regulatur
A grandinis flagellis
Sopis cum glaciebus
In pectore fulgoris
Tempestas et pruina
Transfigit omne gramen
Disrumpit atque rura
Tunc dies cruciantur
In saxis prae algore
Sic omnia fundasti
Ad nutum voluntatis

Ars omnis et poesis
Per Te et juvenescit
Dum frondes animantur
In humeris telluris.
Mons vallis et rubetum
Rus undique vestitur
Quas texuit in pratis
Flos rosa sine Marte
Sic Deus dum quiescunt
Tunc boreali vento
Secundum quod discernis
Jam humus flagellatur.
Tu undas cum procellis
Tunc sauciatur phoebus
Subsequitur honoris
Nix borealis spina
Aestatis quoque stamen
In nubis sepultura
Avesque lacrymantur
O Deus in stupore
Tu coelos limitasti
Fons ergo pietatis

Cordis mei agellum
Perfunde ut libellum
In specie ritmorum
De ortu Hungarorum
Componam et de gestis
Nobilitatis testis
Hiis Cythia adulta
Nam quaestione multa
Haec patria inventa
Et senio retenta
Adulcior egypto
In aliquali scripto
Si me exhorbitare
Contingat et errare
Hoc tu obtunde lector
Sis limes et corrector
Et stilo pietatis
Pro Tuis scribe natis.

Aliud genus ritmicum septem syllabarum, in quo dicitur de ortu Hunorum.

A freto dum vorago
Edax venit aquarum
Mas omnis ac virago
Genusque belluarum
Ruit usque ad Avum
Quem tenuit in Archa
Pium Noë octavum
Summus coeli Monarcha.
Deinde cum procella
In vallibus subsedit
Egrediens de cella
Ad solum Noë redit
Cum filius e quibus
Venisse referuntur
Septuaginta tribus
Duaeque oriuntur
Ex Sem viginti duae
Decem et septem pones
Ex Japhet sine lue
Cham generationes
Triginta tres produxit
Undarum pro tutela
Babel Nemprot construxit
Ex Japhet parentela
Rex coeli sed derisit
Has operis structuras
Lingvas quoque divisit
Ac gentis genituras.
Post hanc confusionem
Ad Persidem procedit
Relinquens Babilonem
Ibidemque resedit
Nemprot, nomen uxoris
Fuit Onech vocatum
Haeredisque prioris
Est Hunor apellatum
Ab illo descenderunt
Greges Hunorum veri
A Magor sed venerunt
Ut estimo Mageri.
Nemprot avus Hunorum
Me recolo legisse a)
Triginta cubitorum
In longum extitisse
Hi fratres a parente
Meciodam iverunt

a) In margine annotatur (apud) Magistrum Sighardum X.

Ex Allanorum gente, | Puellas rapuerunt
Historia pro certo | Fuisse has sorores
Refert quas in deserto | Vi rapiunt uxores.

Aliud genus ritmicum, in quo dicitur, quomodo Huni de Mecioda venerunt ad Cythiam.

Postquam illi Meciodam | Foetu replebant insulam
Et plene hoc respicerent | Ut agri hiis deficerent
Exploratores mittunt clam | Ad Regionem Cythyam
Quae virtus sit regentium | Et fortitudo gentium
Quo facto multitudine | Huni ac fortitudine
Contendunt mox ad Cythiam | Et expugnarunt patriam
Rectores cives subditos | Et possederunt terminos
Telluris cum Nemoribus | Pratis feris pecoribus
Cum caeteris divitiis | Diversisque deliciis
Vixerunt in hac patria | Turres aulas et atria
Multaque aedificia | Struxerunt in peritia
Ibi ampnes dulcissimi | Don Thogora fortissimi
Qui ex rifeis Montibus | Ruunt et horum fontibus
Illic Barrus, Rinoceri | Griffones et Hippodromi a)
Totumque bestialium | Genus atque brutalium
Illic agri uberrimi | Sed iterum ad tempus hi
Creverunt sic in Cithia | Quod hiis defecit patria
Nam centum octo nobiles | In Hunis jam propagines
Erant et illis tribubus | Non satis fecit opis rus.
Anno Christi millesimo | Octavoque vicesimo
Catervas Huni convocant | Plebis defectus reserant
Actis itaque Consiliis | Cum senibus et filiis
Videruntque militiam | Contendunt mox ad Tyciam
Statutis pridem senibus | Qui terrae et juvenibus
Praeessent in justitia | Et exstirparent vitia
Quos tamen plebis unitas | Et gentium communitas
Ejiceret ad libitum | Si agerent prohibitum.

---

a) In Ms-to: ypodomi

Aliud genus ritmicum metrale habens concorrenciam combinationis in tricesima septima et octava sillaba, in quo dicitur, quomodo Huni venerunt ad Pannoniam.

Grege collecto
Decies mille
Sumunt, per Bessos
Itaque Hunorum
Qualibet a stirpe
Albos et Rutenos
Tyciam tendunt.

Visis rubetis
Omnis propago
Grexque Hunorum
Aquis et tellure
Utriusque sexus
Rebus et jumentis
Stare contendunt.

Plebis rectores
Belaque Kebe
Buda hi septem
Kadischa et Chele
Athila et Kebe
Principes duxerunt
Turmas Hunorum.

Postquam Maternus
Hunos percepit
Misit Romanis
Dux Pannoniorum
Spoliare terras
Vernas et precatur
Opem illorum.

Statim Romani
Regi Gothorum
Ut contra Hunos
Scribunt Theodrico
Dicti de Verona
Dirigat Materno
Ejus juvamen.

Tunc Theodricus
Urbem perrexit
Duci Materno
Ad Potencianam
Coetu Germanorum
Facere conatur
Opitulamen.

Mane Romani
Contra Hunorum
Asturem Huni
Acies disponunt
Horridas catervas
Aquilam Romani
Gestant vexillo.

Fragor hastarum
Ensium ictus
Pulvis obtexit
Aethera disrupit
Resonant in nube
Solem, corruerunt
Marte in illo

Decies mille | Viri et ducenti
Gentis Romanae | Altera sed parte
Viginti quinque | Millia virorum
Centumque cadunt.

Tandem desperat | Feritas Hunorum
Fugit per undas | Titie, Romani
Rege Gotorum | Tulnam ad Germanos
Impetu vadunt.

Huni ad locum | Redeunt conflictus
Dant sepulturae | Funera prostrata
Et Kebe Duci | Erigunt columpnam
Armis praedictis.

Illo peracto | Properant ad Tulnam
Contra Romanos | Acies disponunt
Illos prosternunt | Huncque de Verona
Ensibus strictis.

Hoc quadraginta | Millia conflictu
Ruunt, Romana | Aquila e bello
Volat convicto | Telo a) percusso
Rege Gotorum.

Ita deprensus | Princeps de Verona
Mansit Romanis | Omnibus dispersis
Sed corruerunt | Kadischaque Bela
Duces Hunorum.

Aliud genus ritmicum, in quo dicitur de electione Athilae in Regem et de conditionibus suis.

Post hunc conflictum Athilam | Quem quidem vocant Thotilam
Huni assumunt Regem | Qui se flagellum nominans
Christi potenter dominans | Super Hunorum gregem
In vultu feris visibus | Edax, crudelis nisibus
Barbam ferens prolixam | Robustus longae furiae

a) Ms. habet Tela

Insistensque luxuriae Mentem gestabat fixam
Hic acticus operibus Dativusque muneribus
Plures eo venerunt Ex multis Nationibus
A longis regionibus Eique servierunt.
Aurum argentum tribuit Caballosque distribuit
Suis et peregrinis Thoral vasa et alia
Ex auro erant talia Quorum non erat finis
A Don usque ad Tyciam Fratri subegit patriam
Budae, urbes construxit Gentem innumerabilem
Atque inenarrabilem In armaturis duxit
In scuto ferens asturem Et galea, vexillo quem
Huni per omnem reisam Duxerent uniformiter
Ac incommutabiliter Usque ad ducem Geysam
Hinc proclamata Curia In Zewen ad tuguria
Regis ut feodalis Hic de Verona properans
Et se Hunorum regi dans Factus homagialis
Tunc Athylae hic praebuit Consilia ut debuit
Ire ad orientem Ibi Regna divitias
Haberet per saevitias Et infinitam gentem
Tunc rex ob arrogantiam Per Swewos ad Constantiam
Transivit sine mora Sed ei Gygasmundus Rex
Illius regni ut obex Occurrens in hac hora
Sed virtus ejus aruit Gens totaque disparuit
A facie Hunorum Constantiam sic superans
Ad Argentinam properans Rex Athyla dictorum
Urbani sed resistere Conantur et obsistere
Quos tandem expugnavit Disrumpens muros moenia
Et portas sine venia Strazzburgque appellavit
Ut strata esset gentibus Per hanc ire volentibus
Aperta sine lite Muniri nec a senibus
Permisit nec juvenibus Ad finem suae vitae

Aliud genus rithmicum, in quo dicitur, quomodo Athyla Rex destruxit omnes Civitates Reynenses.

De Strazzburg Renum transiens Terribilis & fortis
In Regia virtute Coloniamquae destruens

Cum cunctis Rheni portis	Triumphans cum salute
Quo facto Catheloniam	Intrans gentem divisit
In tria castra magna	Gentis quoque particulam
Contra Soldanum misit.	Qui fugiens per stagna
Ex civitate Sabile	A facie Hunorum
Marrothiam intravit	Patricii cor stabile
Fit plebis Romanorum	Gentesque adunavit
Regum occidentalium	Decem volens pugnare
Hiis Athila auditis	Gentes precatur talium
Ut dies prorogare	Dignentur hujus litis
Nam sexaginta millia	Quinque horum fuerunt
Quos misit contra Soldanum	Tunc reges per consilia
Precamen respuerunt	Et Populum Romanum
Ad acies disponunt mox	Coetusque ordinatus
Ab Athyla Hunorum	A mane usque venit nox
Credeliter pugnatur.	Sed Virtus Romanorum
Ruit universaliter	Sicque cruoris unda
E mortuis profluxit	Quae texit rus totaliter
Et cursu furibunda	Cadavera deduxit
Ex talibus terroribus	Romana turba fugit
Sed aquila relicta	In sangvinis liquoribus
Verber in nube rugit	Et ensium vindicta
Hunorum sed particula	Soldano destinata
Hispaniam intravit	Mortis timens pericula
Gente ibi prostrata	Nomenque baptizavit
Terra a Span Hispania	Sic genus Hispanorum
A Hunis nominatur	Sic Athyla inmania
Effecit Rex Hunorum	Quo ops flagellabatur.

Aliud genus rithmicum, in quo agitur, quomodo Athyla post praedictum bellum fecit tributarias Regiones multas et destruxit Franciam et Flandriam.

Tunc facta tributaria	Tellure multifaria
Itinera disparia	Quaesivit arrogantiae
Rex Athyla per flumina	Et montium cacumina
Ut permiserunt Numina	Ad urbem venit Franciae

Quae urbs dolosa dicitur Ibi pulchre allicitur
In eoque perficitur Ad civesque pertinuit
Tum ille per jactantiam Mentalemque constantiam
Fere totalem Franciam Vastavit et obtinuit
Atque Urbem Gandensium Virtutemque Flandrensium
In feritate ensium Ut funditus destruxerat
Tunc in obtentum gratiae Perichtam sororem Athylae
Philippus Princeps Franciae Uxorem prece duxerat
Tunc Athyla Hanoniam Destruxit ad Pannoniam
Tendens venit Coloniam Ac gens inenarrabilis
Quo cruciatur Ursula De Britannorum Insula
Nec reputatur Infula Kalixti venerabilis
Hac perpetrata furia Urbis Ysnach Tuguria
Pro celebranda curia Rex Athyla intraverat
Direxit ad Norwegiam Ad Prutos Rutos Frisiam
Et ad Litvanos Daciam Has terras subjugaverat
Deinde ad Hungariam Regressus per Babariam
Quam fecit tributariam Germanumque destisuit
Budam nam urbem consumens Nomenque urbi conferens
Buda, eo Rex saeviens Dimergi hunc constituit
Et Etzelburg denominans Urbem potentur dominans
Tamquam Caesar et imperans Subsedit in divitiis
Quiescens integraliter Annis quinque localiter
Ut Caesar et non aliter Habundans in deliciis.

Aliud genus ritmicum, in quo dicitur de pompa et strenuitate regis Athylae.

Tunc Athyla construxit A Buda per Germaniam
Turres usque Coloniam Ut antequam illuxit
Dies scirent ex toto Si illi essent stabiles
Per flatum et per vigiles Subacti suo voto.
Hinc secus fretum fregit Castra et Urbes Galyas
Spoletum atque alias Cunctas sibi subegit
Destructis his procedit Potenter Aquilegiam
Ad civitatem Regiam Eandemque obsedit

Sed mansit urbs intacta
Sine omni excidio
Quod videns Hungarorum
Cum machinis applicuit
Pugna urbem afflixit
Pullos duxit augurio
Ecce Ybis recessit
Et pullis ne intereat
Tunc quolibet a viro
Fossataque impleverat
Qui crevit sic insignis
Cum quibus murus corruit
Hoc cives dum viderunt,
Jumentis et pecoribus
Maritimam ad amnem
Et veniunt Venetiam
Eneas quam construxerat
Veronam, Brixen, Mantuam
Atque Alexandriam
Et Pergami in ensium
Hinc ad Ravennam tendit
Crudelem et ignobilem
Occiditque Senatum
In ense et exiliis

Per annum cum dimidio
Vi plebis ex compacta
Rex praepotens emicuit
Vires sopivit horum
Tunc Ybis a tugurio
Hoc Athyla praedixit
Cum Civibus ne pereat
Ergo ab urbe cessit
Rex sellam sumi imperat
Succenso rogo diro
Quod quasdam turres torruit
Aestu edacis ignis,
Infantulis uxoribus
Ex urbe fugierunt
Festini vadunt etiam
Ad quandam mediampnem.
Cremonam Aquilegiam
Rex Athyla destruxit
Portas Mediolensium
Furore fecit viam
Per hujus urbis praesulem
Hanc Civitatem prendit
Urbis cum suis filiis
Per praesulem praefatum

Prosa simplex, in qua dicitur de ultima terminacione Praesulis praenotati.

Ravennae Urbis Antistes detestabilis contra Sacrae Romanae Ecclesiae religionem electis Cardinalibus Arrianorum erroribus praesidere in forma Apostolici conabatur. Flagello Christianitatis Athyla summam thesaurorum pepegit infinitam, Romanumque imperium absque suis laboribus subjugare, si Romanum Pontificem cum caeteris sanctae Matris Ecclesiae rectoribus funditus exstirparet. Quo cognito Romani Leonem venerabilem Athylae dirigunt ob timorem. Et se ad vitae suae tempora offerunt censuales. Sed cum Rex ad verticem Leo-

nis Papae Christianissimi respexisset, vidit Angelum, qui ei coetuique suo mortis exitium framea minabatur. Quo viso prodigio perterritus, Romanorum Pontificem absque censualitatis tributo ad patriam relegavit. Crudelissimumque Ravennae Episcopum diversis generibus afficiunt tormentorum. Quousque totam ejus pecuniam extorquebat. Tandem ipsum cum suis cardinalibus iniquissimis, fidibus horridissimis strangulavit. Quo facto Panoniam regia fortitudine est regressus.

Ritmus spondaicus in termino aequivoco faciens combinationem ritmicam septem syllabarum, in quo dicitur de conjugio Regis Athylae, ultimato et morte illius.

Consiliis tunc canis
Regis offertur mentis
Viragine cum bella
Erexitque cor altum
Tandem quod hoc amare
Regis fuit et cassis
Nam cuncta vorat lethum
Nex stravit in hac die
Mortis minantur clavis
Quae justis vitam solvit
Prout requirit sanguis
Intrans mersit sopitum
Corpus sentiret maris
Proclamat, assunt Heri
Videntes et exortum
Et ibi sine metis
Mors falce atque cavas
Cum Bela et his tribus
Olim stravit ac manus a)
Regis Hunorum aret

Virgo candens ut canis
Sed rex insanae mentis
Luxus commissit bella
Concubitus in altum
Causa mortis amarae
Cui non obstat cassis
Regem Hunnorum laetum
Nam ultionis die
Est ira Dei clavis
Pravisque parta solvit
Os nervis ruptis sanguis
Regina dum sopitum
Tanquam procella maris
Et Servi velut heri
Lamentumque exortum
Sic Reges Duces metis
Rex ponitur ad cavas
Quos Romanorum tribus

Quem necis vomer aret

a) Hic et in Orig. Ms. aliquid deest.

Aliud genus ritmicum octo syllabarum, in quo dicitur de scismate Chabe et Aladarii, filiorum regis Athyle.

Post Athylae exitium
Regis illis supplicium
Tunc in duobus filiis
Baronum ex consiliis
Nam Regem Aladarium
Sed Chaban ut primarium
Chaba Regis Honorii
Hunc Regem Huni glorii
Sed alter de Burgundia
Virtute et facundia
Sed hii compaciuntur se
Qui aequo vivunt opere
Sic Chaba Aladarium
Nec alter hunc primarium
Pro Chaba firmi vigilant
Tunc hii, qui pro secundo stant
Tandem multo conamine
Thidrici cum juvamine
Chrymhildis vulgo dicitur
Cruore sic inficitur
Quod quindecim in spatio
Ampnem ac Gentis Natio
Ex Martis hac saevitia
Cum modica militia
Genus ita disparuit
Virtusque tota aruit
Sed quasi tria millia
Hi senum per consilia
Ibi sunt dicti Siculi
Post Casum sed periculi

Hunnorum potentissimi
Fuit, sed laetabantur hii
Ejus orta dissensio
Est regnique offensio.
Hic de Verona voluit
Virtus Hunorum coluit
Nepos fuit de Graecia
Creant ac gentis pecia
Erat Chrymhildis filius
Hic rexit laudabilius
Raro in mansionibus
Ut caupo cum cauponibus
Nusquam sufferre potuit.
Quod Hunnis dum innotoit
Et mox disponunt acies
Sternuntur velut glacies.

Alter sumsit victoriam
Hoc bellum in memoriam
In quo gurges Danubius
Ut refero indubius
Dierum cuncta pecora
Spreverunt velut aequora
Chaba ut leo rugiens.
Ad Graeciam confugiens.
Hunorum nobilissimum.
Per bellum hoc saevissimum
Hunorum substerfugerant
Ad Erdelon mox properant
Caesarque Chabam coluit
Apud hunc esse noluit.

Ritmus alius 7 syllabarum sine termino aequivoco, in quo dicitur, qualiter Chaba ad Cittiam est progressus.

Tunc Chaba mox processit
Ad Scitas et recessit
A Caesare benigno
Honorio praedigno.
Invenitque viventem
Avum suum ingentem
Qui Bendekus vocatus
Fuit hic vir probatus
Videns adventum Chabae
Absque mentali labe
Fletu occurrens ei
Tanquam orbato Regi
Per varios amplexus
Ut naturalis nexus
In sangvine praecepit
Et pie hunc suscepit
Ut filium dilectum
Sed luctum post abjectum
Quandam procatur ei,
Ex qua gemelli Regi
Clarissimi sunt nati
Et Edones vocati
Tunc Chaba Cytas movit
Nam fructus terrae novit
Et rus Pannoniorum
Tandemque multi horum
Res universas vendunt
Et secum ire tendunt.
Sed cum gens Siculorum
Regressum novit horum
Dat obviam ignotis
Cum hiis se stringens notis
Tunc alpes transierunt
Et aquilas viderunt
Immensas quadam valle
Quae equos in hoc calle
Et feras distraxerunt
Tantumque nocuerunt
Quod Huni toto coetu
Harum recedunt metu.
Et tunc Gentes offensae
Labore terno mense
Per Alpes transierunt
Et Erdelon venerunt
Contra vim hujus gentis
Hanc Patriam tenentis
Ibi Castra struxerunt
Septem, inde dixerunt
Terram septem castrorum
In lingua Germanorum.
Gentes sic quieverunt
Hunni et diviserunt
Se septem in catervas
Timentes nam acerbas
Has gentes animosas
Terrae atque fraudosas.
Duces quoque fecerunt
Septem, qui praefuerunt
Hunis et quisque horum
Ducum jam praedictorum
Habens de familia
Ceu triginta millia
In forti armatura
Hos timet Grex et Rura
In hiis Dux Arpad primus
De caeteris sublimus.
Deinceps aliorum
Nomen scribam Hunorum.

Aliud

Aliud genus rithmicum septem sillabarum, in quo dicitur, quomodo Hunni miserunt Kiseud nuncium ad Zvetopoluch Ducem Pannoniorum, qui natus fuit de Polonia, ex communi consilio.

Cum turbae quieverunt
Tunc Kiseud miserunt
Zuetopoluch vocatus
Simplicitati datus
Nam Atylae propago
Et hominis imago
Tunc Kiseud accessit
Salutemque expressit
Dicens hic continere
Vellent si hoc habere
Et fraudis per dolores a)
Tunc Dux Agricultores
Decipitur nam sanguis
Cito dum fraudis anguis
Ergo Dux laetus inquit
Tunc ille Ducem linquit
Telluremque cum Tymo
Tunc Hunni mox in limo
Tum Arpad primus horum
Et supplicat Deorum
Ut his largiri humum
Rus latices et domum
Tunc Amen Amen Amen
Nam latex ops et gramen
Tunc Ducem fraudis Glosa
Dona quoque fraudosa
Ut hiis occasionem
Et per hanc rationem
In forma emptionis
Genus deceptionis

Exercitus Hunorum
Duci Pannoniorum
Fuit Dux regionis
Vir natus ex Polonis
Omnis fuit contrita
Totaliter sopita.
Ducem Pannoniorum
A Gentibus Hunnorum
Se Gentes praenotatae
Possent ex pietate
Rus limphasque rogavit
Hos fore aestimavit
Simplex ex puritate
Hunc mellit falsitate
Sumant solum et foenum.
Vas sumens aqua plenum
Festinans ad primatem,
Noverunt ubertatem.
Implens cornu torrente
Deo cum tota gente
Dignetur regionis
Tanquam suis colonis.
Exercitus dixerunt
Hunnis complacuerunt
Conantur supplantare
Eidem destinare
Legitimam haberent
Ducatum obtinerent
Quis tale nam timeret
Qui patrias haberet.

---

a) Sic in Ms-to. Rectius colores.

Aliud genus rythmicum octo sillabarum, in quo dicitur de muneribus, quae Huni miserunt Duci Pannoniorum.

Tunc direxerunt Kyseud
Ferens ei clenodium
Martis interminabile
Nam fraus est Irae genitrix
Hunc vestit preciosa res
Frenum gestans ac sellulam
Hunc equum Duci obtulit
Hoc munus Tibi offerunt
Pro foeno lympha ruribus
O Deus fraudulentiae
Quandoque preces despicis
Tunc hic perpius dominus
Sumant pro victu flumina
Tunc ille cum decentia
Ad Hunnos statim properat
Gavisi Hunni illico
Pannoniorum Principem
In vultu dum aspexeris
Quin dicas Grex Hunorum te
Quae vendidisti gentibus
Turbatur Dux sermonibus
Illius cum clementia
Ut aestimo evellitur
Nam equum interficiam
Frenum sellam ad flumina
Tunc Verna: Nil proficies
Sed parcis in hoc panibus
Frenum dabis messoribus
Ops, latex, rus sunt Regio
Habet, habebit caetera
Regressus Hunnos monuit

Ad Ducem qui non aliud
Quam equum, de quo odium
Suberitur et stabile
Et scandalorum alitrix.
Ex auro namque sonipes
In spina gemmis auream
Ad Principem et retulit
Hunni et grates referunt
Et nemore telluribus.
Cur parcis, et clementiae
Cum tu intentum respicis.
Inquit virtuti cominus
Nemus valles cacumina
Sumpta ducis licentia
Responsum Ducis reserat.
Cuidam dicunt villico.
Tu debes visitare, quem
Nullo modo neglexeris
Precatur derelinquere
Ut congruit ingentibus.
Respondens rationibus
Ait, haec fraudulentia
Cum Deo et repellitur.
Ad thymumque projiciam.
Ut me docebunt Numina.
Si equum interficies
Dum roditur a canibus
Et sellam piscatoribus
Quae si Hunnorum legio
Ut dicta sonant vetera
Ut sermo Ducis sonuit.

Aliud genus rithmicum, in quo dicitur, quomodo Hunni processerunt contra Zventhepoluch Ducem Pannoniorum Regia fortitudine triumphantes.

Carpas cum Hunnis
Statim processit
Atque praedatur
Satrapis auditis
Regia Caterva
Regionem Ducis
Pannoniorum.

Hoc cum audisset
Turbas collegit
Hunnis occurrens
Princeps praenarratus
Viribus robustas
Regni ut Protector
Coetu suorum.

Castra disponunt
Tali congressu
Timor incurrit
Erigunt vexilla.
Fortitudo febrit
Utriusque gentis
Gentes horroris.

Ibi mors edax
Senas castrorum
Carnis tributum
Vigilat ad fores
Postulans a multis
Ferrum quos sopivit
Unda cruoris.

Huc illuc motis
Pulvis excoecat
Iotus proclamant
Gregibus ambobus
Visus foebeales
Aetheris in arce
Ensium fortes.

Ibi immensa
Mortis vorago
Gula glutivit
Fortitudo ruit
Milites hiante
Corruerunt turbae
Atque cohortes.

Ex hac pressura
Ripas cum Coetu
Gliscit, sed cursus
Ad Danubiales
Dux Panoniorum
Patitur eclipsin
Casu repente.

Hunc fugitivum
Arpad Hunnorum
Fugit ad undas
Maxima sequela
Princeps comitatur
Animo concusso
Mersus torrente.

Aliud genus rithmicum constans ex octo et septem sillabis, in quo dicitur, quomodo Hunni post victoriam captabant loca Regionis. Arpad primo ut Princeps cum senioribus, deinde unus quisque ad libitum suum.

Postquam cum suis periit	In Lymphis et interiit
Princeps Pannoniorum	Tunc Arpad cum primatibus
Et his qui de Senatibus	Gregis erant Hunnorum
Sumunt pro mansionibus	Et habitacionibus
Ex dignitatis jure	Prata nemus et alia
Loca et animalia	Ad nutum cum tellure.
Deinde residentiam	Situs juxta decentiam
Captabant potiores	Sed Arpad castrum construens
In monte Noze residens	Ut Dux inter minores
Ibidem urbs gratissima	Pannoniae dignissima
Sita fuit immanis	Deserta Alba nomine
Nunc Weissenburg cognomine	Constructa a Romanis
De Arpad Rex dignissimus	Subortus fertur Stephanus
Religiosae vitae	Sed nomen Capitanei
Secundi est Zeboley	A quo descendit rite
Stirpis Chag generatio	Illius tota Natio
In armo residebat	Quod nunc inhabitabile
Exstat castrum laudabile	Ibidem hic habebat.
Sed ternus erat Gyula,	Dux stirpe nobilissima
Quartus denominatus	Gund castra secus maria
Hic prole struxit varia.	Quintus Leel vocatus
Fuit hic in Bohemia	Urbes castra Vindemia
Cuncta sibi subegit	Sextus Bubolcho juxta Blat
Ripam cum sua gente stat	Quam sibi praeelegit.
Akus Bour et aliae	Tribus de regno Scythiae
Cum Hunnis advenere.	Quas tamen cum ductoribus
Non calculant prioribus	Qui gesta descripsere.
Fortassis stilum acuit	Scriba ut illis placuit
In Hunnis qui regnabant,	Ergo hunc scripsit taliter
Fratremque ejus aliter	Ut hii hunc informabant.

Nam hoc apparet breviter   Et demonstratur leviter
Quod plures Nationes   Quam septem horum fuerant
Pannoniam qui rexerant   Nam generationes
Septem nihil proficerent   Hunnorum sed deficerent
In tali regione.   Ergo cum reverentia
Quiescat haec sententia   Absque seditione.

Aliud genus rithmicum 8 et 7. syllabarum, in quo dicitur, quomodo Hunni cum gente innumerabili intraverunt Germaniam et victi sunt a Lantgravio Thuringorum.

Tandem in fortitudine   Germaniam intravit
Atrocitas Hunnorum   Hanc totam magnitudine
Hostiliter vastavit   Metas quoque Gallorum
Ac multas terras etiam   Et tunc se diviserunt
Hunni in tres catervas   Et mox ex coetu peciam
Thuringiam miserunt   Ad gentes peracerbas
Tunc Hunni in hac patria   Strages exercuerunt
Et caetera delicta   Nam castra urbes atria
Ac homines straverunt   Mucronis in vindicta
Lantgravius dum talia   Vidit turbas collegit
Contra greges Hunnorum   Vi Numinis magnalia
Contra hostes peregit   Sic Princeps Thuringorum
Mox contra gentem Genti-um   Consurgit fortitudo
Et virtus sine meta   In unda corruentium
Cruoris multitudo   Et mersa et deleta.
Pars advenarum corruit   Vis crevit Thuringorum
In fremituque rugiit   Militia tunc corruit
Vexillumque Hunnorum   Et omnis coetus fugit
Hunc sequitur Lantgravius   A vitaque divisit
Ad septem seniores   His aures scindens gravius
Hunnosque sic derisit   Inquit, hoc ad terrores
Feci, ut evitabilis   Sit Vobis locus iste
Tellusque Thuringorum   Tunc gens haec formidabilis
Iter assumit triste   Ad cuneos Hunnorum
Cum socios Hunnorum Grex   Sic molestatos vidit

In tantoque rubore
Quos reperit occidit
De Ulrichsbach usque ad Sar

Austeritas Hunorum
Matresque jugulavit
Sed hi despecti fuerant
Absque calceamentis

Mendicant hostiatim
Et tunc ad partes redeunt
Et spoliis relictis
Uxoribus et natis

Statim Svevos horrenda nex
In metis hujus orae
Flumen gentes prostravit

Ac omne conjugale par
Vindictam in illorum
Euntes catervatim.
Quod non cum suis manserant

In turmis suae gentis
Cum auribus privatis
Parumque lucri deferunt
Sed culpam cum delictis.

Aliud genus ritmicum, in quo dicitur, quare hospites et advenae domini, qui non venerunt de Szithia, sed de aliis regionibus, sunt ejusdem comparacionis cum Ungaris.

Dum Geysa in Hungaria
Gentem in fide varia
Vocare per baptismata
Ad vera Christi chrismata
Tunc armis hanc subicere
Potest, ymo deficere
Nam fuerant fortissimae
Vindictaque saevissimae
Nichil cum hoc respiceret
Sed magis rem inficeret
Ibidem aminicula
Ut pater qui pericula
Tunc duces cum comitibus
Pro Christianis ritibus
Geysae contra gentilium
Dei hos in exilium
De Hennenberg cum variis
Trecentisque dextrariis
Comesque Nürnbergensium

Dux pius usque maria
Ad Christi fidem voluit
Et illa per sophismata
Se inclinare noluit
Gliscit sed nil proficere
Cepit a turbis gentium
In bellis invictissimae
Timentes imminentium
Geysa quod nil proficeret
Recurrit ad Germaniam
Precatur contra spicula
Veretur et insaniam.
Diversisque Quiritibus
Venerunt cum juvamine
Catervas et per filium
Restringunt sed conamine
Comes ingens gregariis
In falleris adveniens
De Anehalt Mysnensium

De Stauf cetus Renensium
Comesque Arragoniae
Tyronesque Poloniae
Pergunt quibus providit Dux
Nulla sed honestatis lux.
Christi vicit juvamine
Scribens communi famine
Sed clemens Dux quem coeli ros
In fide Christiana quos
Sic aequipollent hospites
Germanieque milites
Nam fides est causatio
Per quam locatur Natio
Hos principes piissime
Dux Geysa tunc saepissime
Ditavit ut nemoribus
Ac ceteris honoribus

Ac bellica Suevornm gens
Et proceres Saxoniae
Ob fidem in Hungariam
Geysa in actione trux
Et sic gentem contrariam
Illorum et conamine
Gentiles ut ignobiles
Unxit nobilitavit hos
Reperiit immobiles
Et peregrini Comites
Hunis nobilitatibus
Honoris et creacio
Depressa cum primatibus
Praefatos et largissime
Vastis haereditatibus
Agrorum et cultoribus
Latisque dignitatibus.

Aliud genus ritmicum, in quo dicitur, a quibus beatus Stephanus filius Geyse ducis fuit baptizatus, et quorum Germanorum generaciones manserunt in Pannonia, et a quibus traxerunt suam denominacionem.

Deinde Deodatus
Praesul quoque Pragensium
Hii Stephanum beatum
Et sacro cum baptismate
Hic comes Claustrum struxit
Sed ille abs heredibus
A Lumbis sed Heinrici
Secundum quod apparet nunc
Sed venit a Germanis
De Wassenburg haec natio
Hic Woczelin dum vidit
Contra fidem viventium

Comes Apuliensium
Albertus nominatus.
Ducem unxerunt crismate
Praedicti Geyse natum.
Thata cum suis edibus
In undis necis fluxit
De Hennenberg surrexit tunc
Propago Heydenrici
Wotzlino et a Stephano
Dicta Ioac inmanis
Rebelliones gentium
Cuppan ducem occidit.

Hunth et Pasnân Hunnorum Regem percingunt gladio
Juxta Geron in stadio Ad morem Almanorum.
De Francia sed venit Gregorii progenies
Hanc Sanguinis maneries Nobilitate lenit.
Renoldi et Kuquini Venerunt de Hyspania
Feceruntque juvamina Sepe stirpi supini
Sed genus Gugulonis De Stauf ex Suenis venerat
Illud sors sublimaverat Sub regno Salomonis.
Stirps tota sed Lutoldi Apuliae a finibus
Multis venit hominibns Propago sed Catholdi
Magnae nobilitatis Processit ex comitibus
De Casten cum quiritibus Multe strenuitatis
Hermanni quoque genus De Nuremberg praenobile
Ortum fide inmobile Ut confitetur Renus.
Buzaldi stirps processit De Orlemund quae actica
In militari practica Sepissime expressit.
Sed Ladislai proles Haec venit a Mysnensibus
Et Helfenstein Comitibus Quam nulla pressit moles
Fraudis nec pravitatis De Mertynsdorf hii comites
Sunt hyspanorum Principes Magne nobilitatis
Jam dictas nationes Egestas nec inopia
Pressit sed rerum copia Per regum daciones
Sed ceterorum tribus Qui conabantur legibus
Retistere ac Regibus Facte sunt ensis cibus.

Prosa, in qua dicitur, quomodo Huni post interemtionem Zuetepoluch Ducis Pannoniorum sex annis quieverunt et in septimo Bohemiam et Moraviam vastaverunt.

Dinastia prostrata Ducis Pannoniorum
Ut refert hic libellus Gens Scitica quievit
Sex annis cum armentis Hinc truces ad Bohemos
Progreditur ac illos Praedatur cum Moravis
Tandem subordinavit Treugas cum Wratislao
Sclavorum Ciliarcha Deinde ad Carinthiam
Et Stiriam processit Plebs actica Hunorum,
Cunctaque spoliavit Praedicti Principatus.

Tunc Marchio Gothardus   Moraviae occurens
Hunnis mox cum Alberto   Duce Karinthiorum
Et Aquilegiensi   Praedigno Patriarcha
Gregorio vocato   Mox acies disponunt
Fit gentium pressura   Multique cum Alberto
Duce et Marchione   Gotthardo ceciderunt.
E bello sed effugit   Praefatus Patriarcha
Cum paucis et evasit.   Tunc Hunni ad Pannoniam
Haec spolia duxerunt   In Regia virtute
Triumpho cum insigni.   Deinde Paduanam
Urbem cum multis portis   Fregerunt Lombardorum
Et spoliis deductis   Ad fines quieverunt.

Genus rithmicum septem sillabarum, faciens combinacionem rithmicam in termino aequivoco, in quo dicitur, quomodo Caesar propter excidium Marchionis Moraviae et Ducis Carinthiae voluit ire ad Hungariam ob vindictam praedictorum.

Dum Caesar audit casum   Suorum se ad casum
Effert in flammis irae   Et conabatur ire
Hunnorum ad districtus   Ut arbiter districtus
Imperiali manu   Et cum armata manu
Ad Augsburg venit Castrum   Tunc movebatur castrum
Principibus Germanis   Nam frater cum germanis
Certavit in hac hora   Ob hoc Caesar in hora
Remansit nec profectus   Est horum ad profectus
Hiis treugas nam affecit   Sic Hunnos non affecit
Secundum quod parabat   Tunc pacem sic parabat
Tunc gens Hunorum fera   Cum rebus atque fera
Ad Bulgaros mox cedit   Expugnat atque caedit
Gentes illius finis.   Hic est bellorum finis
Quae tunc in plagis tribus   Fecit Hunnorum tribus.

In nota mensurata Auctoris aliud genus rithmicum, in quo dicitur, quomodo Hunni Germanos spoliaverunt et vicerunt.

Hinc Hunni Sveviam
Misnenses et Thuringiam
Sed contestatur lis.
Et contra vim consurgit vis
Congressus fit in metis Babarorum.
Et virtus Hungarorum
Sed quamvis sortis lex a)
Tamen ex his postravit nex
Sed parte alia
Resis atque brutalia
Horrende mortes acies
Conclusi sunt quirites
Cum praeda captis bonis
Inde Hunnorum gens
Ad Augspurg urbem gradiens
Hanc et hostiliter
Praesul et urbs civiliter
Urbis spirat ad Caesaris juvamen
Largitur hoc solamen

Et Francones, Saxoniam
Predantur fortitudine
Almani nam occurrunt his
Tyronum multitudine.
Sed corruit vexillum Germanorum.
In Martibus praevaluit
Hunos obumbit et obex
Fere ad quinque millia
Tyrones animalia
Retrusit in exilia
Mucronis
Cum colonis
Hunni ad partes properant
Terrarum praedam sitiens
In Regia potentia
Obsedit tunc viriliter
Resistunt sed amentia
Conradi, qui dum vidit hoc gravamen
Et venit cum militia.

Aliud genus rithmicum, in quo dicitur, quomodo Caesar Conradus vicit Hunos, et qualiter Bubolcho et Leel Duces Hunnorum interierunt.

Tunc Imperator veniens
Quod scitica cum vidit gens
Et se ad fugam praebuit
Tunc Caesar sicut debuit
Et disponuntur acies
Tunc Hunni velut glacies

Urbi in amjniculum
Mortis timebat spiculum
Sed fugam vetat fluvius
In armis visitavit rus
Mox ab utrisque coetibus
Cassantur mortis retibus

---

a) In Ms. Nota ad marginem: Hic sine Numero.

Tunc habita victoria
Imperiali gloria
Hunnorum Capitaneos
Leel et Coetaneos

Prosternerent tam leviter
Tunc responderunt breviter
Nos ut flagellum posuit
Et sicut hoc disposuit
Dum parcimus, affligimur
Dum caedimus erigimur
Tunc Caesar inquit: Eligat
Sibi tunc Leel postulat
Mos erat hic in gentibus
Et dum coram sedentibus
Et tunc Leel per maciem
Imperatoris faciem
Et ait, tu praeibis me
Mihi nam jugulavi te
Ductus est ad suspendium
Rigoris ut compendium
In Ratispona accidit
Ibidem Leel occidit
Sed Gens Hunnorum actica
Quae militari practica
Quirites quosdam capiens
Cum his et suos rapiens

Cum his quos captivaverat
Caesar urbem intraverat
Caesar interrogabat tunc,
Hujus, cur plebem Christi nunc
Absque omni clementia
Summa Dei sententia
Et hostes Christi gentibus
Sic facimus viventibus
Sic ordinarunt Numina
Fortunae ad cacumina
Quisque mortem aptissimam
Cornu ut buccinaret nam
Ut quisque ita faceret
Cornu hinc inde jaceret
Cornu plaga saevissima
Concussit, ad novissima
Et servies dieculis
Et in futuris seculis.
Leel mox cum sodalibus
Legem dictavit talibus
Hoc horridum supplicium
Cum suis propter vicium
Erat in turba alia
Aequare studet talia
Germanos in nemoribus
Poenarum a terroribus.

Iterum in alia nota mensurata auctoris aliud genus rithmicum, in quo dicitur, quomodo Huni post suspendium Leel destruxerunt multas provincias.

Tandem Huni regali multitudine
Ac Gentis militaris fortitudine
Progrediuntur Urbem ad Fuldensem
Quam subito expugnant cum militia
Rumpentes muros portas in saevitia

Et theatrum in flammis et per ensem
Lutaringiam hinc actica
Hunorum Gens hostiliter subivit
Et hanc bellari practica
In manu fortitudinis contrivit
Et tunc in arrogantia
Hujus processit princeps in occursum
Pertrungus de Brabantia
Tunc acies mox disponuntur rursum
Sed hic in Marte vincitur
Atque decapitatur
Genserius quoque corruit
Et torruit
Ibidem magnanimitas Hunorum monstrabatur
Inde a Hunnis Treveris et aliae a)
Urbes praedantur regionis Galliae
Templaque distrahuntur velut lana
Thaurinaque ab illis circumcingitur
Ac civitas Eugusia infringitur
Et expagnantur Zenon haec Montana
Tunc Hunni per Coloniam
Et caeteras provincias iverunt
Cum praeda ad Pannoniam
Et tunc XXti annis quieverunt
Finitis his Ydrapolin
Hunni infringunt Urbem Bulgarorum
Atque Constantinopolim
Circumvallabant Caesaris Graecorum
Mox timor febrit urbium
Dum ensis majestatis
Respexit sine venia
Per moenia
Turbatur tota regio Virago mas cum natis
Tunc Rex Graecorum videns terribilia

---

a) Nota in marg. Ms: Sine Numero.

Quae egit Gens Hunnorum per consilia
Quendam misit in specie gigantis
In forma hac si vinceretur Gygas hic
Convictus esset Rex et censualis hic
Factus per lapsum viri dimicantis.
Hic mas duobus sternitur
Hunnis et ferro diro cruciatur
Quod dum a Rege cernitur
Conditio promissi variatur
Tunc Humni cuncta spoliant
Aurum pecus maresque deduxerunt
Et mox ad partes properant
Et iterum a Marte quieverunt
Sic flagellavit Saeculum
Gens bellica Hunnorum
Tanquam flagellum horridum et torridum
Usque ad Toxim Principem Regni Pannoniorum

Aliud genus rithmicum, in quo dicitur, quomodo beatus Stephanus vicit Tuppam Ducem, et divisit eum in partes quatuor.

Toxim Dux Pater Geysae Fuit, dux quo reyse
Hunnorum regebantur Historiae testantur
Quod Stephanus beatus Sit hujus Geysae natus
Sed Stephani beati Diversi erant nati
In quibus Emericus Ut cultor et amicus
Fulsit omnipotentis Astra manu tenentis.
De hoc non hic dicemus Extinctum sed scribemus
Hunc Sanctum sine natis Qui regnat cum beatis
Hic Stephanus beatus Parente viduatus.
Labore indefessus Multum erat oppressus.
A Tuppan qui Ducatus Regebat Principatus
Nam jecit in parentem Ejus ardoris mentem
Hanc petens in consortem Et Stephanum in mortem
Jam tradere quaesivit Quod Princeps dum rescivit
Virtute singulari Turbaque militari
Contra illum procedit Ad flumen Geron redit

Tuppan praenominatus
Conflictuum est datus
Mos ab utraque parte
Illustrium ab arte
Qui bellica noverunt
Tyrones confluxerunt
Ad Tuppam catervatim
Ad Stephanum gradatim.
Ut grandines ex nube
Mox sonuerunt tubae
Fit Gentium pressura
Hastarum et ruptura
In nubibus insignis
De galeisque ignis
Immensitas profluxit
Montanaque illuxit
A scutis deauratis
Mons vallis rus cum pratis
Cuncta resplenduerunt
Lucemque praebuerunt
Quod plures ex timore
Optabant cum honore
In Tracia tunc esse
Manusque indefesse
Pugnant utraque parte
Sic quod in tali Marte
Ut torrens rubicunda
Cruoris fluxit unda
Quae nullo restagnari
Nec potuit servari
In littoris anfractu
In tali litis actu
Gens cadit sine meta
Banderia deleta
Sunt Toppan dicti Regis
Sed Dux prostrati gregis
Non erat dum convictus
Tunc Stephanus praedictus
Ut Leo hunc invasit
Militia tunc suasit
Tuppan praefati Regi
Ut obviaret ei
In forma aquilina
Mortis tamen sentina
Hunc in cruoris unda
Permisit errabunda
Catervæ Tuppan fugit
Gens Stephanique rugit
Hostiliter Regalis
Hic ferit, ruit talis
Tuppan sigillo mortis
Cum caeteris exortis
Dux Stephanus elisit
Membratimque divisit
Mittensque partes genti
In Reguo residenti.

Iterum in alia Nota mensurata Auctoris aliud genus rithmicum, in quo dicitur, qualiter Dux Stephanus dotavit Ecclesiam S. Martini, et petiit Coronam ab Apostolico Regiam more Christiano.

Post conflictum hunc
Dux beatus
Gratus;

Deo dedit tunc
Decimas faustissimo
Martino
Sicut venerat
Sic adjecit
Fecit
Nam cognoverat
Flamen Dei cordis in camino
Tandem praecinctus Zona
Fidei hic princeps pietatis
Ad papam pro corona
Dirigit regalis Majestatis
Tunc Praesul Romanorum
Jam lauream ornabat
Pro Mista Polonorum
Duce sed hanc firmabat
Genti dari Angelus
Nondum notae monitu
Divino.
Mane veniens
Plebs ignota
Mota,
Deo gestiens
Gratiam praefatae dignitatis, Apostolicus
Mente plaudit
Gaudet
Quod Catholicus
Princeps erat tantae Majestatis
Corona subaravit
Protinus dinastiam Hunorum
Crucemque destinavit
Stephano, ut Regi Ungarorum
Quae duci coram Rege
Deberet omni hora
Ut Christiana lege vacaret sine mora
Et sic laureatus
Est Stephanus

Rex summae largitatis.
Et cum laurea delibutus
Tutus
Esset aurea
Terram Transsilvanam
Mox subivit
Contra Gyulam
Ibi trucem
Ducem
Qui plebiculam
Christi affligebat
Et contrivit
Illius potestatem
Nam in Marte obtinebat
Rura
Per Dei Majestatem
Gentis ac patrata strage dura
Ducem septem Castrorum
Cum suis irretitum
Reguo Pannoniorum
Direxit et pruritum
Delens infidelium
Haeresesque framea sopivit.

Aliud genus rithmicum, in quo dicitur, quomodo beatus Stephanus expugnavit Ducem Bulgarorum et Slavorum, et constituit Avum suum Dominum Transilvanum.

Deinde Bulgarorum
Decem atque Sclavorum
Multisque cum thesauris
Auro argento thauris
Inde templum ditavit
Ex auroque fundavit
Posset ita insignis
Ut ornamentis dignis
Officia divina
Kesla quoque Regina

Expugnat Rex beatus
Potenter Principatus
Magnifice recessit
Ab illis quos oppressit
In Weissenburg Altare
Nec res excogitari
Quam rex non compararat
Templum fulcitum staret
Rex multum adamabat
Pro cultu Christi stabat

Rex

Tunc sacrum ad baptisma
Erroris quem sophisma
Hinc ratione sana
In terra Transilvana
Pacis tranquillitate
Quem Rex in pietate
Ad Budam hinc perrexit
Ibi Claustrum erexit
Illud quoque ditavit
Quod tandem consumavit
Qui nepos fuit Regis
Amator quoque legis
Structorque diversarum
Fertur ecclesiarum
Quas autem Rex fundavit
Jussit has visitavit
Et coram omni ara
Prece Deum praeclara
Ad coelos semper spirat
Templumque circum gyrat
Si quos consideravit
Hos statim emendavit
Et tunc mente serena
Namisma de crumena
Sed Emericus natus
Aras ille beatus
Ornatuum scissuras
Et singulas rupturas

Rex Gyulam stringebat
Gentilis obumbeb..t
Zolthan donum adultum
Ducem fecit qui multum
Ob senium gaudebat
Ut patrem nutriebat
Rex pius cum uxore
Insigni cum decore.
Censu ac libertate
Rex Bela largitate
Et divinorum cultor
Et pravitatis ultor
Hic Stephanus pudicus
Et sanctus Emericus
Ut monitus divinus
In anno ter ad minus
Prostratus adorabat
Quem corde bajulabat
Illius intellectus
Respiciens defectus
In tegmine et muro
Rebus et corde puro
Egenis erogabat
Quam latere gestabat
Ejusdem purpuravit
Sed mater instauravit
Frequenter omni anno
In mappis et in panno.

Item in aurea nota mensurata Vrawenlob Rhetoris aliud genus rithmicum, in quo dicitur de excidio sancti Emerici.

Cum Stephanus iniquos
Gentiles Inimicos
Annis in seculo
Et cuncta vanitatum
Coelorum, atque natum
Genti Pannoniorum

Fere exsuperasset
Et pluribus regnasset
Despiciens terrena
Spiransque ad amoena
Volens pro speculo
Ac Rege collocare

Nam fuerat pudicus
Sigillum singulare
Et legis Statio.
Vitae privatio.
Rerum Creatio.

Constans in via morum
Praefatus Emericus
Sed illud intercepit
Nam Deus hunc suscepit

Cum edax fati virus
Regni turbatur gyrus
Plebs cum parentibus
Sacrae religionis
Attonitum Colonis
Vi tota destitutus
Et artubus inermis
Rex sanctus prae dolore
Timens pericula
Ne in reticula
Et hostis spicula.

Hunc sanctum sic infecit
Et gaudiis defecit
Nam occidit columpna
Et regnum et aerumpna
Stetit et gentibus
Et sanitatis flore
Jacebat delibutus
Reflexus velut vermis
Ecclesiae futura
Dilaberetur dura

Pro Wanczul destinavit
Quem diu castigavit
Rex ob scelestia
Quod audiens Regina
Ut scrupulosa spina
Sebuschium direxit
Ad carcerem regalem
Illum quoque oppressit
Illi diripiens
Laesum respiciens
Actoris sitiens.

Haerede Patruelis
In carcere fidelis
Quem coronasset Regem
Fraudis dictavit legem,
Producens moestia
Qui nuncium praecessit
Hic Waczul mox invexit
Virtutem visualem
Quem Stephanus Rex pius
Necem hic princeps dius

Aliud genus rithmicum, in quo dicitur de fato Regis Stephani gloriosi.

Cum aetum impiissimum Reginae et saevissimum
Rex Stephanus cognovit jam Quod Wanczul excoecasset clam
Et plumbum infudisset nunc In aures ejus, misit tunc
Pro suis patruelibus Et ait his fidelibus
Ut evitarent atria Regis atque de patria

Cum sanitate fugerent Ac virus lethi fugerent
Nam Kesla minabatur his Fraudosis cum rethiculis
Cum Ladislaus protinus Vela, Levente fratribus
Processit ad Bohemiam Timebatque blasphemiam
Reginae quam patraverat In multis quos gravaverat
Tunc pius humabatur Rex Mors cujus cunctis fuit nex
In terra residentibus Christicolis et gentibus
In Weissenburg magnifice A Clero et Deifice
Ad tumbam collocatur rex Amare flevit omnis grex
Hunc Principem sanctissimum Ut Genitorem proprium
Nam erat justus stabilis Prudens, clemens, placabilis
Gubernans a saevitia Regnum summa justicia.
Post mortem pii Principis In Gentibus consurgit lis
Nam, Kesla Petrum voluit Pro Rege quem tunc coluit
Qui erat de Germania Tandem haec per inmania
Petrum regem constituit Sed ille hanc destituit
Privans eam potentia Justa Dei sententia
Hic Ungaris gravissimus Fuit atque saevissimus
Consortes, castra abstulit Hiis et aperte retulit
In Regno si proficeret Quod Ungaros ejiceret
A cunctis mansionibus Atque possessionibus
Tunc convenerunt Domini Hunnorum nobilissimi
Volventes hic in cordibus Quod sic oppressi sordibus
Essent et inmunditiis Et Almanorum vitiis
Sororium sanctissimi Abam praefati Stephani
Regem creavit unitas Hunnorum et communitas
Rex Petrus cum respiceret Vis ejus quod deficeret
Reliquit mox Pannoniam Confugit ad Babariam
Et se Henrici gratiae Imperatoris facie
Tristissima subjiciens Quem Caesaris reficiens
Clementer consolatio Sicut dictavit ratio.

In nota mensurata Regumspogin Rhetoris, quae Paratwyse dicitur, aliud genus rithmicum, in quo dicitur, quod Huni post expulsionem Petri Regis Budam Sebuschium et alios occiderunt.

Expulso Petro tradiderunt
Budam Huni suppliciis
Et hunc membratim diviserunt
Haeredesque saevitiis
Ejus praedantur visibus.
Res horum cunctas abstulerunt
Ob crimen patris nisibus.

Inde Sebuschio detento
Qui Wanczul in carceribus
Vita privavit in tormento
Saevissimis verberibus
Castigant ad exitium
Manus et crura ut jumento
Fregerunt propter vitium

Hinc in Germanos irruerunt
Praedicti Regis famulos
Et plagis diris ceciderunt
Et saxis obruebant hos
Catenisque afficiunt
Et nexibus et afflixerunt
Tamdiu quod efficiunt.

Aliud genus rithmicum, in quo dicitur, quomodo Rex Aba regionem Hungarorum reddidit pristinae libertati.

Abae praedicti regno roborato
Cunctas reduxit terrae libertates
Dans in levamen principes oppressis
Quondam Germanis.
Inde Legatos Caesari direxit
Quaerens si tutus gratia illius
Foret. Respondens Satrapis Heinricus
Caesar inmanis.
Ut Petrum Regem Regno supplantavit
Sic supplantabo Regimen illius
Istis auditis metas Babarorum
Aba subivit

Ibi prostravit Proceres agresti
Praeda insignis rediit per Tulnam
Turmas australes sibi occurrentes
Marte contrivit.
Inde per Styros et Karinthiorum
Terras cum coetu Aba vagabatur
Vastat, praedatur, spolia deduxit
Maxima captis.
Celebrat Pascha in Coloniorum a)
Urbe in hora Caesar praenarrata
Tractans secreta Regni Almanorum
Ducibus aptis.
Inde Monarcha Vratislai terras
Transit potenter Bohemorum Ducis
Regnum invadens viribus immensis
Pannoniorum.
Aba cum hunis Caesari parere
Refert, ac munus dirigit praedicto
Sed Petrum Regem renuit habere
Virtus Hunorum.
Postquam querelas audit Hungarorum
Atque in cunctis Petrum fore reum
Iter assumit contra Lutringorum
Ducem processit.
Ibi Gottfridum Ducem praenarratum
Qui contra Regnum fecerat Romanum
Dire castigans sceleris et crimen
Ejus oppressit.

Item in nota mensurata Tytterel Wolframi de Eschenpach et Rethoris aliud genus rithmicum, in quo dicitur, quomodo Rex Aba interfecit Nobiles Hunorum.

Tunc Caesar sic incessit
Ut cum his quos oppressit
Cum munera sentiret
Aba ad eum protinus rediret

---

a) Ms. hic mendose scriptum habet: Nicolloniorum.

Babariam quod foedere Firmabat
Sed pactum non implevit
Et Ungaros assidue Gravabat.

Tunc hi conspiraverunt Contra Abam ingratum
Tunc quidam accesserunt Ex hiis et muniunt Regem praefatum

Tunc Nobiles Hunnos Exterminavit
Et quadraginta semel
In quadam domo fraudis Decollavit. a)

Tunc fugierunt multi Ad Caesarem praedictum
Senes atque adulti Et ferunt Abam fore nimis strictum

Votumque suum nolle Retinere
Nec captos dimississe
Quod Caesari mox coepit Displicere.

Aliud genus rithmicum, in quo dicitur, quomodo interiit Rex Pannoniorum.

Tunc Caesar ob precamina Hunnorum et gravamina
In plebe quae peregit Aba, turbas fortissimas
In bello et saevissimas In fremitu collegit
Procedens ad Hungariam Sed per virtutem variam
Rex Abae occurrebat Pressura fit terribilis
Et clamor perhorribilis Qui aether affligebat
Tamdiu movebatur lis Quod edax Hungarorum vis
Desperat et subivit Quam Germanorum feritas
Horrendaque austeritas In Martibus contrivit
Nam hii erant primipuli Qui fuerant discipuli
Et Petri amatores Vexillum hi dejiciunt
Turbae ita deficiunt Abae atque honores.
Aba fugit ad Tythiam Illiusque saevitiam
Sequuntur quos turbavit In fossa qui dum cernitur
Ab aemulis prosternitur, Quos pridem cruciavit

---

a) Male in Ms. decollatur.

Ibidem tumulatur Rex	In fuga sed Hunorum Grex
Tunc corruit Germanis	Dispergiturque legio
Abae et tota Regio	Sic redditur Germanis
Post annos vero plurimos	Effoditur per Hungaros
Qui eum invenerunt	Sanatum a vulneribus
Quem caeteris funeribus	In Sarus posuerunt
Claustrum, quod Rex construxerat	Et sic Petrum reduxerat
Hic Princeps Romanorum	Pro Rege hunc constituens
Coacta quem assummit Grex	In Regem Hungarorum
Et sancta Regni laurea	Rex coronatur aurea
In Weissenburg praedictus	Quamvis hoc fuit gentibus
In Regno residentibus	Poenarum ut afflictus.
Hinc Caesar consuetudines	Cunctas et rectitudines
Dans Ungaris adultis	Ligatur ob pericula
Rex Petrus cum plebicula	Per rationes multas
Committens severissime	Hunnis atque strictissime
Petrum vereri Regem	Petro quoque similiter
Praecepit ut civiliter	Hunnis servaret legem
Hinc Ratispona rediens	Quietem Caesar sitiens
Triumpho laetabundo	Et iterum Pannoniam
Ob Petri Regis maniam	Anno redit secundo
Et tunc per hastam auream	Petrus suscepit lauream
Regnumque Hungarorum	Hoc facto mox egreditur
Potenter et regreditur	Ad fines Babarorum

In Nota Curie mensurata Mulich Rhetoris aliud genus rithmicum, in quo dicitur, quomodo Bela interfecit Regem Gentilium.

Tunc fratresqui confugerant Ad fines Bohemorum
Cognati Regis Stephani — Bela et hii — Reginae ob livorem
Prae egestate properant Ad Ducem Polonorum
Cui gens de Pomerania — In mania — Census negabat morem
Tunc Miska cum militia Tributum exigebat
Sed gens haec in saevitia Feroci resistebat
Vocavitque auxilium — Gentilium — Regis quem educebat

Cum cardines conflictuum Tam essent limitati
Placuit militibus — Ut ritibus — Simul Reges pugnarent
Et greges exercituum Immobiles praefati
Manerent sine taedio — In medio — Dum Reges dimicarent
Pro Miska Bela voluit Confligere ut fecit
Cujus honorem coluit Timoresque abjecit
Es ei cum juvamine — luctamine — Gentilem interfecit
Dux Miska hac Victoria Tributum cum colonis
Pomeraniae obtinuit — Retinuit — Famamque Majestatis
Et filiam in gloria Cum censu regionis
Belae Duci mox praebuit — Ut debuit — Ex fide caritatis
Fratres autem ut filii Tunc Belae adhaeserunt
De foro sed consilii Sic stare respuerunt
Ad Ruthenorum Principem — procedunt quem — ingratum invenerunt.

Aliud genus rithmicum, in quo dicitur, quomodo aliqui ex Hunis miserunt expensas Andreae et Leventae fratribus propter oppressionem Petri Regis Pannoniorum.

Cum hi ingratitudines Viderunt Ruthenorum
Regis, non timuerunt Sed sumunt fortitudines
Et animos virorum Paganos adierunt
Gentiles dum respiciunt Res, habitus, honores
Quos duces attulerunt Mortem illorum sitiunt
Nam hos exploratores Terrae asseruerunt
Sed quidam de Hungariá Captivus Paganorum
Hoc factum revocavit Nam ratione varia
Hos duces Hungarorum Expulsos demonstravit
Hiis horis occupaverat Petrus Regnum Hunorum
Per Caesaris juvamen Hunosque aggravaverat
Haeredes et illorum Per multiplex gravamen
Tunc quidam ad Lithvaniam Expensam direxerunt
Principibus notatis Ob Petri Regis maniam
Eosque allexerunt In forma karitatis
Cum Petrus hoc perceperat Andream quod amavit
Cor nobile Hunorum, Quosdam ex illis ceperat

Et dire cruciavit
Cum illa peregisset Rex
Ab his exspectaretur
Hunorum ut gravamen
Tunc habitis consiliis
Ut protinus veniret
Hunc Regem elegerunt
Ut Praesules Presbyteros
Et vim Religionis
Et idola haberent
Tunc pressus Rex inopia
Regni illa admisit
Cleri Religionem
Tunc statim ydolatria
In castris Hungarorum
Tota exterminatur
Wiska Caussa efficiens
Iniqua sua prole
Idcirco semper luit
Rumpens colla a) horum
Et nullum sublevamen
Ad Schanadium venit Grex
Regis evelleretur
Andream vocaverunt
Et tunc adulti filiis
Ita ut consentiret
In Regno mox delerent
Ut Patrum servaretur mos
Pro cultu regionis
Propter ad^ptionem
Tunc Hungarorum copia
A Vita mox divisit
Et dulia causatur
Et sancta Christi latria
Et cultus beatorum
Istius rei fuit
A fide quod recessit gens
Sub gehennali mole.

Item in nota curiae mensurata illiterati Rhetoris aliud genus rithmicum, in quo dicitur, quomodo Wiska et Waka de Castro Beius interfecerunt sanctum Gerhardum Zanadiensem Episcopum cum ceteris Christianis.

Cumque Rex Petrus talia
In nocte per navalia
Ad Weissenburg profectus est
Et tunc Gerhardus Pontifex
Et dum hic legis opifex
Hae die ait fratribus
In nobis hiisque enarravit
Qualiter Christus procuravit hos,
Manum Christi, nec voluit
Percepit et audivit
Danubium transivit
Sed non immittitur
Andreae obviabat
In ara Dei stabat
Caedes committitur
Sompnium quod viderat
Bento sed amoverat
Assumere oblatam

a) In Ms. male: colles.

Hoc est quod Deus noluit   Hunc, rem velut ingratam
Ergo hic Praesul hodie   Non laureabitur.

Inde ad litus fluminis   Praesul et hii iverunt
Et sicut virtus Numinis   Disposuit venerunt
Waka et sui complices   Ac interficiunt
Cunctos sed sanctum Praesulem   Ad rupes eduxerunt
Et statim velut exulem   De saxo projecerunt
Et palpitantem rupibus   Morte afficiunt
Petraque caput contriverunt   Praesulis sanctissimi
Et sic electos prostraverunt   Dei impiissimi
Sed cruce beatissimus   Non potuit deleri
Gerhardi quamvis fluvius   Reddebat hunc Yberi
Frequenter per septimum   Tunc clero colitur.

Budlinus saxis, gladio   Betzfridus cruciatur
Sed in hoc stragis stadio   Bentho Praesul servatur
Andrea Duce nobili   Qui hiis temporibus
Advenit et praecipiens   Ne quisquam laederetur
A caede Hungarorum gens   Hoc verbo prohibetur
Nam pepercerunt Regis   Huni Honoribus
Sic universa sunt impleta   Christi quae praedixerat
Praesul Gerhardus et athleta   Fratribus dum vixerat.
Ad Weissenburg militibus   Andreas festinavit
Regalibusque ritibus   Hunc turba laureavit
Sic Petri ruit regimen   Regis Pannoniae.

Aliud genus rithmicum, in quo dicitur, quomodo Rex Petrus captus excoecatus est.

Rex Petrus hoc respiciens   Quod eum Hungarorum gens
Reliquit, ire gestiens   Ducatum ad Australium
Tunc Rex Andreas famulos   Direxit ei ut per hos
Rediret Regni ut est mos   Sub conductiva talium
Sed rex redire noluit   De quo plebs ducis doluit
Et hunc arctare voluit   Ad Ducem ut rediret mox
Tunc Petrus cum militia   Senicie saevitia
Resistens in moestitia   Quousque advertabat nox

Tamdiu movebatur lis   Quod tota declinavit vis,
Petri in cunctis famulis   Sic irretitur nisibus
Tunc Huni in hac curia   Cuncta rumpunt tuguria
Tandem illorum furia   Petrus praedatur visibus
Tractaturque viliter   Ab illis non civiliter
Offerturque hostiliter   Andreae cum ruboribus.
Nam nulla persistentia   Regis quam non clementia
Firmat, nam violentia   Conteritur fragoribus
Potestas est instabilis   Decliva atque labilis
Quam actus commendabilis   Non servat ac Justitia.
Hoc dogma cunctis Regibus   Qui non insudant legibus
Sit speculum, ut gregibus   Non inferant supplicia
Nam Deus tanquam fimina   Sternit struit Regimina
Ulciscitur et crimina   Sub certo exigentia
Regis velut alterius   A summo ad inferius,
Pertingit et deterius   Evellit cum potentia.
Tandem Petrus terroribus   Illis paucis temporibus
Vixit et prae doloribus   Tributum carnis tribuit
Mors cujus et saevitia   Gallorum ac moestitia
Fuit quasi laetitia   Pannoniam reficiens
Hic in Quinqueecclesiis   Sepultus est facesiis
Absque Martis ethesiis   Ut Rex regali gloria
Sic Petri Regnum aruit   Quod pietate caruit
Et ideo disparuit   Elumbi cum memoria.

Item in Nota curie mensurata Fortis Popponis Rhetoris aliud genus rithmicum, in quo dicitur, quomodo Andreas Rex post mortem Petri Regis et Levente misit pro Bela fratre ad Poloniam.

Post casum Petri Regis et exitium
Andreae regnum cepit mox initium
Tunc fides Christi Rege renovatur
Tunc obiit Levente ydolatriae
Cultor, germanus Regis et non latriae,
Hic Dux in villa Toxim subterratur
Nam Paganorum coluit
Sectam sed ritum Dei respuebat

Ergo hunc Deus noluit
Sed nece sectam ejus rescindebat a)
Tunc Rex insigni gemitu
Se solum jam existere respexit
Ac in doloris fremitu
Pro Bela ad Poloniam direxit.
Qui Ladislaum genuit
Haeredem atque Geysam
Dum hic legatos respicit
Non despicit
Sed se armavit gentibus
Itineris ad reysam.

Hungariam sic Bela cum milicia
Venit, quem Rex suscepit in laetitia
In trinas partes Regnum et divisit
Quarum Rex binas servans sed cum tertia
Belam ditavit cordis ex solertia
Quod tota gentis Natio permisit
Fratrum amor non marcuit
Scaturiens ex fonte pietatis
Nec se in sinum arcuit
Nam fronduit fronde karitatis
Tandem Rex ad conjugium
Se dedit genuitque Salomonem
Et David, hoc refugium
Laetificat totalem Regionem
Produxitque Geörium
Sed hunc ex Concubina
Sed haec prolificatio
Causatio
Rixae futurae fuerat
Atque livoris spina.

a) In Ms. sic: nece sem. ejus resciebat.

Tunc Imperator gente multifaria
Pusonium obsedit in Hungaria
Intendens Regem Petrum vindicare
Et cum ibi fere duobus mensibus
Stetit, nec minis, praeda, nec cum ensibus
Valet urbem praefatam expugnare
Tunc Civitatem deserens
Totalique militia recessit
Anno secundo rediens
Et coetibus Hungariam oppressit
Tunc Rex Andreas semine
Fructus villas et omnia combussit
Expensa ut a nemine
Haberi possit, cunctaque concussit
Tunc Caesar nemus transiens
Pervenit gente sana
In maxima militia
Saevitia
Fretus in illis finibus
Usque Bedonch montana.

Aliud genus rithmicum, in quo dicitur, quomodo Episcopus Gwebrach misit literas de Jaurino Henrico Imperatori, et nuncius captus est Rege ab Andrea.

Tunc Praesul cum inmensa
Ope in ripa fluminis
Jaurinum et Augusto
Misit ac sincerissime
Ut ei enodaret
Adductis rebus navibus
Et dum hic vector cartae
Tunc atra adventabat nox
Et Regi praesentatur
Perspexerat, ad litteram a)

Gebhardus venit numinis
Danubii expensa
Henrico occultissime
Kartam more venusto
Quid ageret cum gravibus
Et ubi expectaret
Ad Caesarem festinat mox
Et irretitur arte.
Andreae qui cum literam
Responsio dictatur

---

a) In Ms. legitteram.

Pontifici praefato — Tanquam haec Caesar diceret
Quod ei plebs deficeret — Velut hero ingrato
Ne ergo diu staret — Sed visis his praesentibus
Cum rebus atque gentibus — Ad partes remearet.
Tandem Andreas votum — Requirens et auxilia
Quod Imperator filia — Mox adimplevit totum
Secundum quod juravit — Et tunc Andreas filium
Ad Caesaris consilium — In Regem coronavit
Corona Regionis — Cor Belae sed infremuit
Et prae furore gemuit — De gradu Salomonis.

Item Prosa, in qua dicitur, quomodo Bela vicit Andream Regem bello, et excoecavit Regem Bohemorum.

In unctione Bela — Dum staret Salomonis
Et coetus promsit: Esto — Fratrum Tuorum herus
In laureatione Regum — Sicuti decantatur
Mox petit hujus cantus — Interpretationem
Quam quidem a) dum audisset — Ad Ducem Polonorum
Confugit prae furore — Conqueriturque status
Sui depressionem — Hoc viso Rex Andreas
Ad Caesarem Heinricum — Direxit Salomonem
Tandem catervis tribus — Ad Titiam perrexit
Dux Bela contra fratrem — Regem Pannoniorum
Sed ducem Bohemorum — Cum aliis duobus
Principibus Germanis — Andreae destinavit
Caesar in sublevamen — Sic quod utraque parte
Gens erat sine meta — In castris autem Ducis
Grex latior Hunorum — Fut nam hunc amabant
Et sic congrediuntur — Banderiis erectis
Fit gentium pressura — Fragorque resonabat
In aethere crudelis — More tonitruorum
Hastarum ex rupturis — Tamdiu fluctuabat

---

a) In Ms. quodam.

Grex hujus et illius In hac collisione
Quod tota declinavit Virtus atque vexillum
Regis Pannoniorum Tunc Principes Almani
Cum Bohemorum Duce Irretiuntur bello
Bohemiaeque Ducem Mox Bela excoeccavit
Sed caeteros dimisit Absque offensione
Tunc Rex Andreas fugit Ad locum Insularem
Qui Colon nuncupatur. Ibidem detinetur
Offerturque Germano Regali sub honore
Hinc breviter dolore Pressus carnis tributum
Solvit et tumulatur In templo Amiani a)
Beati quod construxit.

Item genus rithmicum septem sillabarum faciens combinationem rithmicam in termino aequivoco, in quo dicitur, quomodo Bela post hanc victoriam regnavit tribus annis et sepultus est.

Postquam Andream letum Clausit, Bela se laetum
Reddit et ob profectus Ad Albam est profectus
Innumeris cum equis Ordinibus ut aequis
Assumeret coronas Cur Deus sic coronas
Ingratum velut mundum Forte punire mundum
Tu vis cum Rege malo Ut navem rupto malo
Cum sic ad urbem ire Vellet Hunnorum irae
Petunt occidi flamen Tunc Bela ad hoc flamen
Gliscit, diebus tribus Inducias quas tribus
Hunnorum dedit trita In fraude die trita
Blasphemat Dei verbum Hoc cum audisset verbum
Bela in multis iris Succensus velut Iris
Prostravit gentes feras Mucrone tanquam feras
Instaurans Christi fidem Per diri Martis fidem
Hinc ivit per districtus Ut arbiter districtus

---

a) In Ms. Amani.

Pacem quoque parabat
Latronesque parabat
Tormentis et affecit
Uti canon affecit
Tandem ruens de equo
Ex jure Dei aequo
Prostravit nam Germanum
Nocivum ut Germanum
Sic nomen atque fatum
Ei dictavit fatum.
In Zukzard claustro jacet
Quod struxit mors sic jacet
In tormentorum altum
Depressum velut altum
Et sic uterque aret
Qui regnat et qui aret.

Item in Nota mensurata, quae nigra spina dicitur, Nythardi Rhetoris, aliud genus rithmicum, in quo dicitur, quomodo Henricus Imperator promovit Salomonem generum suum ad Regnum Pannoniorum.

Cum Salamon audiverat
QuodBelam mors contriverat
Henricum precabatur
Imperatorem Soeerum
Qui cum catervis procerum
Eidem suffragatur
Sic Salomon Pannoniam
Intravit
In Weizzenpurg quem natio
Totaque Dominatio
Hunnorum laureavit.

Tunc Geysa Belae filius
Venit quanto hostilius
Se potuit armare
Ac Regem cum militia
Electum et militia
Conatur supplantare
Propago quod Hunnorum non
Permisit.
Sed hunc in Regem approbat
Geysam ut Ducem elevat
Eosque sic divisit.

So-

Deinde secundario
Sopito Marte vario
A. Geysa laureatur
Rex in Quinqueecclesiis
Ac Regiis facesiis
Regnum ejus firmatur a)
Sic Salomon cum patruis
Unitur
Tunc vellitur e medio
Hunorum Mars cum taedio
Rixaque sepelitur.

Aliud genus rithmicum, octo syllabarum, in quo dicitur, quomodo propter reconciliationem Salomonis et Geysae Bohemi spoliaverunt Trenzensium districtus, et deduxerunt captivos sine meta.

Post Ducum concordantiam
Et pacis observantiam
Bohemi in saevitia
Venerunt cum militia
Districtum ad Trenzensium
Et hunc in ore ensium
Disterminant exiliter
Captivosque hostiliter
Duxerunt cum potentia
Tunc Salamon clementia
Notus Gentem Hungariae
Adunat sine carie
Cum Geysa Duce nobili b)
Bohemiam ingreditur
Ibidem omnis laeditur
Reus atque innocuus
Ut hoc dictavit docuus
Canon et legis normula
Justitiae nam formula
Est reddere judicium.
Prout requirit vitium
Tunc ibi Gygas cernitur
Qui a Martino sternitur
Quem Salamon ditavit tunc
In prole ut apparet nunc
Postquam illud praeteriit
Et gigas hic interiit
Cuncta disrupit atria
Ac urbes in hac patria
Ac civitatum moenia
Et castra sine venia
Tulitque animalia
Resis atque brutalia
Inde ad preces iverat
Postquam hostes contriverat
Tunc Tartarorum feritas
Horrendaque austeritas
Pressit fere totaliter
Pannoniam lethaliter
Et turbinis discordia
Absque misericordia
Mares atque Viragines

---

a) Ms. habet: firmavit.

b) Hic rithmus nunc etiam in Ms. emansit.

Regis summi imagines
Traxerunt namque numina
Uti reatus sitiunt
Ac Geysa Princeps ut Triphon
Et vadum Mezos occupant
Per vadum ire gestiens
Sed Grex gentilis torruit
Et velut nix disparuit
Gentis suae exilium
Ad montis praecipitium
Tunc Huni sumunt spicula
Arcem virtute Numinis
Gens fere tota moritur
Rex Salomon in gloria
A Tartaris Catholicos.

Cum restibus per flumina
Peccantes sic afficiunt
Tunc Ladislaus Salomon
Per nemora accelerant
Tunc venit Tartarorum gens
Tunc Rex in illam corruit
Succumbit atque aruit
Tunc Osla Rex gentilium
Videns atque ejitium
Fugit multa plebicula
Ascenduntque cacuminis
Ibi conflictus oritur
Gentilis sic victoria
Hac die liberavit hos

Item in Nota Curiae mensurata Cancellarii Rhetoris allud genus rithmicum, in quo dicitur, quomodo beatus Ladislaus et bello praedicto multis vulneribus vulneratus est, et quandam Virginem invocantem nomen ejus de manibus cujusdam Tartari liberavit.

In marte, quo Rex Salamon
Dux Ladislaus legitur
A quo Virgo ut Absolon
Dextrarioque vehitur
Dolorque indeficiens
Lamentabatur
Hanc Dux juvare sitiens
Luctabatur
Cum Virgo mota flamine
Gentilis
Mox Tartarus gravamine
Virilis.

Turmas vicit Gentilium
Fuisse Agonista
Candens poscit auxilium
Gentili a Sophista.
Ejus erat dire

Diuque cum pagano

Pedem praecidit de labre

Ictus ruit vis ejusque

Paganu m dum prostraverat
Astri Regis auxiliis
Mox virgo decollaverat
Letalibus exiliis
Tradit tyrannos seculi
Deprimuntur
Ut sint in forma speculi
Puniuntur
Itaque manus foeminae
Fidelis
Ex solo vernis semine
Crudelis.

Rex et cum Mars perficitur
Manuque gigantina
Hunc ense tanquam dicitur
Sic ultio divina
Quive in orbe justi

Ex causaque reatus

Cervicem amputaverat

Qui forsitan processerat

Ita edax in Lybano
Ut Canon dictat docuus
Ergo in mortis clybano
Nam actus ejus nocuus
Nam tubae Evangelicae
Cum Propheta
Leges quoque Angelicae
In hac meta
Qua messuit nec aliter
Atque axis
Mensurans cunctis taliter
Praxis.

Ut Cedrus flatu torruit
Nam multos hic oppressit
Emarcuit et torruit
Herum suum compressit
Concordant in hoc summe

Quod omni metietur

Nam Deus libra fertur

Falsigrapha ut requirit

Aliud genus rithmicum septem sillabarum, in quo dicitur, quomodo Bulgari post victoriam Regis Salomonis intraverunt Hungariam, ac spoliaverunt magnam peciam regionis.

Tunc Bulgari venerunt
Per ripam Saw vocatam
Et cuncta deduxerunt
Ad fines cum rapina

Ad Albam et iverunt
Infantem pecus natam
Statimque redierunt
Et tunc doloris spina

Rex Salomon pungitur	Militiaque citur
Totius regionis	Quae venit cum colonis
In motu furibunda	Et tunc in Slankamunda
Consilia tractabat	Rex naves et armabat
Ut talia ornantur	Tunc Graeci vagabantur
Cum navibus in undis	Qui Hunis furibundis
In ampne obviabant	Rogumque jaculabant
Hunorum ad Liburnos	Labores sic diurnos
In Lymphis tenuerunt	Tunc Graeci fugierunt,
Sparsim ad Civitatem	Tunc Huni Majestatem
Fortem exercuerunt	Nam machinis jecerunt
Murosque rumpunt urbis	Sed Bulgari cum turbis
Viriliter resistunt	Tunc Hunni his insistunt
Sed nihil profecerunt	Tunc Bulgari miserunt
Pro gentibus Bessorum	Ad metas Bulgarorum
Quae illico venerunt	Tunc Hunni occurerunt
Illis in armatura	Tunc oritur pressura
In gentibus crudelis	Hii ensibus hi telis
Perdite conflixerunt	Tandem interierunt
Bessorum armaturae	Sic quod in tali rure
Liquor cruoris fluxit	Unda cujus deduxit
Ad modum fluviorum	Cadaver occisorum
Tunc Salomon sedebat	Cum Geysa ut decebat
Quosdam super lapillos	Tunc properant ad illos
E Marte cum Captivis	Extinctis atque viris,
Hunni horrendo more	Ob hoc ut prae timore
Hi urbem resignassent	Seseque subjugassent
Regalibus edictis	Ut congruit convictis
Tunc hii non timuerunt	Sed mentes induerunt
Viriles atque fortes	Et se ad omnes sortes
Disponunt gravitatis	Atque prosperitatis

Item in nota mensurata, quae Crudon dicitur, Reymari de Zwetel Rhetoris, aliud genus rithmicum, in quo dicitur, quomodo, urbs praefata per traditionem fuerat expugnata.

Cum plebs Bessorum sternitur,
Et Princeps horum Kazar in fuga cernitur
Et tunc Virago fuit in urbe capta de Hungaria
Quae ex instinctu coluit
Natali Hunos et sic jam stare doluit
Nam erat irretita oppressione multifaria
Illa urbem clandestine incendit
Hunorum quam ferocitas deprendit
Hostiliter sic expugnatur
Atroci militia
Horrendaque saevitia
Cum ignibus et hoste cruciatur

Cum urbs ex flamma corruit
Ac Bulgarorum Virtus totalis torruit
Tunc Nychota dux horum cum paucis fugit extra moenia
Sic Hunni urbem capiunt
Aurum argentum pecus et cuncta rapiunt
Tunc Nichotae cum suis a Salamone datur venia
Sed vitam hi corpusque exemerunt
Sed plurimi ad Geysam pervenerunt
Sciverunt namque pietatem
Ducis immutabilem
In cunctis quoque stabilem
Et fugiunt Regis austeritatem.

Hoc Salomon considerans
Et mox captivos illos in tres desiderans

Dividere partias et Duci Geysae dare tertiam
Illustris Dux quam noluit
Nam qualitatem legis in conctis coluit
Ergo schisma subortum est Salomonis per inertiam,
Quod vincere Dux gliscit pietate.

Emerici Bubek, Judicis Curiae R.

Regestrum de Thuroch

ddo 27. Sept. 1391. expeditum.

Monumentum ad rem diplomaticam Hungariae illustrandam plurimum faciens.

Regestrum de Thuroch.

A. 1391. 27. Septemb. a)

Nos Comes Emericus Bubek, Judex Curiae Serenissimi Principis Domini Sigismundi Dei Gratia Regis Hungariae, Dalmatiae etc. Marchionis Brandenburgensis etc. ac inter caeteros honores Comes Liptoviensis notum facimus universis praesens scriptum inspecturis. Quod cum Celsitudo ipsius Domini Nostri Regis pullulata multiplicatione maleficorum ac pravorum et iniquorum actuum Joannis Literati maledictae memoriae pridem pro suis subsequentibus factis malitiosis juxta suum demeritum per Nostrum Vice Comitem et Judices Nobilium in praesentia Nobilium et alterius Status hominum dicti Comitatus Liptoviensis supplicio ignis incendii condempnati: In cujus videlicet domo et scrinio

a) Vide infra §. XXVIII. Exemplar, ex quo registrum hoc fideliter exscripsi, pertinebat olim ad cel. Matth. Belium, et sequenti annotatione inviationem praebente provisum erat: „Anno Domini MDCCXXVII. „Maii 26 et 27. ad instrumentum s. Diploma au„thenticum in Archivo Comitatus Thurocziensis re„positum perquam diligenter corrigebat Andreas „Czemanka Trnoviensis.“ Eratque exemplar idem per totum manu dicti Czemanka scriptum.

nuper multa falsa sigilla, literae nequitiosae et Registra inventa fuerant et repertae, praefatoque Domino Nostro Regi ac Praelatis et Baronibus suis ad Budam extiterunt apportatae et exhibitae, per ipsosque Dominum Nostrum Regem, Praelatos et Barones suos stupenda admiratione revisae et perlegi factae, sub eorundem sigillis inclusae, nostris manibus ad conservandum et ad dictum Comitatum de Thuroch deferendum et subscripto modo coram Universitate Nobilium exponendum et promulgandum erant traditae et assignatae; Praelatorum suorum et Baronum maturo consilio praehabito, pro exterminatione hujusmodi erroris et periculi, quod juribus ejusdem Domini nostri Regis ac memoratorum Nobilium praedicti Comitatus de Thuroch et aliorum Regni possessionatorum Hominum ex praemissis evenisset et posset evenire in futurum: Nos ad Congregationem generalem Universitati Nobilium praedicti Comitatus de Thuroch celebrandam sua regia authoritate suffultum destinasset, committendo et praecipiendo firmissimo Regio sub edicto, memoratis Nobilibus dicti Comitatus, ut iidem unanimiter ad ipsam congregationem nostram celebrandam confluere, juratosque Assessores more solito praeficere, et universos nocivos homines extradare, ac in omnibus, signanter superius latius explicatis, Judicio et Judicatui nostro parere et reverenter obedire, ac universa eorum literalia instrumenta super juribus eorum possessionariis ac libertatibus quoquo modo hactenus emanata pro tollenda praemissa ambiguitate per Nos sagaciter revidenda, in sigillis et scripturis supreme examinanda plenarie et indilate Nobis afferre et apportare, recepturi quid juris ratio exigit et requirit; justos tamen non offendere et pravos non defendere deberent et tenerentur. Volensque et literis suis mediantibus nobis firmiter praecipiens idem Dnus

noster Rex, ut possessiones illorum, qui fortasse ex ipsis Nobilibus sua literalia instrumenta Nobis afferre, et exhibere recusarent, imo si rei et culpabiles palam in his reperti fuerunt, confestim pro Sua teneremus Majte venum dare, et per donationem etiam ejusdem tribuere et conferre suis regiis fidelibus quibus mallemus, plenae Regiae auctoritatis potestate nobis in hac parte attributa. Nosque ex ipso speciali et literatorio Regio edicto feria quarta proxima ante festum b. Michaelis Archangeli in villa Zenth Marton vocata Universitati Nobilium dicti Comitatus de Thuroch congregationem celebrassemus generalem, extunc in ipsa Congregatione nostra generali inter omnia alia Regalia mandata praescripta universa literalia instrumenta praedictorum Nobilium dicti Comitatus de Thuroch coram nobis singillatim per eosdem afferri et exhiberi petivissimus.

§. 1. *Super possessione Ochklehotaja.*

Tandem Thomas filius Herchud exhibuit nobis quasdam quinque literas, duas videlicet Dni Georgii Bubek, pridem Magistri Tavernicorum Reginalium, unam privilegialem et alteram patentem, ambas feria quarta proxima post festum Epiphaniae Domini in anno ejusdem MCCCXC. super concambiali donatione cujusdam terrae Ochklehotaja vocatae per ipsum Dominum Georgium Bubek, tunc Comitem Liptoviensem et de Thuroch in concambium Scultetiae, videlicet Liberae Villae Regalis Bella vocatae, quam prius idem Thomas filius Herchud tenuisset, et conservasset, eidem Thomae cum omnibus suis utilitatibus titulo Nobilitatis datae et collatae, emanatas. Tertiam Domini Nostri Sigismundi Regis super confirmatione praescriptae donationis concambialis per praedictum Dominum condam Georgium Bubek

praemisso modo factae et nova donatione concambiali praescriptae terrae Ochklehotaja vocatae memorato Thomae filio Herchud per ipsum Dominum nostrum Regem titulo sincerae Nobilitatis perpetuo facta, Budae tertio die festo inventionis S. Crucis in anno Domini MCCCXC. sub secreto suo sigillo patenter confectam. Quartam vero et quintam Conventus de Thuroch, unam feria tertia proxima post festum ascensionis Domini super legitima statutione terrae Ochklehotaja, et aliam in festo b. Bartholomaei Apostoli super erectione metarum dictae terrae, ambas in praedicto anno privilegialiter exaratas, vere et legitime emanatas. Asserens, plures facto in praemisso se non habere.

§. II. *Super possessione Zábor.*

Item Johannes filius Pauli de Zabor exhibuit nobis quasdam duas literas unam Domini Belae Regis privilegialem, super confirmatione et remissione cujusdam terrae olim Kossuth et Vayczlo pro eisdem per ipsum Dominum Belam Regem facta, ac metarum ejusdem erectione Anno Domini MCCLXIII. Regni autem sui anno 28. privilegialiter emanatam, et aliam Comitis Jacobi de Scepus, olim similiter Judicis Curiae Regiae in villa Mayos, secundo die congregationis ejusdem Generalis in dicto Cottu de Thuroch, in festo b. Laurentii Martyris anno D. MCCCLXXIV. celebrata exortam. a) In qua idem Comes Jacobus Dragul Vice Comiti dicti Cottus de Thuroch scribendo amicitiam ejusdem requisivisset, ac eidem auctoritate Regia commisisset, ut Johannem filium Pauli de Zabor, Nicolaum, Stephanum et Ladislaum fratres

---

a) Fors exaratam. Nota Ed.

ejusdem ac Joannem filium Thomae de Eadem, quorum literalia instrumenta super dicta possessione Zabor sub pendenti sigillo olim Domini Belae Regis confecta haberi vidisset, et in Registro ipsius Domini Nostri Regis eadem instrumenta acceptata et approbata facta conspexisset, in eadem possessione eorum absque ulla novitate conservaret, et si quas intra metas possessionis ipsorum occupasset, eisdem resignare deberet. Quae literae vere et juste factae tenebantur.

§. *III.* *Super possessione Jezen.*

Item Petrus filius Johannis et Johannes filius Michk de Jezen exhibuerunt nobis quoddam privilegium Domini Ladislai Regis super perpetuali collatione cujusdam terrae Jezen vocatae in Comitatu de Thuroch exaratas per eundem Dominum Ladislaum Regem Michk, Petro et Stephano filius Magye pro eorum fidelitatibus sub metis in eisdem conscriptis perpetuo datae. Anno D. MCCLXXI. Regni autem sui anno secundo emanatum, verum et justum. Asserens plures praeter literas confirmatorias ejusdem Domini Ladislai Regis non habere.

§. *IV.* *Super possessione Vyffalu.*

Item Dominus filius Caroli de Vyffallu exhibuit nobis quoddam privilegium Domini Ladislai Regis super donatione et legitima statutione ac metarum erectione terrae Vyffalu vocatae in Cottu de Thuroch existentis per ipsum Dominum Ladislaum Regem Muryn, filio Gregorii factis Anno Dom. MCCLXXII. Regni autem sui anno primo confectum. Asserens, plura non habere.

§. V. *Super possessione Mossoweth conditionali.*

Item Johannes filius Jacobi de Mossoweth exhibuit nobis quoddam privilegium Domini Belae Regis anno Dom. MCCLXIX a) Regni autem sui anno 24. emanatum, continens in se confirmative de verbo ad verbum literas Comitis Michaelis de Zolyom et de Scepus, super quadam concordia seu conventione inter Dochyk, Urbanum, Salmam et Michaelem ab una ac Vask, Milech et Jank parte ab altera in facto divisionis terrae ipsorum ad duo et dimidium aratri sufficientis confectas, verum et justum. Asserens plura non habere.

§. VI. *Super terra Othmar conditionali.*

Item Andreas filius Johannis exhibuit nobis Privilegium Dom. Belae Regis anno ab incarnatione Domini MCCLVIII. quinto Kalendas Augusti, Regni autem sui anno 23 emanatum, in quo continebatur, quod idem Dominus Bela Rex Paulo filio Banana b) et Ladislao filio Vahud, filiis Jobagionum de Thuroch, ad terram eorum unius aratri, quae prius ad usum eorum non suffecisset, terram similiter unius aratri penes eandem priorem terram eorum existentem, perpetuo contulisset. Ita tamen, quod sicut populi de Thuroch, sic et ipsi de singulis sex mansionibus unum armatum ad suum Regium exercitum mittere tenerentur. Metae autem ipsarum terrarum duorum aratrorum in eodem continentur. Verum et justum. Asserens, plura non habere.

---

a) Rectius 1259.

b) Forte; Barena. Nota Ed.

§. VII. *Super eadem terra conditionali alio nomine Sernowicha.*

Item Paulus filius Andreae et Andreas filius Miko, Stephanus filius Martini, Nicolaus filius Johannis in suis et aliorum fratrum ipsorum personis exhibuerunt nobis tres literas, unam de Domino Bela Rege loquentem, sub quodam fracto et corrupto sigillo annullari rubeae cerae impresso consignatam in festo b. Sixti Papae Anno Dom. MCCLXVI. emanatam, in qua continebatur, quod idem Dominus Bela Rex, sicuti in suo Registro dudum confecto invenisset contineri, Paulum, filium Burene, et Ladislaum, Gregorium, Itimerium et Benedictum filios Vahud fuisse et esse veros Nobiles, filios Jobagionum. Ita eosdem in eadem libertate cum filiis suis reliquisset perpetuo duraturos, terram duorum aratrorum Sernowicha vocatam mensurando, sub certis metis fecisset assignari, sub conditione in eadem expressa. Aliam autem Conventus de Thuroch, privilegialem, anno Dom. MCCXCIV. confectam continentem, quod Ladislaus filius Vahud cum filiis suis Dominico, Tyba, Thoma, Vaiszlao et Iwanka ab una parte; Nedelich et Lodomerius filii Gregorii ac Theodorus filius Itimerii ab altera coram ipso Conventu constituti, idem Ladislaus dixisset, quod cum per Gregorium et Itimerium fratres suos super possessione ipsorum ad accipiendum privilegium Belae Regis fuisset transmissus, tunc volens pro redemtione dicti privilegii minus pretium solvere, nomina eorundem Gregorii et Itimerii fratrum suorum obmittens, se ipsum in dicto Privilegio fecisset nominari. Igitur per ipsos fratres suos ordine judiciario fuisset coactus, literas ejusdem conventus eisdem Nedelich, Lodomerio et Theodoro conferens, eosdem aequaliter secum fore participes in dicta possessione affirmasset, et eandem pos-

sessionem inter se modo et ordine in eisdem literis declarato, divisissent. Tertiam vero ejusdem Conventus de Thuroch feria sexta proxima ante Dominicam Laetare anno D. MCCCLXVI. privilegialiter confectam, praeattactas priores literas praedicti conventus transscribentem. Asserens plures non habere. Veras et justas.

§. VIII. *Super Jordan conditionali.*

Item Georgius filius Tenk exhibuit nobis Privilegium D. Belae Regis super collatione terrae trium aratrorum de villa Jordan in Cottu de Thuroch existenti per ipsum Dom. Belam Regem Thomae Mathiae et Benae filiis Jobagionum Regalium sub servitutis conditione perpetuo datae. Anno Dominicae incarnationis MCCXLIX. octavo Idus Maii Regni autem sui anno 14. exortum, verum et justum. Asserens plures non habere.

§. IX. *Super terra duorum aratrorum de Jordan conditionali.*

Item Andreas filius Iwanka exhibuit nobis Privilegium Domini Belae Regis super donatione terrae duorum aratrorum de terra Jordan Iwanchae, calvo filio Jobagionum regalium de Thuroch, per ipsum D. Belam Regem sub dicta conditione datae Anno Dom. MCCLXII. sexto Calendas Nov. Regni autem anno 28. emanatum, verum et justum. Asserens plura non habere.

§. X. *Super possessione Ruthk.*

Idem Ladislaus et Georgius ac Michk dicti Fees de Ruthk exhibuerunt nobis quasdam sex literas, unam Domini Ladislai olim Regis Hung. super restitutione et resignatione cujusdam terrae

Ruthk

Ruthk vocatae per ipsum Dominum Ladislaum Regem Stark, Paulo et Nicolao Ruthk, Bogomel, Hana, Jaco, Iwan, Myko, Thomae, Malicha, Wichk, Benjch, Nemechlen, Liptow et Dwink facta in octava festi b. Jacobi Apostoli anno Dom. MCCLXXXV patenter emanatam. Aliam Domini Caruli, olim similiter Regis Hung. similiter super restitutione dictae terrae Ruthk vocatae, per eundem D. Carulum Regem Lorando, Ottoni et Joanni eorundemque cognatis et proximis, quibus convenit, facta, in festo b. Lucae Evangelistae anno Dom. MCCCXL. confectam. Tertiam Domini Ludovici pridem piissimi Regis Hung. anno Dom. MCCCLXIX. privilegialiter confectam praetactas literas Domini Caruli Regis patentes transscribentem et confirmantem. Quartam Capituli Ecclesiae Strigoniensis anno Dom. MCCCLXXXVII. exortam, tenorem praescriptarum literarum Dom. Ladislai Regis patentium in se transscriptive continentem. Quintam vero et sextam Comitis Stephani Bubek, olim similiter Judicis Curiae Regiae Privilegiales super adjudicatione dictae possessionis Ruthk vocatae sub uno sensu verborum sedecimo die Octavarum festi b. Mich. Archangeli anno Dom. MCCCLX. exortas, veras et justas. Asserentes plures non habere.

§. *XI.* *Super possessione Zaturcha.*

Item David, filius Pauli de Zenth Peter exhibuit nobis quasdam sex literas, duas videlicet olim Dom. Belae Regis Hung. unam super constitutione jobbagionum Regalium, super donatione terrae octo aratrorum, per ipsum Dominum Belam Regem Mechk, Ztremen, Merthon et Drachmel filiis Uzda facta anno Dom. MCCLV. quarto decimo Kal. Nov. Regni autem sui anno 20. emanatam metas terrae ejusdem

E

in se continentem. a) Et aliam ejusdem Dom. Belae Regis super confirmatione libertatis Martini, Ztremen et Drachmel filiorum Uzda et Mechk, filii Mechk de Thuroch per ipsum D. Belam Regem eo modo, ut unus ex ipsis ad expeditionem Regiam, dum fieri contingeret, secum deberet proficisci, facta anno Domini MCCLXIII. quarta Kalend. Sept. Regni autem sui anno 28. b) Tertiam Dom. Stephani, olim similiter Regis Hung. super assignatione cujusdam particulae silvae juxta Melky, Wrutk et Prekopa existentis per ipsum Dominum Belam Regem Comiti Martino exstirpare concessae anno D. MCCLXXI. patenter confectam. Quartam Dni Lodovici pridem piissimi Regis Hung. super exemtione de servitiis, quae David filius de Wendegh, Anthonius, Johannes Ladislaus Matthaeus et Jacobus uterini, item filii Thomae, Petrus filius Martini, Petrus filius Michk, Nicolaus, Bregach, Demetrius, Jacobus filii Matthaei patrueles fratres ejusdem de terra seu possessione Zaturcha facere tenentur, ac aggregatione in numerum et coetum verorum regni Nobilium, die Dominico proximo post festum exaltationis S. Crucis anno Domini MCCCLXXX. sub secreto sigillo ejusdem emanatam. Quintam ejusdem Domini Ludovici Regis anno Domini in praedicto privilegialiter confectam praescriptas literas patentes dicti Dom. Ludovici Regis transscribentem et confirmantem. Sextam vero Magistri Johannis dicti Fodor Vicecomitis et 4. Judicum Nobilium de Thuroch super erectione metarum terrae generationis Drachmelii et terrae Vendegh, feria

---

a) Vide apographum totius hujus Diplomatis in appendice Nro 3.

b) Vide Dipl. hoc in app. Nro. 4.

quarta proxima post festum s. Matthaei Apostoli sub ao. Dom. MCCCXLIV. patenter emanatam, veras et efficaces. Asserens plures praeter numerum earundem non habere.

§. *XII.* *Super Vendegh.*

Item idem exhibuit nobis quoddam Privilegium D. Belae Regis in ao. D. MCCXLV. quarto Nonas Augusti Regni autem sui anno 10 super exemtione Uzda de servitio piscaturae per ipsum Dom. Belam Regem facta, ac collatione dictae terrae Vendeghi juxta terram suam haereditariam ex alia parte fluminis Thuroch existentem praefato Uzda et ejusdem haeredibus per eundem D. Belam Regem facta, verum et justum. Asserens, plura non habere.

§. XIII. *Super possessione Istebna in Cottu de Arwa existente.*

Item idem David exhibuit nobis quasdam tres literas, unam D. Lodovici pridem felicis Regis Hung. super exemtione a conditione servitutis unius lanceae, quam prius de possessione Istebnek vocata, in Cottu de Arwa existente decenter eidem facere debuissent, ac aggregatione in coetum et numerum sincerorum regni Nobilium, per ipsum Dominum Ludovicum Regem David filio Pauli de Vendegh, Antonio, Johanni Matthaeo et Jacobo fratribus ejusdem uterinis facta in Diosgyur secunda die circumcisionis Domini anno ejusdem MCCCLXXXII. patenter sub secreto suo sigillo emanatam. Aliam autem et tertiam Conventus de Thuroch, ambas feria quinta proxima post festum conceptionis b. Virginis in eodem anno Domini MCCCLXXXII super legitima statutione et reambulatione, ac metarum erectione dictae possessionis Istebna vocatae, unam patenter, et

aliam privilegialiter emanatas, veras et justas. Asserens plures, praeter tenores earundem se non habere.

§. *XIV. Super possessione Zenth Peter.*

Item idem David exhibuit nobis quasdam duas literas. Unam Dominae nostrae Mariae Reginae, super collatione cujusdam possessionis Zenthpeter vocatae per ipsam Dominam Nostram Mariam Regem praefato David filio Pauli factam, Budae feria 4ta proxima post Dominicam Laetare anno Dom. MCCCLXXXVI. patenter emanatam. Aliam autem conventus de Thuroch super legitima statutione dictae possessionis Zenth Peter anno in eodem privilegialiter confectam, veras et efficaces. Asserens se plures non habere.

§. *XV. Super possessione Nazpali.*

Item Georgius de Nazpal exhibuit nobis quoddam Privilegium Dni. Ladislai Regis super donatione dictae possessionis Nazpal ac legitima statutione et metarum erectione ejusdem, per ipsum D. Ladislaum Regem Johanni filio Marchonka factam anno Dom. MCCLXXXVII. Regni autem sui anno sedecimo confectum, et etiam literas Capituli Ecclesiae Strigoniensis anno Dom. MCCCXL. confectas, easdem literas Dom. Ladislai Regis transscribentes, veras et justas. Asserens plures non habere.

§. *XVI. Super terris duarum villarum Prebouch.*

Item Johannes filius Myke et Ladislaus filius Johannis exhibuerunt quasdam quinque literas. Unam olim Dom. Andreae Regis, patris Dom. Belae regis super collatione certarum duarum villarum nomine Prebouch ad usum

10. aratrorum sufficientium, per ipsum D. Andream R. Radon Comiti facta, sub anno gratiae MCCXXXV. Regni autem sui anno 32. privilegialiter, emanatam. Et aliam Dom. Lodovici pridem felicis Regis Hung. super restitutione et resignatione praedictarum terrarum Prebouch vocatarum per ipsum D. Lodovicum Regem Stephano Literato filio Johannis, ac Myke et Ladislao fratribus ejusdem facta sub anno MCCCXLIV. feria 2da post octavam festi corporis Christi patenter emanatam. Tertiam conventus de Thuroch super venditione medietatis cujusdam prati inter fluvium Blatnicha et rivulum Rakouch adjacentis per Abraham filium Chernik Benedictum et Pongracium filios Isow ac Lucam filium Barchor pro 5. marcis puri argenti Benedicto et Paulo filiis Madach, Johanni et Desk filiis Myke, Zubracha filiis Tobiae, Petro et Tompos filiis Philippi et Nicolao filio Walkan factam anno Dom. MCCCXXVI. privilegialiter confectam. Quartam Ladislai Praepositi Ecclesiae Chanadiensis Comitis Capellae et Secretarii Cancellarii condam Dom. Ludovici Regis secundo die festi S. Trinitatis anno Dom. MCCCLIII. super traditione Prebouch contiguae et commetaneae per Benedictum filium Abraham, Lucasium filium Bachor et Nicolaum dictum Ravaz filium Sezen de Racouch eodem modo, prout patres ipsorum antecessores ipsorum filiorum Johannis, dedissent Stephano Literato filio Myke, Ladislao et Johanni filiis Johannis de Prebouch in perpetuum facta confectam. Quintam dicti Conventus de Thuroch, 8. die quindenarum festi Nativitatis b. Johannis Baptistae anno Dom. MCCCLXIV. super legitima statutione quarundam duarum villarum Prebouch vocatarum ad literatorium Mandatum Dom. Ludovici Regis, Stephano filio Johannis et fratribus suis, nullo contradictore apparente facta, emanatam veras et justas. Asserens

adhuc plures plura habere, quae nondem forent in manibus eorum.

§. XVII. *Super Zarnotcha.*

Item Georgius Stephanus et Johannes filii Johannis, filii Pauli exhibuerunt nobis quasdam tres literas, unam olim Comitis Thomae Judicis Curiae Regiae privilegialem, super adjudicatione cujusdam terrae Sarnovicha vocata per eundem Comitem Thomam pro Dno Rege 4to die Octavarum festi b. Georgii Mathyris anno Domini MCCCL. emanatam. Et aliam Dom. Lodovici fel. recordationis Regis Hung. patentem, super donatione cujusdam particulae terrae duorum aratrorum Zarnocha vocatae in Cottu de Thuroch existentis per ipsum D. Lodovicum Regem Paulo filio Gyelethy perpetuo datae in quindienis festi Paschae Domini ejusdem MCCCL. praenotato confectum. Tertiam vero ejusdem Dom. Lodovici Regis sub anno Dom. MCCCLXI. privilegialiter exortam, praetactas literas ejusdem Dom. Lodovici Regis patentes de verbo ad verbum transscriptive in se habentem, et pro ipso Paulo filio Gyelethy confirmatam, duobus sigillis ejusdem pendentibus consignatam, veras et justas. Asserens, plures in facto praemisso se non habere.

§. XVIII. *Super Alberthfulde.*

Item iidem filii Johannis exhibuerunt nobis quasdam duas literas. Unam Capituli Ecclesiae Nitriensis super venditione possessionis Albertfelde vocatae per Jacobum filium Galli de Olmar et Petrum filium ejusdem pro 16. marcis denariorum Magistro Paulo filio Gyelethy de Zorkfalva, facta in festo b. Elisabeth Reginae anno Dom. MCCCLX. privilegialiter emanatam et aliam Conventus de Thuroch in crastinis

festi conceptionis b. Virg. ao. D. MCCCLXXVI. similiter privilegialiter emanatam, tenorem quarundam literarum patentium ejusdem Conventus de Thuroch super concambiali permutatione inter Gal, filium Jacobi et Jacobum filium ejusdem ab una, ac Paulum filium Gyelethy parte ab altera eo modo, ut idem Gal et Jacobus possessionem ipsorum Albertfelde vocatam eidem Magistro Paulo pro terra ejusdem emptitia contulissent, facta in Octavis festi b. Georgii Martyris anno Dom. MCCCXXVII. emanatorum transscriptive in se habentem, veras et justas, asserentes plures non habere.

§. *XIX. Super quarta parte possessionis Alfalu.*

Item iidem filii Johannis adhuc exhibuerunt quasdam literas dicti Conventus de Thuroch super extradatione quartae partis puellaris de possessione acquisititia emptitia et haereditaria de possessione Alfalu vocata per Petrum Johannem et Gyukau, filios Pauli, filii Gyelety Johanni et Nicolao filiis Stephani de Thuroch facta in festo b. Margarethae Virg. et Mart. a. D. MCCCLXVI. privilegialiter emanatas veras et justas. Asserens plures non habere.

§. *XX. Super quinta parte possessionum Kalnuk et Gynegh vocatarum.*

Item Nobilis Domina Clara, consors Nicolai filii Detrici de Zazfalva, ac Lucasius filius Ladislai filii Machk exhibuerunt nobis quasdam tres literas: unam Conventus de Thuroch privilegialem, super extradatione quintae partis totalis possessionis Gynegh et Kalnok vocatae, per Joannem filium Philippi, praesentibus homine Regio et ejusdem conventus testimonio nobili dominae Clarae vocatae filiae ejusdem Johannis consorti

vero Ladislai filii Machk facta feria 5ta prox. post festum decollationis b. Joh. Bapt. anno Dom. MCCCLXXVI. confectam. Et aliam Capituli Nitriensis super legitima statutione quintae partis possessionum Gynek et Kalnok vocatarum eidem Dnae Clarae facta anno Dom. MCCCLXXXI. similiter privilegialiter confectam. Ac tertiam Comitis Nicolai de Zeech pridem Judicis Curiae Regiae privilegialem, decimo die Octavarum festi b. Georgii Mart. anno Dom. MCCCXXXII. confectam, praetactas literas annotati Capituli statutorias de verbo ad verbum in se continentem et confirmantem. Veras et legitime emanatas. Asserens plures non habere.

§. *XXI. Super possessione Hodochin in Arwa existente.*

Item Nicolaus filius Dominici et Valentinus filius Dionysii exhibuerunt nobis quoddam privilegium Domini Lodovici pridem felicis Regis Hung. duobus suis sigillis pendentibus uno videlicet in Regno Boznae deperdito et altero novo dupplicibus consignatum super donatione cujusdam terrae circa fluvium Hodochin et Javra Pataka vocatos, ubi videlicet iidem fluvii invicem conjunguntur, in districtu de Arwa existentis, usui sex aratrorum sufficientis per eundem Dominum Ludovicum Regem Dominico filio Bodor et Dionysio filio Ladan datae et collatae anno Domini MCCCL. Regni autem sui anno quarto decimo confectum verum et justum. Asserentes plures non habere.

Item iidem exhibuerunt quoddam privilegium Dom. Ladislai Regis Hung. super collatione terrae Revissne in Arwa existentis metas ejusdem continens per ipsum Hotimero et suis haeredibus similiter anno D. MCCLXXII.

Regni autem sui anno praenotato emanatum justum et verum.

§. *XXII.* *Super Dankfelde.*

Item Paulus filius Laurentii de Bobonok exhibuit nobis quasdam tres literas: unam videlicet Conventus de Thuroch, super perpetuali venditione cujusdam terrae haereditariae per Dank, filium Vidas, Blasium et Ptenech, ac Paulum filium ejusdem Dank pro 10. marcis denariorum minus uno fertone, Paulo et Buda filiis Gyuge, sub metis in eisdem conscriptis facta anno Dom. MCCXCIII. Aliam vero Magistri Danch, Comitis de Zolio, super adjudicatione cujusdam terrae particulae Buda filii Gyuga emptitiae, quam Johannes filius Kewe requirere voluisset, et calumniator convictus extitisset, per ipsum Magistrum Danch eidem Buda filio Gyugae facta, in crastino quindenarum festi Epiphaniae Domini anno ejusdem MCCCXXXIV. Tertiam vero Magistrorum Nicolai et Johannis filiorum Gyelethi Conventus de Thuroch super adjudicatione cujusdam particulae terrae unius aratri pro eodem Buda filio Gyuge factam, anno Dom. MCCCXL. confectas et emanatas veras et efficaces. Et quia ipsa terra de possessione filiorum Jobagionum Widafelde vocata excisa, et praenominato Danch vendita diu fuisse dignoscitur, idemque Paulus filius Laurentii se et suos praedecessores de ipsa terra servitia filiorum Jobagionum nunquam fecisse dicebat, ideo ipsa terra ab eodem et suis fratribus tanquam celatoribus jurium regalium pro Dom. Rege debet occupari.

§. *XXIII.* *Super Biztricia.*

Item Paulus filius Nicolai Jacobus et Nicolaus filii Pooch et Stephanus filius Johannis

de Seniche exhibuerunt nobis quasdam quatuor literas. Unam olim Domini Caruli Regis Hung. privilegialem, mediocri suo sigillo in partibus Transsilvanis deperdito consignatam super confirmatione donationis Magistri Danch in facto possessionis Bisztrice vocatae ac legitima statutione et metarum erectione ejusdem pro Johanne filio Beke factam ao. Dnicae incarn. MCCCXXIV. tertio Kal. Maii Regni autem sui anno 24. privilegialiter emanatam. Et aliam Dom. Lodovici pridem piissimi Regis Hung. in festo b. Barnabae confessoris anno Domini MCCCXLVII. patenter confectam praetactas literas Dom.. Caruli Regis privilegiales de verbo ad verbum in se transscriptive et confirmative continentem. Tertiam autem Conventus de Thuroch super perpetuali donatione dictae possessionis Bistrice per praenominatum filium Johannem filium Beke Nobilem de Biztrice, inventorem ejusdem, Stephano filio Johannis filii Petri, Paulo filio Nicolai filii ejusdem Petri, Nicolao et Jacobo filiis Pooch, filii praedicti Petri, fratribus suis patruelibus facta, feria 6ta proxima ante festum b. Martini Conf. anno Dom. MCCCXLIX. exortam. Quartam autem ejusdem Dom. Lodovici Regis Comiti Nicolao de Zeech praeceptorias, super remissione et resignatione dictae possessionis Biztrice per Comitem Thomam, olim Judicem regiae prius occupatae directam in Wissegrad feria 3tia proxima ante festum ascensionis Dom. ao. ejusdem MCCCLVII. patenter confectam, veras et justas. Asserentes, plures non habere.

§. *XXVI. Super Vydafelde.*

Item Paulus et Blasius, Jacobus filius Dominici, Stephanus filius Martini in suis et aliorum fratrum ipsorum personis, exhibuerunt nobis quasdam tres literas privilegiales, unam

olim Dom. Belae Regis Hung. super concessione seu impetratione Jobbagionatus de Thuroch, et assignatione terrae 6. aratrorum, juxta Semoncha existentis, per ipsum Dominum Belam Regem Vidas et suis filiis factis anno Dom. MCCLXVI. in festo b. Sixti Papae sub pendenti annullari ejusdem sigillo emanatam. Et aliam Capituli Ecclesiae Nitriensis anno dominicae incarn. MCCLXXI. sub antiquiori ejusdem Capituli sigillo pendenti confectam, praetactas literas Dom. Belae Regis transscribentem. Tertiam autem Comitis Stephani Bubek, olim similiter Judicis Curiae Regiae, super perpetua adjudicatione et erectione metarum per depositionem juramentalem inter possessiones Nadaser et Sarnoucha - melleke erectarum, sedecimo die Octavarum festi b. Michaelis Archangeli anno Domini MCCCLXIV. privilegialiter editam, justas et veras. Asserentes, plures non habere.

§. *XXV. Super Gywlaffalva.*

Item Paulus filius Miko exhibuit nobis quasdam tres literas. Unam Comitis Thomae, olim Judicis Curiae Regiae, adjudicatoriam, octavo die octavarum festi b. Martini Conf. anno Dom. MCCCLI. emanatam. In qua propositio Johannis filii Johannis de Nachpal contra Joannem filium Gywla, Nicolaum et Michaelem filios suos, Paulum et Stephanum filios Myko, Andream, Michaelem et Petew filios Clementis, Nekras filium Nekras in facto separationis cujusdam particulae terrae per praedictum Johannem patrem suum eisdem collatae infigura judicii ejusdem Comitis Thomae facta, ac series quarundam literarum privilegialium olim Ladislai Regis Hung. per praenominatos Nobiles exhibitarum anno Dom. MCCLXXXVII. super collatione cujusdam particulae terrae duorum ara-

trorum Nachpal vocatae a parte silvae juxta fluvium Chemelniche adjacentis Byata Orthvan nuncupatae per Comitem Joannem filium Machonka in praesentia ipsius Dom. Ladislai Regis Gyulae et Arachk, filiis Pauli cognatis suis similiter in praesentia ipsius Dom. Lad. Regis constitutis perpetuo datae et collatae facta continebantur. Et aliam Conventus de Thuroch in crastino festi purificationis b. Virg. anno Dom. MCCCLXXVIII. clause emanatam, continentem inter alia: quod Homo Regius et Testimonium dicti Conventus de Thuroch, ab omnibus, quibus maluissent, realem scivissent, veritatem: Quod domus Pauli filii Myko de Gywlaffalva in eadem habita in festo b. Martini Conf. tunc praeterito, et omnia sua literalia Instrumenta ac proximorum suorum, tunc apud ipsum existentia in facto possessionum suarum et eorundem proximorum suorum emanata in eadem domo combusta extitissent. Tertiam autem Dom. Ladislai Praepositi et Conventus de Thuroch, super juramentali depositione per Paulum filium Myko super eo, quod privilegium condam Dom. Ladislai Regis per Nobiles de Gywlaffalva eidem Paulo assignatum in domo sua casualiter concrematum extitisset, et apud se non haberetur, juxta arbitrium proborum et nobilium virorum coram ipso conventu rite et legitime facta quarto die octavarum festi b. Mich. Archangeli anno Dom. MCCCLXXXVI. exortam. Asserens, plures non haberé. Et super praemissis literae nostrae pro eodem debent emanari.

§. *XXXVI. Super Rakouch.*

Item Dom. Jacobus Sacerdos et Laurentius filius Pauli exhibuerunt nobis privilegium efficax olim Dom. Belae Regis super donatione ac legitima statutione terrae Rakouch vocatae

per ipsum Dom. Belam Regem Eenük pro suis servitiis datae anno Gratiae MCCXLIV. decimo Kal. Dec. Regni autem sui anno 10. emanatam et metas dictae terrae seu possessionis in se continentem. Asserens, plura non habere.

§. *XXVII. Super Benefalva conditionali.*

Item Johannes filius Petri, et Martinus filius Johannis exhibuerunt nobis tres literas, unam Dom. Belae Regis super collatione terrae Bene per eundem Dom. Belam regem sub servitio filiorum Johbagionum Thomae Benedicto et Martino filiis Emerici datae anno Dom. MCCLXIX. Regni autem sui 34. privilegialiter confectam. Et aliam Conventus de Thuroch super resignatione terrae praedictae Bene vocatae Thomae filio Emerici per Magistrum Ponka, et Johannem Sacerdotem homines Regios ad restituendas terras filiorum Jobagionum destinatos anno Dom. MCCLXXX. in praesentia dicti conventus facta confectam. Tertiam Magistri Danch Comitis Zoliensis super donatione a) possessionis haereditariae Nicolai et Johannis ac Martini filii Beke, filii Emerici, ac Andreae filii Thomae inter eosdem sub metali distinctione facta, in festo S. Matthaei Apost. ao. Dom. MCCCXXXVII. veras et justas. Asserentes plures non habere.

§. *XXVIII. Super Udwarcz alio nomine Kossuth.*

Item Paulus et Andreas filii Kossuth de Udwarcz exhibuerunt nobis quasdam literas nostras affirmatorias super facto subtractionis universorum literalium eorum Instrumentorum

---

a) Forte divisione.

factum dictae possessionis eorum Udvarcz tangentium, septimo die Congregationis nostrae generalis Universitatis Nobilium Comitatus de Thuroch feria 4. prox. ante festum b. Mich. Archangeli in villa Zenth Marton ex Regio Edicto anno Dom. MCCCXCI. emanatas justas et veras. Asserentes plures non habere.

§. *XXIX. Super Kis Torbozlo.*

Item Johannes et Martinus filius Egidii exhibuerunt nobis quasdam tres literas. Unam Dom. nostrae Mariae Reginae super collatione possessionis condam Johannis filii Seraphil, hominis absque haeredum masculini sexus solatio decessi, Kis Torbozlo vocatae, per ipsam Dominam nostram Mariam Reginam Martino filii Egidii de Cholco perpetuo datae in Diosgyur feria 6. prox. post festum Pentecostes anno Dom. MCCCLXXXIII. patenter sub majori sigillo emanatam. Et aliam nostram privilegialem super adjudicatione dictae possessionis Kis Torbozlo et legitima statutione ejusdem per nos eidem Martino filio Egidii per formam juris contra nobilem Dom. Elisabeth vocatam, filiam Joannis filii Stephani Ivanka de Kis Torbozlo, Martinum et Benedictum filios Nicolai Lokonth ac Stephanum de Eadem factis, sedecimo die Octavarum festi b. Jacobi Ap. anno Domini MCCCLXXXIIIX. emanatam. Tertiam vero Conventus de Thuroch super participatione dictae possessionis Kis Torbozlo per praedictum Martinum cum Johanne fratre suo uterino facta in festo b. Jacobi Apostoli ao. Dom. MCCCLXXXIV. privilegialiter emanatam Veras et justas. Asserentes, plures non habere.

§. *XXX. Super alia Torbozlo.*

Item iidem exhibuerunt nobis duas literas: unam Dom. Sigismundi Regis Dni. nostri, super

donatione possessionis Torbozlo vocatae per ipsum Dominum Sigismundum Regem de castro suo Zklabonia vocato separatae et exemtae, et praenominatis Johanni et Martino filiis Egidii de Cholko perpetuo datae et collatae in villa Lipce feria 4ta prox. ante festum b. Margarethae Virg. anno Dom. MCCCLXXXIX. patenter emanatam. Et aliam Ladislai Praepositi et Conventus de Thuroch super legitima statutione et metarum erectione dictae possessionis Torbozlo vocatae, pro eisdem Johanne et Martino legitime factis feria 2da prox. post. f. divisionis Apostolorum in dicto anno MCCCLXXXIX. privilegialiter exortam. Veras et justas. Asserens: plures non habere.

§. *XXXI. Super Zenth Peter apud manus alienas habita.*

Item Petrus filius Dionysii exhibuit nobis quandam literam privilegialem Domini Caruli, olim Regis Hung. super donatione dictae possessionis Zenth Peter ac legitima statutione et metarum erectione ejusdem pro Thoma filio Dionysii factam, sub anno Domini MCCCXXIII. secundo Nonas Julii Regni autem sui similiter anno 23. emanatam. Asserens, plura in facto ejusdem non habere.

§. *XXXII. Super aggregatione in numerum Jobbagionum de Thuroch.*

Item Ladislaus filius Nicolai de Kalnok et Dominicus Magnus exhibuerunt nobis quasdam literas Dom. Lodovici pridem piissimi Regis Hung. sub suo sigillo mediocri apud Comitem Capellae suae Regiae habito in festo b. Emerici ducis et confessoris sub ao. D. MCCCLXXXI. privilegialiter emanatas, tenorem cujusdam privilegii olim Dni Belae Regis Hung. super aggre-

gatione in numerum Jobbagionum de Thuroch, et collatione terrae duorum aratrorum Obusk, ac terrae 6: aratrorum Obud, Preyslo, Bilegen, Naak, et Jacobo facta sub anno Gratiae MCCLV, Regni autem sui anno 20. exorti de verbo ad verbum in se transscribentes, veras et justas. Asserentes, plures non habere erga manus ipsorum, nisi apud manus fratrum eorum generationalium haberentur.

§. *XXXIII. Super libertate Civitatis Zenth Marthon.*

Item Judex et jurati Cives de Zenth Marton exhibuerunt nobis quasdam tres literas; unam olim Domini Caruli Regis super donatione libertatis Civitatis Korpona vocatae eidem Civitati de Zenth Marthon per ipsum Dominum Carulum Regem facta in Zolio feria 3tia proxima post f. b. Mich. Arch. ao. Dom. MCCCXL. emanatam. Et aliam Dni. Lodovici pridem felicis Regis Hung. super collatione cujusdam terrae Modle vocatae per ipsum Dom. Lodovicum Regem eidem Civitati Zenth Marthon facta feria 6ta prox. post f. Corp. Christi ao. ejusdem MCCCLI. patenter confectam. Tertiam vero ejusdem Dni. Lodovici Regis super exemtione solutionis tributi ad castrum Sklabonia vocatum, in eadem Civitate exigi consveti per ipsum D. Lodovicum Regem Civibus et hospitibus de dicta Zenth Marthon facta in festo b. Simonis et Judae Apostolorum anno Dom. MCCCLXIV. patenter exortam. Praeterea idem Judex et Jurati praesentarunt nobis quasdem Literas ejusdem Dni. Ludovici Regis super collatione cujusdam villae Ambus vocatae, a Castro Zklabonia vocato ablatae et ipsi Civitati Zenth Marthon ad censum annualem duodecim florenorum auri datae Zolii feria 6. proxima ante festum omnium Sanctorum anno

Dom.

Domini MCCCLXXVII. patenter editam. Veras et justas. Asserentes, adhuc plures habere.

§. *XXXIV. Super terra Nunssir.*

Item Matthias filius Andreae exhibuit nobis quoddam privilegium Domini Ladislai Regis in sua et fratrum suorum condivisionalium personis super donatione cujusdam terrae Nunssir vocatae in Thuroch existentis Matthiae filio Andreae in concambium alterius terrae suae Cheremle vocatae in Cottu de Lypto existentis, per ipsum Dominum Ladislaum Regem traditae ac legitima statutione et metarum erectione ejusdem anno Domini MCCLXXVIII. quinto decimo Kal. Augusti, Regni autem sui anno 7. emanatum, verum et justum. Asserens, plures non habere.

§. *XXXV. Super Bobownok.*

Item Jacobus filius Lachk exhibuit nobis quasdam tres literas. Unam Comitis Jacobi de Scepus olim Judicis Curiae adjudicatoriam, super quadam possessionaria reambulatione revisione et aestimatione in facto possessionis Bobownok vocatae inter Nicolaum et Paulum de Bobownok ac Nobilem Dominam relictam Laurentii filii Boda de Eadem, ab una, nec non Gregorium Dionysium et Stephanum filios Lachk, nec non Laurentium filium Herbordi facta decimo die octavarum festi b. Georgii Martyris anno Domini MCCCLXIV. emanatam et Conventui S. Benedicti de juxta Gron directam. Et aliam ejusdem Conventus S. Benedicti super praemissis Dom. Lodovico Regi rescriptionalem, in eodem anno exortam. Tertiam autem Comitis Nicolai de Zeech pridem similiter judicis Curiae Regiae tertio octavarum festi Nativitatis b. Joh. Bapt. in ao. D. MCCCLXXXI.

confectam, tenorem praescriptarum duarum literarum in se de verbo ad verbum transscriptive continentem. Veras et justas. Asserens plures non habere.

§. *XXXVI. Super Matthyuch conditionali.*

Item Valentinus filius Nicolai filii Tisa exhibuit nobis duo privilegia. Unum videlicet olim Dom. Andreae Regis, patris videlicet Dom. Belae Quarti, super donatione terrae 4. aratrorum per ipsum Dom. Andream Regem Porson, Laurentio et Sopyr Jobagionibus facta, anno ab incarn. Dom. MCCXXXIII. Regni autem sui anno 30. emanatum. Et aliud praedicti Dom. Belae Regis super iterata donatione ejusdem terrae quatuor aratrorum per eundem Dom. Belam R. memoratis Porson et Sopir ac Laurentio facta sub anno Gratiae MCCLV. tredecimo Kalend. Sept. Regni autem sui anno 20. emanatum. Vera et efficacia. Asserens plura non habere.

§. *XXXVII. Super Zaskalitza in Arwa existente.*

Item Stephanus et Thomas dicti Besseny de Gaczelfalwa exhibuerunt nobis quasdam tres literas. Unam Dom. nostri Sigismundi Regis super donatione possessionis Zaskalitza vocatae per ipsum Dom. Regem Thomae filio Andreae dicti Bessenew de Gacelfalwa perpetuo datae feria 3. proxima post festum Paschae Dom. anno ejusdem MCCCLXXXVII. patenter sub sigillo suo secreto rotundo emanatam. Et aliam Conventus de Thuroch super solutione dotis et rerum parapherналium per ipsum Thomam dictum Bessenew, nobili Dom. Margarithae vocatae, relictae Martini filii Nicolai dicti Luchka de Zaskalitza facta expeditam in festo b. Adalberti Episcopi et Mart. anno Dom. MCCCLXXXVII. Tertiam autem ejusdem Conventus super legi-

tima statutione et metarum erectione dictae possesionis Zaskalitza pro Stephano et Thoma dictis Bessenew facta in festo divisionis anno Dom. MCCCLXXXVII. praenotato confectam. Veras et justas. Asserentes plures non habere.

§. XXXVIII. *Gywge.*

Item Ladislaus filius Jacobi exhibuit nobis duas literas. Unam Conventus de Thuroch, super venditione partis terrae haereditariae Ullada et Thomae, filii sui, per eosdem Ulladam et Thomam, Nicolaum filium Gyuge a) pro duabus marcis, consentientibus commetaneis suis in eisdem nominatis facta, anno Dom. MCCXC. emanatam. Et aliam Capituli Eclae Nitriensis super venditione cujusdam particulae terrae inter terras emptitias Ladislai filii Jacobi de Babonok existentis, per Magistrum Paulum Literatum, filium Ghyeleti de Zakfalwa, Petrum Johannem et Simonem filios suos pro 60 florenis eidem Ladislao traditae feria 3tia prox. post dominicam Oculi anno Domini MCCCLVIII. confectam veras et justas. Asserens, plures in facto praemisso non habere.

Item idem exhibuit nobis quasdam literas olim Dom. Belae Regis in vigilia festi b. Barthol. Ap. anno Dom. MCCCXV. emanatas; in quibus continebatur: quod ipse Dom. Bela Rex terram Wida in Thuroch, sine haerede decedentis, uni aratro sufficientem, quam fidelis suus Mickk Comes de Zolum, Gyuge, et Guch filiis Pynk, ac Ladislao Zek de Thuroch per suas literas assignasset, et ipsa terra ab eisdem Gyuge et Guch fuisset alienata, eisdem Gyuge et Ladislao dimisisset possidendam, qui idem facere tenebantur.

---

a) Forte Nicolao filio etc.

§. *XXXIX. Super Lazkouchk.*

Item Laurentius filius Mikus et Benedictus filius Clementis exhibuerunt nobis quoddam privilegium olim Dom. Belae Regis super donatione cujusdam terrae Lazkouch vocatae inter fluvium Jezernicha et Thuroch sitae per ipsum Dom. Belam Regem Surnae, filio Dechluk jure perpetuo collatae sex aratrorum terram in se continentis ao gratiae MCCXL. Regni autem sui ao quinto juste et efficaciter emanatum. Asserens, ad praesens plura non habere.

§. *XL. Super Zanasan.*

Item Ladislaus filius Nicolai exhibuit nobis tria privilegia. Unum Dom. Belae olim Regis Hung.super donatione et confirmatione donationis terrae Zanasan vocatae juxta fluvium adjacentis per ipsum Dom. Belam Regem Martino Sacerdoti fideli Capellano suo et Ladislao fratri ejusdem perpetuo factae ac legitima statutione et metarum erectione ejusdem anno Domini MCCXLII. a) Regni autem sui anno 10. emnatum. Secundum autem Dom. Ladislai olim similiter Regis Hung. super restitutione et restatutione praedictae terrae Zanasan per Lorandum fratrem Urin prius occupatae Ladislao fratri Martini Sacerdotis per ipsum D. Lad. Regem redditae anno Dom. MCCLXXXIII. Regni autem sui anno 11. confectum. Tertium vero Dominici Praepositi et Conventus de Thuroch super quadam conditionali compositione inter Stephanum Presbyterum et Jacobum, ac Dionysium filios Johannis, nec non Ladislaum filium Nicolai, Nicolaum et Stephanum fratres ejusdem ab una; Item inter Dominicum et Petrum filios Caroli

a) Rectius 1245.

de Uyffalu in facto metalis separationis possesiorum eorundem Zalusa et Uyffalu vocatarum sub obligamine viginti marcarum, si quis ipsam compositionem retractaret, Sabbatho prox. post festum Paschae Domini anno ejusdem MCCCLXXVII. exortum, vera et justa. Asserens plura non habere.

§. *XLI. Super Muthna et Chepchen.*

Item Paulus filius Blasii et Stephanus filius Gyulae exhibuerunt nobis quasdam quinque literas. Unam Dom. Pauli praepositi et Conventus de Thuroch super erectione metarum possessionis Muthna vocatae in festo b. Margarethae Virg. et Mart. anno Dom. MCCCLVIII. privilegialiter emanatam. Et aliam Comitis Thomae, olim Judicis Curiae Regiae super adjudicatione possessionis Muthna vocatae et metali separatione ejusdem ab alia possessione Johannis filii Bene similiter Muthna appellatae, pro Joanne filio Karaz, Gyula filio Pauli, Endre filio Bodo; Batiz et Thoma filiis Olka legitime facta 22. die Octavarum festi b. Georgii Mart. anno Dom. MCCCLII. privilegialiter confectum. Tertiam Dom. Lodovici pridem piissimi Regis Hung. duobus sigillis ejusdem, uno videlicet in Regno Boznae deperdito et alio novo pendentibus consignatas, anno Dom. MCCCLXIX. a) sexto calendas mensis April. Regni autem sui anno 18. privilegialiter exortam, tenores quarundam literarum privilegialium Praepositi et Conventus de Thuroch, super legitima statutione possessionum Muthna et Chepchen vocatarum per ipsum Dom. Lodovicum Regem Blasio filio Pauli, Endre filio Boda, b) Johanni filio

---

a) Rectius 1359.

b) Diplomatis totius Apographum habet Buda.

Petri, Nicolao filio Pauli, Abrahae filio Abrahae, et Bathiz filio Zalek a) in concambium possessionis eorundem Charnako vocatae perpetuo datae et traditae feria 3. prox. post quindenas festi Paschae Domini anno ejusdem MCCCXLIII. emanatam verbaliter in se confirmative et transscriptive habentem. b) Quartam ejusdem Dom, Lodovici Regis, Judici et Juratis ac universis civibus de Cremnicha super restitutione et remissione unius dictarum possessionum per ipsos occupatae praeceptorie directam, in festo b. Simonis et Judae App. anno Dom. MCCCLXVII. patenter emanatam. Quintam vero et ultimam Egidii Praepositi et Conventus de Thuroch super separatione et metarum erectione dictarum possessionum Muthna et Chepchen vocatarum a parte terrarum Castri Baynouch nuncupati facta sub anno Dom. MCCCLXVIII. privilegialiter confectam, veras et justas. Asserentes plures non habere.

§. *XLII. Super Advocatia Villae Mayus.*

Item Dom. relicta Michaelis filii Petri Advocati de Mayus et Stephanus filius Gyulae sponsus ejusdem, in sua ac nobilis Dom. Annae vocatae, filiae, ac Petri filii praedicti condam Michaelis filii Petri personis exhibuerunt nobis quoddam privilegium Egidii praepositi et Conventus de Thuroch, super venditione Advocatiae de eadem Mayus, quam venditionem Magister Johannes de Mikla, Vices gerens Dom. Ladislai Ducis Oppuliae, Regni Hung. Palatini, Comes de Thuroch, et Castellanus de Blatnicha, eo, quod ipsa Advocatia mortuo Nicolao filio Hankonis priore advocato, propter quaedam

a) Zaluch. Ibidem.
b) Diploma hoc exhibemus in append. Nro. V.

debita ejusdem ad manus ejusdem Ladislai Ducis devenisset, quia nullus ex proximis et consangvineis ipsius Nicolai filii Hankonis ipsa debita persolvere voluisset, Michaeli filio Petri, condam marito praedictae Dominae pro trecentis florenis auri fecisset, et ipsam advocatiam eidem eodem modo, prout protunc Dom. Lodovicus Rex Hungariae et dictus D. Ladislaus Dux privilegiis eorum mediantibus nunc coram nobis in specie productis memorato Nicolao filio Hankonis perpetuo contulisse, dedisseque dignoscitur, facta in festo nativitatis b. Joh. Bapt. anno Dom. MCCCLXXII. privilegialiter exortum verum et justum. Asserens plures non habere.

§. *XLIII. Super erectione metarum villae Mayus.*

Item Cives et hospites de villa Mayus exhibuerunt nobis quasdam duas literas Dom. Lodovici pridem Regis Hung. unam super metali sequestratione liberae villae Regalis Mayus vocatae a villa Regali Blatnicha vocata per Comitem Jacobum de Scepus, olim Judicem Curiae et universarum Civitatum Regalium ex mandato ejusdem Dom. Lodovici Regis per metas literis in eisdem conscriptas facta, Zolii in festo b. Emerici Ducis et Conf. sub anno Domini MCCCLXXVII. sub secreto suo sigillo emanatam. Et aliam Dom. Georgio Bubek, Magistro Tavernicorum Reginalium, Comitique Liptoviensi et de Thuroch ac ejus Vice Comiti Castellanis et Officialibus ejusdem Cottus de Thuroch in eo, ne iidem Cives et hospites suos Regales de Mayus ad reparationem et reformationem castrorum suorum Regalium quoquo tempore compellere, ipsos in eorum libertatibus per suam Regiam M. ipsis concessis pacifice permanere permitterent, praeceptorie directam

feria 6ta prox. post f. Paschae Dom. anno ejusdem MCCCLXXXI confectam.. Asserentes plures non habere.

§. *XLIV.* *Super Sochouch conditionali.*

Idem Johannes filius Pauli exhibuit nobis quoddam privilegium Dom. Belae Regis super collatione terrae Sochouch ad 4. aratra sufficientis sub libertate filiorum Jobbagionum de Thuroch, Benedicto et Petro filiis Chepany lapicidae per ipsum Dom. Belam Regem factam anno Dom. incarn. MCCLVIII. sexto Kalend. Oct. Regni autem sui ao 23. exortum, metas ipsius terrae in se continens, verum et justum. Asserens plura non habere.

§. *XLV.* *Super possessione Kis Mayus conditionali.*

Item Stephanus filius Ponka exhibuit nobis quasdam 4. literas. Unam videlicet Dni olim Belae Regis super donatione possessionis Kis Mayus vocatae per ipsum Dom. Belam Regem Johanni filio Nanczalo a) in concambium terrae ejus Kis Mayuch b) vocatae sub libertate exercituali perpetuo datae anno Dom. MCCLIV. regni autem sui anno 19to sub majori sigillo ejusdem pendenti privilegialiter emanatam. c) Et aliam ejusdem Dni. Belae Regis feria 3tia proxima videlicet in festo b. Regis Stephani anno Dom. MCCL. super gratia per ipsum Dom. Belam Regem Johanni filio Namzalo et Doboz filio Sokana eo facta: ut quaecunque regalis Collecta in regno suo emanaret, sicut nobiles

---

a) Rectius Ramzolou.

b) Rectius: Hirichou.

c) Diploma hoc damus integrum in appendice No. I.

Regni sui talem collectam sibi dare non tenerentur, nec collectam ab eadem possessione exigere praesumerent, sub annulari sigillo ejusdem pendenti emanatam. Tertiam autem ejusdem Dom. Belae Regis super concambiali donatione praedictae possessionis Kis Mayus memorato Johanni filio Namzalo pro terra ejusdem Chynicho a) vocata facta anno D. MCCLXVI. sub annulari sigillo confectam. Quartam autem Dom. Ladislai olim similiter Regis Hung. in octavis diei mediae Quadragesimae anno Dom. MCCLXXXII. similiter privilegialiter sub annullari sigillo ejusdem emanatam, praescriptas literas Dom. Belae Regis privilegiales de verbo ad verbum transscribentem et confirmantem, veras et justas. Asserens plures in facto praemisso non habere.

§. *XLVI. Super Kanapota conditionali.*

Item idem exhibuit nobis quoddam privilegium Dom. Belae Regis super donatione terrae 5 aratrorum de terra Andreae in Cottu de Thuroch sub ea libertate, ut singuli in exercitibus Regiis ad capita sua Dom. Regi servire tenerentur, quemadmodum caeteri filii Jobagionum ipsorum comprovinciales in annis b) servire Regiae Excellentiae consveverunt, per ipsum Dom. Regem Namazlo c) et suis filiis Thomae Iwano Bartholomaeo et Nicolao facta ao gratiae MCCXLVIII. Regni autem sui anno 14to efficax et verum. Asserens in facto dictae possessionis plures non habere.

---

a) Rectius Hirichou.

b) Forte armis.

c) Rectius Ramazlo.

§. XLVII. *Super terra Chornakow.*

Item idem exhibuit aliud privilegium ejusdem Dom. Belae regis super collatione cujusdam terrae Chornakow 4. aratrorum per ipsum Dom. Belam Regem Johanni filio Namzalo Castellano suo de Thuroch perpetuo datae ao. Dom. MCCLXII. Regni autem sui anno 27. exortum, efficax et verum. Asserens plura non habere. a)

§. XLVIII. *Super possessione Kis Bistrice, alio nomine Jahodnak nuncupata.*

Item Johannes filius Georgii exhibuit nobis quasdam literas privilegiales Nicolai Praepositi et Capituli Ecclesiae Strigoniensis Sabatho prox. post f. b. Agnethis Virg. et Mart. anno Dom. MCCCXL. emanatas, tenorem cujusdam privilegii olim Domini Ladislai Regis Hung. super collatione possessionis Kis Biztrice vocatae ac legitima statutione et metarum erectione ejusdem pro Comite Laurentio filio Cosmae per ipsum Dom. Lad. Regem factis sub anno gratiae MCCLXXXIV. octavo nonas Aug. Regni autem sui anno XII. emanati de verbo ad verbum in se transscriptive continentes veras et justas. Asserens, plures in facto dictae possessionis non habere.

§. XLIX. *Zenth Marthon portio Parochi.*

Item Dom. Plebanus de villa Zenth Marthon exhibuit nobis quasdam literas Magistri Danch privilegiales anno Dom. MCCCXV. confectas super collatione cujusdam portionis terrae arabilis et prati terreis metis in eisdem declaratis expressarum per ipsum Ecclesiae S. Mart.

---

a) Privilegium hoc damus integrum in append. No. II.

in dicta villa constructae facta, veras et justas. Asserens plures non habere.

§. *L. Super terra 4. aratrorum conditionali, quae nomine Polereka vocatur.*

Item Georgius filius Abrahae exhibuit nobis quasdam tres literas, unam olim Dom. Belae Regis super confirmatione statutionis terrae 4. aratrorum per ipsum Dom. Belam Regem Andreae et Jacobo filiis Alberti, filiis Jobagionum de Thuroch facta, quae condam Othmari et Leonardi extitisset, anno dominicae incarn. MCCLXII. Regni autem sui anno 27. emanatam. Et aliam Magistri Danch super divisione cujusdam particulae possessionis inter Abraham filium Adae ab una et Nicolaum filium Gyuge parte ab altera per distinctiones metarum in eisdem conscriptarum coram ipso Magistro Danch facta, anno Dom. MCCCXXX. confectam. Tertiam autem Valentini Praepositi et Conventus de Thuroch, Sabbatho infra Octavas b. Georgii Mart. ao. Dom. MCCCXIV. a) exortam, tenorem praescriptae literae ipsius Magistri Danch patenter de verbo ad verbum in se transscriptive habentem. Asserens in facto dictae possessionis plures non habere.

§. *LI. Super possessione Nadaser.*

Item idem exhibuit nobis quasdam duas literas privilegiales. Unam Pauli praepositi et Conventus de Thuroch super donatione b) possessionis Nadaser inter Benedictum Stephanum Matthiam Bartholomaeum et Marcum filios Andreae, Albertum filium Matthiae, Stephanum

---

a) Error in anno. Fors 1334.

b) Forte divisione.

et Nicolaum filios ejusdem Alberti ab una, nec non Georgium, et Thomam filios Abraham facta feria 4ta prox. post f. s. Trinitatis anno Dni. MCCCLI. emanatam. Et aliam Comitis Stephani Bubek, olim similiter Judicis Curiae Regiae super adjudicatione et metali sequestratione dictae possessionis Nadaser per juramentalem depositionem Marci filii Andreae, metis in eisdem literis conscriptis principio et erectis mediantibus a possessione Sarnoucha-melleky vocata legitime facta sedecimo die Octavarum festi b. Mich. Archangeli anno Dom. MCCCLXIV. privilegialiter confectam veras et justas. Asserens plures non habere facto in praemisso.

§. *LII. Super possessionibus Mezouhaz, Rudna, Lesna et Prona vocatis.*

Item Georgius filius Johannis exhibuit nobis quasdam duas literas. Unam Ladislai Praepositi Chasmensis, Comitis Capellae et Secretarii Cancellarii Domini Lodovici pridem felicis Regis Hung. super concordia inter Beke, filium Pauli, Benedictum et Jacobum filios ejusdem, Andream filium Pauli, Benedictum et Jacobum filios ejusdem Andreae ab una; item Johannem filium Seraphyn, Paulum et Georgium filios ejusdem in facto fiendae divisionis possessionum ipsorum Prona, Lesna, Ruda et Mezeuhaz vocatarum coram ipso comite Capellae Regiae facta, feria 4ta prox. ante festum Virg. gloriosae anno Dom. MCCCXLIII. emanatam. Et aliam Pauli praepositi et Conventus de Thuroch super divisione dictarum possessionum Prona Lesna Ruda et Mezeuhaz vocatarum inter partes praenotatas eo modo facta, ut easdem possessiones in 3. partes divisissent, quarum duae partes memoratis filiis Pauli, tertia pars earundem annotato Johanni filio Seraphyn devenissent in portiones, anno Do-

mini MCCCLIII. in octavis diei Cinerum exortam. Veras et justas. Asserens plures non habere.

§. LIII. *Super terra de possessione Zanasan excisa.*

Item Paulus filius Michk exhibuit nobis quasdam quinque literas: Unam scilicet J. Praepositi et Conventus de Thurochsuper venditione cujusdam particulae terrae per Ladislaum et filium ejusdem Ladislai Jacobo filio Latibor de terra ipsorum haereditaria sub metis in eisdem conscriptis facta anno Dom. MCCLXXXVI. emanatam. Et aliam ejusdem Iwanka Praepositi et Conventus de Thuroch super perpetuali venditione cujusdam particulae terrae per Ladislaum cum filio suo Ladislao de terra ipsorum haereditaria Jacobo filio Latibor pro novem Marcis et uno fertone sub metis in eisdem conscriptis facta anno Dom. MCCXCI. confectam. Tertiam Dom. Lodovici pridem piissimi Regis Hung. sub annulari suo sigillo super nobilitatione Rak et Pauli filiorum Matthiae in quadam terra seu possessionaria portione, quam idem Rak in possessione Zanasan vocata situatam existere, et quam condam Ladislaus filius Ladislai nomine sui juris literis Conventus de Thuroch mediantibus olim Jacobo filio Latibor avo suo pro novem Marcis denariorum vendidisse declarasset, a nexus conditione liberando et eximendo fecisset, feria 3. prox. post f. b. Mich. Arch. anno Dom. MCCCLXIII. confectam. Quartam Comitis Stephani Bubek, olim similiter Judicis Curiae Regiae, vigesimo secundo die quindenarum residentiae exercitus Regalis in anno Domini MCCCLXV. Quintam autem Comitis Jacobi de Scepus, condam similiter Judicis Curiae Regiae sedecimo die Octavarum festi b. Georg. Martyris anno Dom. MCCCLXXVIII. ambas super adjudicatione dictae particulae terrae privilegiali-

ter emanatas, veras et justas. Asserens plures non habere.

§. *LIV. Super possessione Muremfelde vocatae medii aratri.*

Item idem exhibuit quasdam duas Literas: Unam J. Praepositi et Conventus de Thuruch super venditione cujusdam particulae terrae culturae dimidii aratri sufficientis per comitem Muren de terra sua haereditaria, ex consensu filii sui et Isau commetanei sui sub metis in eisdem conscriptis Jacobo filio Latibor facta, anno Dom. MCCLXXXIII. privilegialiter emanatam, aliquanto intercisam. Et aliam Valentini Praepositi et ejusdem Conventus de Thuruch super resignatione tertiae partis terrae, quam Comes Murinus filiis Latibor assignasset, per Comitem Jacobum et Gregorium filium suum, ac Comitem Chama, Johannem et Michk filios ejusdem Chama Valentino et Nicolao filiis Pook facta in octavis festi b. Georgii Mart. anno Dom. MCCCXIII. confectam, veras et justas. Asserens plures non habere.

§. *LV. Super metarum erectione possessionum Ewzpatak et Murenfelde vocatarum.*

Item idem Paulus filius Michk exhibuit nobis quasdam duas literas. Unam Pauli praepositi et Conventus de Thuruch super metali sequestratione possessionis Ewzpatak vocatae a possessione Rakouch mediantibus metis in eisdem conscriptis inter Paulum filium Michk de Ewzpatak, Chama fratrem ejusdem, et Andream filium Nicolai de eadem ab una, item Johannem et Demetrium filios Pauli Literati de Rakouch facta in f. b. Laurentii Mart. anno Dom. MCCCLVI. patenter emanatam. Et aliam Egidii praepositi et Conventus de Thuruch super reambulatione et erectione metarum possessionum Ewzpatak et Murenfelde vocatarum octavo die

festi b. Martini conf. anno Dom. MCCCLXII. privilegialiter exortam veras et justas. Asserens plures non habere.

§. *LVI. Super terra usui duodecim aratrorum sufficiente in Arwa existente.*

Item Thomas filius Nicolai exhibuit nobis quasdam literas privilegiales Dom. Lodovici felicis Regis Hung. duobus sigillis suis dupplicibus, uno videlicet in Regno Boznae deperdito, altero novo consignatas, super donatione ejusdem terrae et silvae in Arua existentis duodecim aratra in se continentes Chepanopataka vocatae, per ipsum Dom. Lodovicum Regem Nicolao filio Folkus et alteri Nicolao filio Johannis datae, ac aggregatione eorundem in numerum coetum et catervam Nobilium Regni anno Dom. MCCCLV. Regni autem sui anno 14. confectas, veras et justas. Asserens plures non habere.

§. *LVII. Super quarta filiali in Also Mikch.*

Item Johannes filius Martini exhibuit nobis quasdam duas literas Conventus de Thuruch. Unam super extradatione Quartae filialis per Thomam filium Lorandi de Alsonich de eadem possessione Johanni filio Martini de Turan facta feria quarta prox. post f. Penthecostes anno Dom. MCCCLXVII. privilegialiter emanatam. Et aliam super solutione quinquaginta florenorum auri, quam Johannes filius Martini de Turan in subsidium acquisitionis possessionariae portionis in Ruth habitae Thomae filio Lorandi fecisset, feria 4. prox. intra festivitatem Penthecostes anno Dom. MCCCLXXVII. patenter confectam, veras et justas. Asserens, plures non habere.

§. *LVIII. Super possessione Felseu Kubbyn in Cottu de Arwa.*

Item Nicolaus filius Marci et Nicolaus filius Johannis ac Salomon literatus exhibuerunt nobis quasdam quatuor literas. Unam Valentini praepositi et Conventus de Thuruch super concambiali permutatione cujusdam possessionis Felseu Kubbyn, per magnificum virum Magistrum Danch, Comitem Zoliensem, Ladislaum Joannem et Stephanum filios suos, Nicolao Petro et Philippo filiis Gyuche, Michaeli et Adriano filiis Symk pro possessione eorundem Reuche vocata sub metarum in iisdem conscriptarum circumstantia perpetuo datae in Octavis Nativitatis b. Joh. Bap. anno Dom. MCCCXXV. privilegialiter emanatam. Et aliam Dom. Lodovici indelendae memoriae Regis Hung. sub anno gratiae MCCCLXI. octavo Kalendas Maii Regni autem sui anno 20. emanatas, tenores quarundam literarum ejusdem Dom. Lodovici Regis patentium, super collatione cujusdam possessionis Felseu kubbyn appellatae in districtu de Arwa existentis per ipsum Dom. Lodovicum Regem Salamoni et Gregorio filiis Nicolai, filii Iche, Nicolao filio Marci, Andreae filio Laurentii filii praedicti Nicolai, Thomae filio Pokus filii Petri, Blasio filio Philippi, Benedicto filio Mask, Stephano filio Martini, Petro filio Stephani, Nicolao filio Johannis filii Gyurke, in concambium possessionis earundem Reuche vocatae in perpetuum facta feria 6. prox. post f. b. Lucae Evang. anno Dom. MCCCLV. patenter emanaturam de verbo ad verbum in se transscriptive et confirmative habentem. Tertiam praedicti Conventus de Thuruch, in octavis festi purificationis b. Virginis anno Dom. MCCCLVI. privilegialiter exortam, praetactas literas ipsius Domini Lodovici Regis patenter transscribentem. Quartam autem Ladislai praepo-

positi et dicti Conventus de Thuruch super collatione totalis portionis possessionariae Salomonis Literati, filii Nicolai filii Juche de Felseu Kubbyn in eadem existentis per eundem Salomonem Literatum pro morte seu interemptione Marci fratris sui instinctu diabolico per ipsum facta, Nicolao filio ejusdem Marci in perpetuum datae et traditae octavo die festi Nativitatis b. Joh. Bapt. anno Dom. MCCCXCI. privilegialiter exortam. Veras et justas. Asserens plures non habere.

§. *LIX.* *Super quarta filiali in Vendegh.*

Item Petrus, filius Pauli de Vendeg exhibuit nobis quasdam literas Conventus de Thuruch privilegiales super extradatione quartae filialis per Joannem filium Zeuche de ultra Thuruch Dom. Agathae sorori suae facta 2. die festi Nativitatis b. Agnis a) anno Dom. MCCCLII. emanatam, veras et justas. Asserens plures non habere.

§. *LX.* *Super Erden.*

Item Barnabas filius Andreae exhibuit nobis Privilegium Conventus de Thuroch, in vigilia festi annunciationis b. Virg. anno Domini MCCCXVIII. emanatum. In quo continebatur, quod Eden filius Iwanka, ac Joannes et Iwanka, Laurentius, Nicolaus et Jacobus filii ejusdem Eden, Paulum filium Marci in filium et fratrem communi consensu assumpsissent adoptivum; et eundem de omni haereditate paterna et terra haereditaria ubique locorum existenti tanquam unum de filiis Eden fecissent cohaeredem, tradentes eidem filiam ipsius Erden in consortem.

---

a) Sic. Fors Agnetis.

Quae verae esse apparebant. Asserens plures non habere.

§. *LXI. Super possessione Raxa conditionali.*

Item Gregorius filius Stephani, et Stephanus filius Johannis de Raxa exhibuerunt nobis quasdam duas literas, a) Dom. Ladislai olim Regis Hung. super translatione de servitute populorum de Thuruch in collegium libertatis filiorum Jobagionum de Thuruch Miksse filio Rekse et cognatis ejusdem Drahen, videlicet Nicolao Herch, Ruthen et Urban simul cum terra eorum Raxa vocata per ipsum D. Ladislaum Regem facta anno Dom. MCCLXXX. privilegialiter emanatam. Et aliam Dom. Caroli Regis super restitutione praedictae terrae Raxa vocatae olim tempore impacato per fortes manus occupatae, et per ipsum Dom. Carolum Regem Mick, filio Drahen, Damiano filio Galli et quibusdam aliis proximis eorum literis in eisdem nominatis restitutae in festo b. Martini conf. anno Domini MCCCXL. patenter confectam. Et etiam quoddam privilegium nostrum super adjudicatione et divisione dictae possessionis Raxa tricesimo secundo die Octavarum festi b. Georgii Mart. anno Dom. MCCCLXXXVIII. emanatum. Veras et justas. Asserens plura non habere.

§. *LXII. Super possessione Euspataka, duorum aratrorum.*

Item Paulus filius Michaelis et Ladislaus filius Andreae in suis et aliorum proximorum suorum personis exhibuerunt nobis quasdam quatuor literas. Unam olim Dom. Belae Regis super confirmatione donationis ejusdem terrae duorum aratrorum, per ipsum Dom. Belam Re-

---

a) Supple: unam.

gem Latibor filio Porsu facta, anno Domini MCCLV. Regni autem sui anno 20. emanatam. Et aliam Dom. Lodovici pridem piissimi Regis Hung. sub anno Dom. MCCCLVIII. quarto Nonas Novembr. Regni autem sui anno 17 confectam, praetactas literas privilegiales Dom. Belae Regis de illo ad illum in se transscriptive et confirmative habentem. Tertiam ejusdem Dom. Ludovici Regis super exemtione a servitute, et onere omnis conditionis, Paulo et Stephano filiis Michk, filii Chama, filii Latibor ac Andrae filio Nicolai per ipsum Dom. Ludovicum Regem viso praescripto privilegio Dom. Belae Regis facta in festo inventionis sanctae crucis anno Dom. MCCCLIX. exortam. Quartam vero similiter ejusdem Dom. Lodovici Regis in festo b. Demetrii Martyris anno Dom. MCCCLXIV. patenter editam, praetactas literas ejus patentes verbaliter conscribentes et confirmantes.

§. *LXIII. Super possessione Tarnouch.*

Item nobiles Dominae Anna Johannis ac Elisabeth et Katharina filiae Stephani de Tarnouch exhibuerunt nobis quasdam tres literas. Duas videlicet Dom. Belae olim Regis Hung. Unam scilicet super donatione cuiusdam terrae Tarnouch vocatae pro auro trigintá marcarum Mladik Rutheno per ipsum Dom. Belam Regem in perpetuum datae anno Dom. MCCLXII. Regni autem sui anno 27. privilegialiter sub majori suo sigillo emanatam. Et aliam annullari sigillo ejusdem Dom. Belae Regis pendenti consignatam in festo b. Sixti Papae anno Dom. MCCLXVI. confectam, praetactum primum privilegium pro abolenda quadam ambiguitate in eadem litera declarata confirmantem. Tertiam vero Comitis Nicolai de Zeech, olim similiter Judicis Curiae Regiae, super adjudicatione et sententia in facto dictae possessionis Tarnouch pro successoribus

dicti condam Mladik tam virilibus quam foemineis sexibus pertinere debentibus sedecimo die Octavarum festi b. Georgii Martyris anno Dom. MCCCLXXXI. privilegialiter exortam. Veras et justas. Asserentes plures non habere.

§. *LXIV. Super possessione Amboffalva.*

Item Dominicus Magnus exhibuit nobis quoddam Privilegium Dom. Caroli olim Regis Hung. super confirmatione donationis Magistri Danch, Comitis de Zolium in facto possessionis Amboffalva vocatae Martino filio Matthaeus servienti suo factae, ac legitima statutione et metarum ejusdem erectione pro eodem Martino factis anno Dom. MCCCXXVII. Regni autem sui similiter 27. emanatum, verum et justum. Asserens plura non habere.

§. *LXV. Super possessione Zobozlo, alio nomine Falkusfalva conditionali.*

Item Nicolaus filius Buchy, Thomas et Antonius filii Nicolai Thomas filius Johannis exhibuerunt nobis quasdam decem literas. Unam olim Dom. Stephani Regis super aggregatione in numerum filiorum Jobagionum de Thuruch per ipsum Dom. Stephanum Regem Kwachinano, Iwano et Buhtha, Ivan filiis Vitona, ac Mifk filio Ruzethe de villa Zoboslo ac caeteris eorundem cum terris populorum villae Zelik Zobozlo mixtim habitis et sub inclusione metarum in eisdem literis contentarum existentibus anno Dom. MCCLXXI. Regni autem sui anno 2. emanatum. Et aliam Praepositi et Conventus de Thuruch super erectione metarum dictae terrae Zobozlo vocatae anno Dom. MCCLXXXV. confectam aliquanto intercisam. Tertiam Dom. Ladislai Regis super restitutione terrae Zobozlo, per eundem Ladislaum Regem Bartholomaeo filio Nachk facta feria 3. prox. post f. as-

cens. Dom. anno ejusdem MCCLXXXVI. Quartam Capituli Eccl. Strigon. anno Domini MCCLXXXV. in festo b. Bartholomaei exortam et ad literatorium mandatum dicti Dom. Ladislai Regis tenorem cujusdem Privilegii olim Dom. Andreae Regis super terra praedicta Zobozlo nominata sub anno gratiae MCCXXX. Regni autem sui anno 27. emanati transscribentem. Quintam Merculini Comitis Camerae Regiae et de Zolium super restitutione possessionis Bartholomaei Zoboslo vocatae in Octavis festi Penthecostes in anno Dom. MCCXLI. super praedicta terra Zoboslo exortam. Sextam praedicti Conventus de Thuruch super concambiali permutatione cujusdam particulae terrae de dicta Zobozlo excisae anno Dom. MCCXCIV. editam. Septimam ejusdem Conventus de Thuruch super resignatione portionis possessionariae Jan filii Mertonis per Stephanum filium Bartus Sabbatho proximo ante Dominicam Oculi anno Dom. MCCCLXXVI. privilegialiter emanatam Octavam Dom. nostri Sigismundi Regis super nobilitatione et exemtione de numero jobbagionum castri per ipsum Dom. Regem Thomae et Antonio filiis Nicolai, et Nicolao, filio Bartholomaei de Falkusfalva factam in Dominica Judica in anno Domini MCCCLXXXIX. patenter emanatam. Nonam vero et decimam praetitulati Conventus de Thuruch feria 6ta. prox. ante f. Penthec. super divisione dictae possessionis in 4. partes facta, anno in praesenti, ambas privilegialiter et sub uno sensu verborum emanatas, veras et justas. Asserens plures non habere.

§. *LXVI. Super Quarta filiali in Bobonok.*

Item Nicolaus filius Johannis et Johannes filius Thomae exhibuerunt nobis quasdam duas literas. Unam olim Dominici praepositi S.

Thomae Martyris de promonthorio Strigoniensi super receptione quartae filialis condam nobilis Dominae matris Johannis filii Myko in possessione Bobonok habita in octavis diei quadragesimae anno Dom. MCCCLIII. privilegialiter emanatam. Et aliam Conventus de Thuruch super legitima statutione ejusdem quartae filialis feria 5. prox. ante f. annunc. virginis gloriosae anno Dom. MCCCLVII. patenter emanatam, veras et justas. Asserentes plures non habere.

§. *LXVII. Super possessione Jardan.*

Item Bartholomaeus Laurentius et Stephanus filii Nicolai, et Martinus filius Michk et Jacobus ac Thomas filii Stephani, nec non Andreas filius Petri exhibuerunt nobis quoddam Privilegium Dom. Belae Regis Hung. super confirmatione donationis cujusdam terrae ad duo et dimidium aratra sufficientis, Andreae de Jardan et filio suo Achileo de numero filiorum Jobbagionum de Thuruch per ipsum Dom. Belam Regem facta anno Dom. MCCLV. emanatam, verum et justum. Asserens, plura non habere.

§. *LXVIII. Super particula possessionaria in Vidafelde habita.*

Item Mathe filius Johannis exhibuit nobis quasdam duas literas. Unam Comitis Jacobi de Scepus olim Judicis Curiae super assignatione portionis possessionariae condam Michaelis filii Benedicti de eadem Vidafelde ratione quartae partis matris Mathe filii Johannis de eadem, eidem Mathe per Blasium filium Petri de Vidafelde datae feria 2. prox post f. b. Dorotheae Virg. et Mart. anno Domini MCCCLXXVIII. emanatam. Et aliam Praepositi et Conventus de Thuruch in facto dationis

medii jugeris terrae arabilis eidem Mathe per Blasium filium Petri in sua et Ladislai fratris sui personis penes curiam ejusdem Mathe factae in fest. b. Philippi et Jac. Ap. anno Domini MCCCLXXIX. privilegialiter confectas. Veras et justas. Asserens, plures non habere.

§. *LXIX. Super terra 4. aratrorum conditionali Draskfalva vocata.*

Item Mathe filius Valentini et Blasius filius Nicolai exhibuerunt quasdam 4. literas. Unam olim Dom. Belae Regis super assignatione terrae 4. aratrorum terreis metis a populis Zklabonia distinctae per eundem Dom. Belam Regem Mikola et Drasko filiis duorum de filiis Jobagionum de Thuruch sub conditione perpetuo traditae anno Dom. MCCXLII. Regni autem sui anno 8. emanatam. Aliam Comitis M. de Zolum et de Scepus, ac Magistri Paskasii super remissione praedictae terrae anno Dom. MCCLXXIII. sub duobus sigillis pendentibus eorundem confectam. Tertiam vero et quartam M. Comitis de Zolum et de Scepus super erectione metarum dictae terrae, anno Dom. MCCLXIX. ambas sub uno sensu verborum privilegialiter emanatas. Veras et justas. Asserentes plures non habere.

§. LXX. *Super conditionali Jardan.*

*) *) *) *) *) *) (Sex lineolae hic abolescunt.)

Conclusiuncula etiam linearum XII. penitus obliterata. (L. S.)

Appendix Regestri de Thuroch. a)

Nro. I.

Bela Dei Gratia Ungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galitiae, Lodomeriae, Cumaniaeque Rex. Omnibus Christi fidelibus salutem in omnium salvatore. Regalis sublimitas generaliter viget, cum praestitae fidelitati juxta merita dispendia donis perpetuis largiatur. Proinde ad universorum notitiam tam praesentium, quam futurorum harum serie volumus pervenire: quod terram Hirichou vocatam in Cottu Trenchiniensi existentem a Joanne filio Ramzolon penitus receptam et alienatam dedimus Magistro Tholus nostro fideli in perpetuum possidendam; et postmodum quod idem Johannes filius Ramzolon revolutis quibusdam temporibus cum sua probitate in nostro exercitu fideliter nobis servivit, in Regno Bobemiae nobiscum exercituando: Nos ad ejus instantiam sibi et suis haeredibus haeredumque successoribus in concambium terrae Hirichou vocatae dedimus et donavimus terram Kis-Mois vocatam juxta terram ejusdem Johannis haereditariam in Thuroch existentem in perpetuum et irrevocabiliter jure haereditario possidendam ex nostra gratia et favore, prout Micon noster fidelis Comes de Zoulum nos informavit: ipsam nostram Donationem et concambium congruum et conveniens esse nostrae collationi. Volentes etiam eundem Johannem in ipsa terra Kis Mois vocata perfrui et gratulari libertate exercituali

a) Diplomata haec tanquam specimen authentiae Regestri de Thuroch adnectimus eo tenore, quo eadem supradictus Czemanka celeberrimo olim Belio communicavit.

nobis serviendo, prout Nobiles de Thuroch exercituando gratulantur; hoc etiam firmiter insignimus, ut per quemcunque successorem nostrae geniturae a dicto Joanne et suis haeredibus haec nostra Donatio et concambium alienaretur, ex hoc nostra Salus violaretur per talem successorem. Cujus tamen terrae metae hoc ordine distinguuntur. Prima meta incipit a flumine Thuroch vocato apud locum, ubi sunt fructus, et inde tendit versus orientem ad rivulum Jezernicza vocatum, et per ipsum rivulum Jezernicza transeundo, juxta metas filiorum Cherneta venit ad rivulum Sernovicza vocatum, ubi est meta terrea, et per rivum Sernovitza ascendendo juxta metas Viclou venit ad metas Sasuna, et suorum cognatorum, et inde venit ad Prevratkam, ubi est meta terrea, et inde juxta metas Pauli Caniti tendit versus occidentem, transeundo per rivulum Jezernicza supra dictum venit ad rivulum Konotopa vocatum, et per ipsum Konotopa descendendo juxta metas haereditariae terrae ipsius Johannis venit ad fluvium Thuroch et per Thuroch descendendo venit ad priorem metam, ubi sunt fructus, et ibi terminatur. Ut autem haec nostra Donatio robur habeat perpetuae firmitatis, literas praesentes dupplicis sigilli munimine confecimus roborari. Datum per manus Magistri Smaragdi Electi Albensis Ecclesiae, Aulae nostrae Vicecancellarii dilecti et fidelis nostri anno Dom. MCCLIV. Regni autem nostri XIX.

Nro. II.

Bela Dei Gratia Ungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Gallitiae, Lodomeriae, Cumaniaeque Rex. Omnibus Christi fidelibus salutem in omnium Salvatore. Ad universorum notitiam tam praesentium quam futurorum harum serie volumus pervenire: quod Johannes filius Ramzolon noster Castellanus de Castro Thuroch, cum in ipso castro Thuroch tempore Guerrae nobis fideliter servivit, ipsum castrum ab insidiis nostrorum inimicorum fideliter conservando, nos ad instantiam et petitionem ejusdem pro fidelibus servitiis suis terram quan-

dam Chernakou vocatam, inter Thuroch et Trnova existentem ad quatuor aratra simul cum virgultis sufficientem dedimus et donavimus ipsi Johanni et suis haeredibus, haeredumque successoribus jure haereditario possidendam ex nostra gratia et favore. Cujus Terrae metae hoc ordine distinguuntur. Prima meta incipit ab occidente in vado fluvii Thuroch, ubi est meta terrea, et inde vadit ad rivulum Ternova, ascendendo juxta metas villae Cheptsin, venit ad terram Rechkonis Doboa vocatam, et inde juxta Doboam venit ad fluvium Thuroch et per ipsum fluvium descendit ad priorem metam terream, apud vadum, et ibi commetatur cum metis terrae Donocz, ubi terminatur. Ut autem haec nostra Donatio robur habeat perpetuum firmitatis, literas praesentes dupplicis sigilli nostri munimine confecimus roborari. Datum per manus Magistri Farchasii Electi Albensis Ecclesiae, Aulae Nostrae Vicecancellari, dilecti et fidelis nostri anno Dom. MCCLXII. Regni autem nostri anno 27.

Nro. III.

Bela Dei Gratia Hungariae, Dalmaciae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriaeque Rex. Universis praesentes literas inspecturis salutem in omnium salvatore. Regiae sublimitatis incumbit Officio, status suorum subditorum taliter ordinare, ut quilibet in suo certo statu et numero suae libertatis Officia sine gravamine possit exhibere. Hinc est, quod cum filii Jobagyonum de Thuroch debitum et consvetum numerum excessissent, visum fuit nobis ex officio Regiminis, ut ipsorum numerum superfluum in statum debitum revocemus: quadraginta personas ex ipsis filiis Jobagionum per totum Comitatum de Thuroch relinquentes, itaquod singuli sex ex ipsis filiis Jobagionum unum panceratum debeant ad nostrum exercitum destinare. Inter quos quatuor filii Vzda, Mechk videlicet, Stremen, Mortun et Drahmel specialiter computantur, qui ad nostram accedentes praesentiam a nobis humiliter petierunt, ut terram

in qua ipsi ab antiquo residebant, eisdem conferre liberaliter dignaremur. Nos igitur ipsorum justis precibus inclinati et attendentes eorum servitia, quae nobis impenderunt et impendere poterunt in futurum, ipsam terram, eis et eorum haeredibus contulimus perpetuo possidendam. Et sicut Cypou Comes fidelis noster nobis retulit, quem ad inspiciendam ejusdem terrae miseramus quantitatem: ipsa terra est sufficiens ad 8. aratra. Et a parte orientali tenet metam cum villa Vrutk per fluvium Bisztricze, usque dum idem fluvius cadit in fluvium Thuroch, et inde tendit sursum per fluvium Thuroch, et ibi tenet metam cum villa Modly, ibique ipsius terrae metae et commetanei terminantur. Ut autem haec nostra donatio robur perpetuae obtineat firmitatis: praesentes literas in testimonium dari fecimus, sigilli nostri dupplicis munimine roboratas. Datum per manus Magistri Smaragdi Albensis Ecclesiae electi, Aulae nostrae Viceeancellarii, dilecti et fidelis nostri. Anno Dom. MCCLV. XIV. Kalendas Septembris a) Regni autem nostri anno 20.

Nro. IV.

Bela (ut supra Hung. etc.) Rex Omnibus tam praesentibus quam futuris praesentes literas inspecturis salutem in omnium salvatore. Ad universorum notitiam tenore praesentium volumus devenire: quod Martinus Stremen et Drachmel filii Uzda et Mechk filius Mechk de Thuroch ad nostram accedentes praesentiam supplicando proposuerunt, quod cum ipsi sint hospites et voluntarie quandoque in piscationis, quandoque in venarionis Officio nobis b) quaedam servitia, mercedem condignam consueverunt ex parte nostra reportare, ne inposterum contra ipsorum libertatem propriam aliquis

---

a) Ita in apographo. In Regestro autem Bubekiano Kal. Novembr.

b) Verba abolita. Forte: praestando.

impingat, supplicarent, ut eorum statum et libertatem nostro dignaremur privilegio confirmare. Nos igitur ipsorum petitionibus inclinati, ipsorum liberum statum et libertatem illibatam praesentibus confirmamus, adjicientes, ut unus ex ipsis ad expeditionem nostram, dum fieri contigerit, nobiscum debeat proficisci. In cujus rei memoriam et perpetuam firmitatem praesentes dedimus literas dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus Magistri Farcasii electi Albensis Aulae nostrae Vicecancellarii dilecti et fidelis nostri ao. Dom. MCCLXIII. quarto Kal. Septembr. Regni autem nostri anno XXIIX.

Nro. V.

Ludovicus Dei Gratia Hung., Dalm., Croatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex, Princeps Salernitanus et honoris Montis S. Angeli Dominus, omnibus Christi fidelibus tam praesentibus quam futuris, praesentium notitiam habituris. Salutem in omnium Salvatore. Justis petentium desideriis facilem praebere consensum, Jus invitat, ratio expostulat, et regalis munificentia exoratur, praesertim in iis, quae videntur suorum subditorum commodis utiliter convenire. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire: quod Gylla filius Pauli et Johannes filius Karassun et Clemens filius Stephani de Muthna in suis et universorum nepotum et successorum condam Ivank, Palik, Kopech, Kubina, Milozch, Mladen, Tivan, Praemlat, Zontag et Puchug nuncupatorum ipsorum personis ad nostrae serenitatis accedendo praesentiam, exhibuerunt nobis quasdam literas privilegiales Conventus Eclae B. Virginis de Thuroch super statutione quarundam possessionum Muthna et Cheptsin vocatarum in Comitatu Thurochiensi existentium per nos ipsis in concambium cujusdam possessionis ipsorum Chernakou vocatae traditarum facta confectas, tenoris infra scripti, supplicantes Matti nostrae humiliter et devote, ut easdem acceptare, approbare, ratificare et pro eisdem eorundemque

haeredibus nostro dignaremur privilegio confirmare, quarum tenor talis est:

Universis Christi fidelibus praesentibus pariter et futuris praesentem paginam inspecturis Paulus divina miseratione praepositus monasterii b. Virginis de Thuroch et conventus ejusdem loci salutem in omnium Salvatore. Quoniam ea, quae in tempore aguntur, ne simul cum elapsu temporis adinstar aquae fluentis a memoria evanescant, dignum et justum est, ut literarum munimine vel vivaci testimonio fulciantur; Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod literas Excellentissimi Dnī Dnī Lodovici Dei Gratia Regis Hungariae recepimus supremo honore, quo decuit, in haec verba.

Ludovicus Dei Gratia Rex Hungariae fidelibus suis Conventui de Thuroch salutem et gratiam. Cum nos possessiones Muthna et Cheptsin in Cottu Thurochiensi existentes per nos Blasio filio Pauli, Ender filio Buda, Johanni filio Petri, Nicolao filio Pauli, Abrahae, et Batis filio Zaluch Nobilibus de Comitatu praedicto simul cum aliis ipsorum proximis et cognationis ipsorum hominibus in concambium et permutationem cujusdam possessionis ipsorum Chernakou nominatae traditas et collatas mediante nostro homine Regio et vestro testimonio praefatis nobilibus per veras et antiquas metas earundem reambulando perpetuo possidendas statui facere velimus; volumus et fidelitati vestrae firmiter praecipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, quo praesente Joannes dictus Fodor VComes dicti Cottus Thurochiensis, homo noster specialiter ad hoc deputatus ad facies praedictarum possessionum accedendo vicinis et commetaneis earum legitime convocatis et praesentibus, reambulet easdem per veras et antiquas suas metas, novas metas juxta veteres ubi necesse fuerit erigendo, reambulatasque et ab aliorum possessionibus distinctas et separatas statuat et relinquat praefatis nobilibus cum omnibus earum utilitati-

bus, et pertinentiis perpetuo possidendas, si non fuerit contradictum: Contradictores vero, si qui fuerint contra nostram majestatem, evocet eosdem ad praesentiam Palatini ad terminum competentem. Et post haec diem et locum evocationis nomina evocatorum et terminum assignatum cum cursibus et erectionibus metarum eidem Palatino fideliter rescribatis. Datum in Visegrad quinto die festi Pascha Domini ao. ejusdem MCCCXLIII.

Nos itaque (sequitur relatio de statutione absque contradictore peracta.) Datum tertia feria proxima post quindenas Paschae anno Domini ut supra.

Nos igitur justis (sequitur confirmatio Regia.) Datum per manus Venerab. in Christo Patris Dni Nicolai Aeppi Strigoniensis locique ejusdem Comitis perpetui Aulae Nostrae Cancellarii dilecti et fidelis nostri ao. Dni MCCCLIX. sexto Kalendas mensis Aprilis Regni autem nostri ao. XVIII. venerabilibus etc.

Huic Diplomati subnexum est aliud hujus tenoris:

Ad perpetuam rei memoriam. Nos Ludovicus rex praefatus universis declaramus (sequitur narratio de sigillo in Usura provincia Bosniae per familiares Archi Episcopi pro custodia ejusdem deputatos subtracto et de sigillo novo sculpto.) — Inter quae praesens privilegium nostrum omni suspicione destitutum, et omnia in eo superius contenta et expressa pro eodem Gyula filio Pauli et supra dictis nobilibus eorundemque haeredibus et successoribus dicti sigilli nostri novi dupplicis et authentici appensione innovamus et perpetuo confirmamus. Datum per manus ejusdem Dni Nicolai Aeppi Cancellarii nostri octavo Kal. Nov. ao. D. MCCCLXIV. Regni autem nostri XXIII.

Stephani Taurini

Olomucensis

Stavromachia

scripta Anno 1519.

Stephani Taurini Olomucensis Stavromachia a) id est cruciatorum servile bellum, quod anno ab orbe redempto post sesqui millesimum quarto decimo et Pannoniam et collimitaneas provincias valde miserabiliter depopulaverat. In quinque libros summatim digestum.

Ejusdem Index eorum, quae in hoc Opere visa sunt annotatu digniora. b)

Stephanus Taurinus Olomucensis Illustrissimo Principi et Dom. D. Georgio Marchioni Brandenburgensi, Serenissimi Principis Lodovici Vngariae et Boemiae etc. Regis potentissimi Tutori dignissimo etc. Dno suo generoso sese humiliter commendat.

Cum superioribus annis, Princeps Illustrissime! apud reverendissimum indulgentissimumque Dom. meum, D. Jo. Thurzo, Praesulem

a) Ex impresso exemplari — summopere, ut notum est, raro, et instar Mspti habendo. Exstat tale in Bibliotheca Caes. Vindob. Nro. LXXX. S. 9. signatum, estque probabiliter Viennae apud Jo. Singrenium impressum.

b) Index hic consistit in notis marginalibus contenta textus indicantibus, in hac editione ob spatii marginalis defectum in forma Notarum in fine cujuslibet paginae collocatis. Orthographia authoris vel exemplaris retenta est.

Wratislaviensem meo cum Wenceslao de Wylhartycz Jurium professo, viro non minus lepido, quam festivo Nissae socraticum ad symposium, scitis quibusdam convictoribus suis vocatus pariter assedissem: tum de Te, illustrissimo principe, tum de bello (ut vocant) Cruciferorum sermo habitus est, ubi animum ejus hoc uno scrupulo vehementer angi ajebat: avebat nempe scire, quibusnam impulsoribus, quo fato, qua denique ratione permoti fuerint Pannonii agricolae, ut contra Regni illius nobilitatem tam propalam arma sumpserint Mavortia. Nam ea tempestate Illustrissimam Dominationem Tuam non nihil damni ab iisdem perpessam fuisse inaudiverat; ego vero tunc variis permotus rationibus, tacere potius, quam multa inconsulto effutire malui. Nihilominus Dominatio sua reverendissima (quae sua est humanitas et benignitas prope singularis) me, cui merito praecipere poterat, valde benigniter stimulabat, ut Marte meo tam initium, quam exitum plebaei furoris hujusmodi ceteraque id genus omnia, quo fieri posset compendiosius, conscriberem, conscripta quantocyus publicarem. Quare ego, qui multis de causis in primis Tuae Illustrissimae Dominationi, deinde toti Turzigenae domui omnia debeo, injunctam mihi provinciam obviis uinis et assumsi, et nedum ea, quae desiderabat (liberalis hospitis more, qui jentacula tantum poscente amico, ipsum nisi exsaturatum abire non patitur) sed etiam multo plura perscripsimus. Quinque nempe libros, carmine hexametro a nobis olim scriptos sacro nomini Tuo dedicare instituimus; utinam ejusmodi sint, qui vel Tuis in me meritis, vel meae erga Te observantiae respondeant! Heae inquam nugae nostrae non modo ad severum unguem exactae non sunt, verum ne primam quidem manum totam acceperunt. Nuper enim, dum Istrogranae Aulae moererem, partim continuis

rauci fori patrociniis, partim reverendissimi Dni mei D. Thomae Cardinalis Strigoniensis Legati Apostolici obsequiis inevitabilibus ita obstrictus eram, ut a tanti Principis conspectu interdius etiam per transversum digitum abesse mihi non liceret. Itaque necessum erat, inter strepentium Aulicorum catervas aliquid literarum furtim transcurrere, et nocturnis subcisivisque horulis fuliginosas ad lucernas quaedam excerpere, excerpta in ordinem redigere, redacta dedolare. Tandem ubi hoc opus, cui titulum fecimus: Stauromachia, pene suum ad umbilicum perduxissemus, de repente adscitus eram inclitae Albensi Transilvanicae ecclesiae, in qua per reverendissimum Dom. meum, D. Franciscum de Warda ejusdem ecclesiae pontificem dignissimum, tum magistratu vicario, tum aliis non vulgaribus sacerdociis admodum graciose suffarcinatus, Prothomysten ago. Sub inde eos libros loculosum in scrinium cum aliis chartis meis conjeci, Regia Buda solvi, et post longas viae ambages, Albam Juliam pervenimus, vita comite et prosperantibus fatis, ubi et quotidianis negotiis praecordia nostra sursumque deorsumque multifariam distracta alio intendebant. Nec mirum id quidem. Quid enim commercii Musis esse potest verbosis cum juribus? Illae summo gaudent otio literario, haec sine extremis rixarum negotiis nunquam rite peraguntur. Proinde hae nostrae ineptiae in nonum usque mensem clausae delituerant. Invaserat me adversa quaedam valetudo, non minus diutina, quam gravis: cujus ego impaciens, Clarissimum Dom. Andream Selingum, Philosophiae et Medicinae Doctorem, langventis naturae ministrum perinde disertum atque diligentem, Sibinio accersivi, qui cursu Pegasaeo advolans, ultra dietam mihi injunctam id speciatim, ne quid omnino librorum attingerem, interminabatur. Ego autem in Plinii sententiam pedibus

iturus, omne id temporis, quod studio non imperciatur, perire ratus, committere nolui, ut sumptum praeciosissimum vilissimus corporis morbus sibi totum abriperet, praesertim cum hanc vitam velut alioquin caducam et incertam praeter literaria ocia nihil suauitatis habere, ita ad bonas literas perdiscendas plerisque breviusculam contigisse, ipsa rerum experiencia certiores facti sumus. Intermissis igitur Jurisprudentiae aliisque gravioribus studiis, redeunte pristino vigore, humaniores delicatioresque Pegasidum et Charitum fontes delibare destinavi. Revolvi confestim Chartophylacei mei schedulas; tum forsitan (Diis ita volentibus) Stauromachia nostra in ipso statim limine in manus incidit, pulvereo situ et blattis jam pene obducta, quam etiam tum denuo recognovi. Placuit, sed non aliter, quam primus partus puerperae. Ejus ego editionem Elephantis catulos operiri debere persuasus eram, ne eam vituperonum dentes livoris cote acuminati discinderent. Sed subiit subita Apellei illius celebratissimi dicti memoria: qui cum Prothogenis opus immensi laboris ac curae supra modum anxiae miraretur, dixerit, quod manum ille de tabula tollere nesciret. Accessit Plinii secundi memorabile illud praeceptum: nimia cura deterit magis, quam emendat. Jdcirco hoc Opus nostrum nostra sub incude eatenus fuit, quatenus illevigatis et crudis quibusdam Fabii Quintiliani acrimonia expunctis, pocius quam exquisita verborum pompa, ascititioque rerum decore inumbratum, sed politum, et perquam musteum prodiret. Videor mihi modum seruasse in excogitatione, in perorationibus, in parabolis, in commiserationibus, in ornatu, in exclamationibus, in manuum consertionibus, aut in adstructione; quamquam contractius ea quidem, atque Poetae solent; hoc ideo, ne hystoriae veritas (quae potissimum integra asservanda est)

affectatis cincinnorum cooptationibus minuatur. Quapropter cum superius praefatus sim, hasce nugulas nostras nobis non usque quaque displicere, eas ipsas ad Te, munificentissimum Principem Dom. meum undecunque graciosissimum transmittimus. Quodsi Tibi foeturam hanc nostram placituram esse intellexero; sciolorum quorumcunque tanquam poetridarum picarum rumusculos, anilibus fabulis persimiles, non pluris fecero, quam culicem Indus Elephantus. Mussitent illi; Taurinus ex Virgilii, Catulli, Lucani, Martialis, Horatii, Ovidii, Juvenalis, Ausonii, Persii, Silii Italici, Statii, Claudi, Jo. Pontani caeterorumque classicorum vatum Hemistichiis, ac etiam versibus Stauromachiam suam congessit: hanc eorum procacem petulantiam nos Moraniono apophtegmate retundemus, quod ipse suos in Virgilimastygas retorquere solebat: perquam funestum esse, vel Jovi fulmen eripere, vel clavam Herculis e manu Herculaea extorquere. Denique obnoxii animi et infoelicis ingenii est, deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere. Ego ingenue fateor, Lucanum belli Pharsalici cantorem in hoc intrito calle mihi ducem antesignanum fuisse: unde et ab ejus primitio versu a nobis nonnihil immutato, Pannonicum hoc servile bellum non abs re sumus auspicati: quatenus pius et candidus lector in ipso statim operis ingressu primordia Lucana pro Taurinianis agnosceret. Similiter et ex aliis poetis in nomenclatura superiore designatis non pauca mutuati sumus voto nostro correspondentia. Modo quicquid sit, ejus praeconium Tuae Illustrissimae D. totum defero. Etsi benignis auribus Tuis haec ceu illepida et inepta fortasse videbuntur: eo tamen facilius feres, quo Tullius ille Romanae facundiae facile parens, ajebat, opus esse ad poema quadam animi alacritate, quam plane mihi et negotia et tempora eripiunt.

Mihi satis esto, ut servato Hystoriae decore, contractum debitum meum aere etiam alieno persolvam: dummodo Illustris Magnificentia Tua more pacientissimi creditoris, versuram pro credito excipere non renuat, maxime si Ludio ille Terentianus neget, quidquam dici posse, quod non sit dictum prius. At mihi forsan abs te, optime Princeps objicietur, perexiguum hoc munusculum Tua magnificentia minime dignum esse. Confiteor equidem, neque iverim inficias, Jovi opt. max. sacrificos inter honores saepiuscule cespitem et exiguo placuisse farra salino. Longius me provexit dulcedo quaedam, qua Illustriss. D. Tuae coram loqui videbar, et fuissem profecto impendio verbosior, nisime Epistolae ratio receptui canere compulisset, ne modum, quem etiam Orationi adhibendum esse majores nostri putaverunt, ego in praeliminari ac nuncupativa praefatione excessisse dicar. Vale Literatorum singulare profugium, tuumque Taurinum apud invictissimum principem et Dominum Lodovicum Ung. et Boemiae etc. Regem Christianissimum sedulo comendatum habe. Alba Julia ad Kalendas bifrontis Jani anno Christiano MDXIX.

Vdalricus Fabri Rhetus Lectorem alloquitur, an hos libros legat, addubitantem.

Heus bone, quid frontem veluti jam percitus ira
Contrahis adversam, nil mihi crede nocet.
Nil, mihi crede, subest, sceleris, nil criminis usquam
Invidiae. Lector pellege, certus eris.
Non minor est nostro vates Taurinus in aevo
Quam qui rupta canit pergama, rura, capras.
Quin m[illegible]is instituit vitam probitate, fidemque
Canam demonstrat, dogmate nempe sacro.
Crimina Nobilium quae sunt, plebisque profanae
Carpit nunc turbas, aeris et inde sitim

Nec verum tacuit, belli quae caussa nefand
Extiterit, lector prehendere rite potes.

Franc. Siculi Transilv. Exasthicon.

Diruta Meonio quantum vel Pergama Vati
Debent, vel rapidis vectus Ulysses aquis;
Quantum Roma suo debet victura Maroni
Et pius Eneas, durus et Agricola;
Taurino debent tantundem regna Poetae,
Quae gaudent titulis Rex Lodovice Tuis.

Servilis belli Pannonici liber I.

Bella per Ungaricos plus quam servilia campos
Magnorumque Duces scelerum plebisque profanae
Colluviem et causas tantarum dicere rerum,
Fert animus. Non Vos, celebres Permessidos undae a)
Cultrices, nec quae sacra Vati oracula adestis
Nec te, qui summum gemino feris aethera colle
Carminibus Parnase petam, nec Hiantida cantu b)
Aggrediar, sed vos Herebi impia fata sorores
Et vos irrequies labor, atri numina averni
Eumenides, tristemque procax Acheronta movebo. c)
Vos precor, o vos, quae terris insomnia aperto d)
Nocte Polo secreta hominum, secreta Deorum
Vulgatis, tenues umbrae! et sine pondere corpus!
Dum nullus nostris protenderit auribus auceps
Rhaetia, nec vobis testes referentibus adsunt,
Pandite per tenebras caussam, cur durus Arator
Pannoniae servile pecus servilia bella
Moverit, et letho Proceres proscripserit atro.
Quodsi nocturnas dabitis responsa per auras;
Coniferam vestras (grave olentia dona) Cupressum.

---

a) Permes. flu. b) Parnasus, Hiantes. c) Eumenid.
d) Invocatio.

Ante fores ponam, Stygiaeque ad limina portae
Liba feram et vestris dicetur naenia claustris.
Improba de tristi consurgens sede Megaera a)
Arrectis stetit auriculis, caussaeque patronam
Nostrae agit, haud mirum (quid enim non munera possunt)
Illius in votum pedibus venere sorores,
Ipsaque fatali sic orsa est voce: supernis
Si qua fides astris, aut coelo si quid ab alto b)
Aethera cognatum humanis in mentibus haeret;
A patre falcifero terras qui sydere pigro c)
Inficit, et lethi causam infoelicis et omne
Morborum genus et conspiramenta malorum
Haec manasse puta, plebeos crede tumultus
Edere Saturnum et ferratis texere seclis
Saecula, nec longum producere gentibus aevum.
Accedunt horrenda poli portenta, quod olim d)
Jupiter et Mavors inimico lumine pressi
Qua testudineo geminorum pendula cancro
Fronte lacertosis junguntur brachia nodis,
Infortunati ille cadens, stans ille, coibant.
Necquiquam visus lentis in piscibus ater e)
Solis defectus qui contra nobilitatem
Jusserat insolito saevire ignobile vulgus.
Seu gravis ira Deum, seu fata maligna cruenti
Hanc belli seriem, has patriae statuere ruinas.
Seu quod per dirum miseris mortalibus omen
Nuper sanguineos flammato vertice crines
Sparserit inuisa visus sub nocte Cometes. f)
Sive per augurium feralis carmine bubo g)
E gemitu crebro strix importuna per urbes,
Praeraucum crocitans mussat niger oscina corvus

---

a) Megoera. b) Responsa Megaerae. c) Saturni Sydus quid? d) Jovis et Martis conjunctio. e) Solis deliquium. f) Cometes. g) Insuspicata avium auguria.

Lucifuga in tenebris super alto noctua tecto
Cucubat, et lugubre latrant praesaga futuri
Belli monstra canes, ululant ululaeque lupique.
Stulti mortales, qui talia frustra a)
Creditis, et vino dapibus, somnoque sepulti
Ad vitae medios raro pertingitis annos!
Tu quoque, quod crudam mortem gladiosue timere b)
Nescis, scis hominum sanctas pervertere leges
Aurum! cunctorum plus quam exitiale malorum
Virus et abstrusae vos hoc vilissima rerum
Pars, bellum movistis, opes, semperque paratis
Pacificae genti plebejam seditionem.
Exilia, interitus, lites, perjuria, fraudes,
Proelia, furta, dolos, cum proditione rapinas.
Hinc scelerum radix, quae quanto antiquior esto c)
Tanto plus patulis rimatur faucibus aurum
Edita Avarities, nostris quam propter in aulis
Tantalus a raucis fugientia pocula labris d)
Captans perpetua sitis atrae peste laborat.
O utinam Harpyas illas sors illa maneret,
Quae, quodcunque Midas manibus tractaret avaris e)
Jussit in auratas converti fercula massas,
Massas, quas pollens Sydorum divite regno
Croesus in aurifluis olim corraserat undis.
Sic ait et vanas cum nocte recessit ad umbras.
Umbra Megera levis. Jam dudum turba prophana
Sangvinei Thurcae confines Pannoniae oras
Urgebant vario incursu atque hostilibus armis.
Thomas cardinei non ultima gloria coetus, f)
Quem ramosa ornant vivacis cornua cervi
Semirotam super impacti, Bizantius Aaron g)

---

a) Apostrophe ad homines. b) Ad aurum. c) Avaritiae propria. d) Tantali labor. e) Imprecatio Megerae in Argyrophilos. Midas. f) Tho. Card. Strig. g) Bizantium.

Pannoniae regis Regnique capessere jussa
Cogitur, et curva tentare pericla senecta.
Quem suis ambiguo somno et moerore madentem
Talibus Eudaemon monitis solatur et urget:
Parce Tuis grandaeve senex! diffidere votis, a)
Praemia nec pigeat parturi certa laboris
Nil non posse Deus Tibi annuit, annuit astrum
Et fortuna, fides, longa experientia rerum
Omnia quae cupias, quae fas est, omnia habebis
Saltem rumpe moras, sua nulli est grata prophetae
Patria, quae primos externis praebet honores.
Longinquam emensis lustrabis montibus urbem, b)
Urbem quam dicunt Romam, nil sanctius illa
Justis, injustis videas nil tetrius illa;
Nusquam fortunae communior area nusquam
Tam cito quam Romae (modo sint virtutis amantes)
Obscuris geniti natalibus alta bicornis
Pallade et obsequio transscendunt culmina Mitrae.
His actus stimulis iter arripit, omnia juxta
Fert, caput incanum ventis concredit et undis
Orator magnam magno subit agmine Romam.
Forte Petri lembum nulli virtute secundus c)
Julius aequoreis jactatum fluctibus acri
Defensum studio tuta in statione locabat.
Hunc Ligurem (immensi quando orbis et urbis avitas
Duplicibus sceptris moderaret solus habenas)
Armipotens toto tremuit Germanio coelo
Hunc Poeni terris timuerunt, aequore Mauri, d)
Omne quod Euphratem, quod quinque interjacet Histri
Brachia, pertimuit, molles timuere Sabaei
Territa Niliaco si qua est gens accola fonti
Magnus et Oceanus, qui terras alligat omnes
Expassum stupido pelagus contraxerat alveo.

---

a) Genii ad Card. exhortatio. b) Roma. c) Jul. II. Pontif. d) Poeni. Mauri. Quinque Danubii ostia.

Compositis Regni rebus, commissa referre
Dum properat Thomas, summis hunc fascibus auxit a)
Julius, et duro fatorum funere raptus
Indignus terra, summum conscendit Olympum.
Cui Janus celebri Medicea stirpe creatus b)
Successit decimus Leo, propugnator et autor
Juris Apostolici, Maja satus edidit ipsum c)
Aera falcata penetrans Cyllenius Harpe.
Nutriit hunc Pallas, nec solo haec stirps proauorum d)
Clara fuit studio, sed rerum prorsus amica
Fortuna felix, inopes qua juverat et qua
Romanam Stygio linguam revocavit ab Orco
Qua Graecas patriam Musas traduxit in urbem.
Decretos iterum Thomae Leo praebet honores,
Quos ille invitus vix tandem assumpsit, utroque
Saepius et Regi et Regno repetitus, amatae
Ut patriae citius collapsam restituat rem.
Nimboso fluctu surgebat aquosus Orion e)
Tristis hiems tremulo surrepens horrida passu
Induit in canos terramque Jovemque capillos.
Tum fastidita solvit Tyberinide Roma
Cujus ad utriculos flavas trajecimus undas, f)
Haud procul ingenti strepitu, qua sulphureus Nar
Praeruptis scopulis utrinque arctatus ab alto g)
Vertice guttatim ruit imas in cataractas h)
Moenibus assurgens passis celeberrima ab uvis
Umbrica flumineum praetexit Narnia nomen. i)
Post patulum campum montes transcendimus altos,
Unde plagas Tuscas, Apenninosque recessus k)
Oppida, aëriasque arces, castella, situmque
Vitiferos inter colles, ultroque citroque

a) Jul. II. mors b) Leo Papa X. c) Maia. d) Medicorum familia bonarum literarum vindex unica. e) Orion. f) Hodeporicon. g) Nar. fluv. h) Cataractae. i) Narnia. k) Tusc. situs.

Vidimus, et magno Laurentia condita sumptu a)
Delubra ingredimur, miro foecunda sacello.
Ventum est ad portum, quem Dorica sustinet Ancon b)
Sidera Chimerinus dum percutit ima profundus, c)
Ausus hic Hadriaci furiosas aequoris undas d)
Brumae temporibus veneta legere arbore, et ausus
Illiricos penetrare sinus temerarius audax.
Taedia, flabra, nives, vomitumque, famemque, sitimque
Multum ille et terris, multum perpessus et alto
Namque excita Euro tempestas horrida utrimque
Cornua fractarum contorserat antennarum. e)
Spe desperata servati sorte Deorum
Hic ubi Carniolis cinguntur montibus Histri, f)
Fluctibus ejicimur, legimus fracta rate littus
Illyricis cultum populis, cultumque Liburnis. g)
Perpetuos patulo, qua proruit Aeolus antro,
Dentibus attritis gravis anchora de rate in aequor
Mittitur et portum dabat in statione furenti
Segnia, quae segni torpescit frigore brumae. h)
Segnia, quam rapido Canis aestifer ustulat igne
Segnia Dalmaticis non longe a finibus, istic
Iam quater octenos obliquo lumine Soles
Compleral Titan, quo nos scelerabile frigus
Esuriesque adeo misere confecerat, ut vix
Haererent vani macilento in corpore nervi.
Sic illo tandem discessimus atque cupitam i)
Tendimus Ungariam. Thaumaesi terga leonis
Occiderant, oriente lyra, fulgentibus astris k)
Jamque Savum duro contractum frigore honustis l)
Curribus, hinc Dravum resolutum navibus imus. m)

---

a) Loreti sacellum. b) Ancona. c) Chimerinus d) R. D. Legati Nauplia. e) Antennae. f) Carnioli. Histri. g) Illyrici. Lyburni. h) Segnia. i) Ungaria. k) Leo, Lyra. l) Savus. m) Dravus.

Atque ita sub laetos nummosi Pannonis agros
Venimus et magno ad Strigonia templa triumpho. a)
Deductum Dominum laeti comitamur et illo
Solventem sequimur Regales usque sub aulas.
Hic ubi fulnificis olim fornacibus Ethna b)
Ignea erat, munus recoquendae calcis adustum;
Cornibus oblongis pluviosum clausus ad Austrum
Mons arte erectus regalem sustinet urbem,
Budam Romani, fornacem nomine appellant
Teutones, externis opulentam rebus, ibidem
Regia digna Jovis, nascenti pervia phoebo c)
Roscidulis Phaetontis equis quando aurea cano
Purpureas aurora comas de gurgite profert
Tollit ad astra caput, laqueataque tecta coruscis
Divitiis, crassoque trabes absconditur auro.
Istic Phidiacis lucent asarota figuris
Fornicibus crustata domus parioque politae
Effigies instar speculi de marmore fulgent,
Ornat caelatos aes fulvum et fusile postes
Purpureum Sardam, maculosum Onychem, ebur, alta
Atria sustentant viridi distincta Smaragdo,
Circumquaque calet vitalis fons limpidus undis. d)
Ad Mariae Albae aedem, curru sublatus ab alto
Thomas Sidonio bis tinctam murice pallam
Induitur, summi praesentia numina Christi
Virginis et Matris sacrata juvamina poscens.
Captis auspiciis subiturus Regia tecta e)
Spumiferum conscendit equum, quem fulgida primum
Sceptra manent, mox siderei crux alta tonantis
Fertur, et Apedibus nitidas, duo signa, secures
Hinc atque inde gerunt, longo post ordine patres
Linigeri, denso magnates turbine, vulgus
Legatum terra circundat inerme corona.

---

a) Strigonium. b) Budae descr. c) Arcis Regiae designatio. d) Thermae Budenses. e) R. D. Legati Ingressus.

Jam prope turritae lucebant moenia Budae, a)
Frondaea grandaevum qua dissecat insula primas
Danubium lento lambentem flumine portas.
Ipse suum natum, Regem Rex, indole mira b)
Dii quantae puero Charites, quantus in illo
Ante dies animus, Dii quanta in Principe Ephebo
Mens et cana fides, positum super astura, notam
Jussit obire viam, multo comitante ministro.
Ensifer et pictus venientem Anteambulo Regem c)
Praecedunt longis ambagibus, ecce superbus
Rex arcis valvas urbem atque suburbia calcat
Rex juvenis, novus Aeacides, dignissimus Heros.
Flos, amor humani generis, praenobile Regni
Delitium, clavo rutilans sublimis in aureo
Torquatos inter proceres, interque togatos
Pontifices, cui flava humeros lambitque tegitque
Caesaries, crine et madido cyrrata caterva
Omni ex parte subit, subit omni ex parte Selingus d)
Gentili mixtus Moravo, mixtusque proceris e)
Bojemis, tam vestitu quam corpore pulchris. f)
Vastae Archiflamen Bachiae, Gregorius omni g)
Virtute insignis, bonitate fideque probatus,
Quem capitolinis Tarpeja Saxa columnis
Exquiliae et Martis Campus, cum colle Quirino
Mons et Aventinus, fora quem Romana recensent
Stemmatibus claris et longo sangvine cretum
Principis ad tergum de Frangepanibus ibat.
Ibat Joannes Goston, veterum atque novorum h)
Hystorias sacramque Chelin, qui sidera coeli
Novit ceu proprios ungves; Podmantius illum
Assequitur, foelix hoc praesule nomen ab amne
Celsa trahens patulum prospectat Nitria campum. i)

---

a) Divae Margarethae insula. b) Seren. R. Ludovici indoles. c) R. Ludovici obviam itio. d) Selingus. e) Moravus. f) Bohemus. g) R. D. Gregorius de Frangepanibus A. Epp. Bachiens. h) R. D. Jaurin. i) R. D. Steph. Episc. Nitriensis. Nitria.

Deinde Ladislaus Vaciensis, dexter agundis
Pannoniae in rebus, Charitum Phoebique sacerdos
Emunctae nimium naris, pede sive ligato a)
Sive lubet magnum sermone tonare soluto,
Aequavit veteres, praesentia nomina vincit.
Huic haesit parili studiorum laude Cathedrae
Boznensis Praesul; reliquos sermone Pelasgo b)
Pontifices magno post se videt intervallo,
Quorum plus nimio nomenclatura vagata est.
Tum vero in numerum Comites regemque videres c)
Ludere equis; equos crebris hinnitibus auram
Complere et strepitu coelum resonare profundum.
Mox ubi perventum est extremae ad limina portae d)
Conspicua rubro insignitus fronte Galero
Obvius it Thomas, inspecto principe princeps
Cominus accessit Lodovicus Pannoniae Rex.
Rex juvenis, novus Aeacides, dignissimus heros.
Blanda tuens, caput inclinat cervice parumper
Demissa, tacitamque oculis labrisque salutem
Innuit; hanc contra gestu habituque decorus
Nutibus acceptam legatus nutibus offert.
Quem simul et regem tacito observare Georgius e)
Coeperat, insignis Praesul quinque Ecclesiarum
(Sed male in Hexametro quadrant haec nomina versu)
Integer et purus sceleris, cui maxima regni
Res curae est, et cui sua Cancellaria curae est.
Vir probitate ingens, hoc non consultior alter
Rebus in ambiguis, fandi gnarissimus, illo
Praesule nil usque videas studiosius, illo

---

a) R. D. Vaciensis Lad. Zalkanus. b) D. Mich. Keserew, Ep. Boznensis. c) Hippomachia. d) Coitio regis et Legati. e) R. D. Eppus Quinqueecl. Regni Cancellarius.

Nemo minus solus quam solus, quippe diei
Noctem operose addit multam, furatur et horas,
Queis veterum evolvit, volvit monumenta novorum
Mirandum in vultum mirandos fixit ocellos.
Tum circumspiciens blandum sic ore rotundo: a)
Macte novis (orsus) titulis dignissime Summi
Pontificis Legate! venis, dextro alite utrisque
Regibus et nobis, patriae charisque propinquis
Exspectate diu pacis transmitteris author.
Exoptate diu, proprias remeare sub aedes
Quod tua dignata est excelsa potentia, quod jam
Corpore ades nobis, aderas qui mentibus olim,
Gratamur, durum quod iter deviceris, inquam,
Te redeunte redit priscorum portus honorum,
Te duce perdividae mediis immersa tenebris
Ungariae sua forma redit, rèdiere priora
Tempora, cui solum Thurcarum terror et error
Improbus, et rèrum cedet concordia discors.
Hanc Tu Tartareo, proconsul maxime! solus
Proscribes Erebo, et portis damnabis ahenis.
Te plausu hii proceres, te haec turma piissima Cleri
Te plausu parili sexus veneratur uterque,
Vive, vale! quantum non Argantonius heros b)
Non Pylius Nestor, nec avis rediviva; nec hausto c)
Pulvere mensa suam Cumana Sybilla senectam. d)
Postremo serus jungaris Coelitibus Diis.
Hoc cupio, haec ingens votorum est summa meorum
Hanc mihi quaeso ratam magni moderator olympi
Faxit; cui paret phlegeton, mare, sydera, tellus.
Dixerat. Hunc contra sic Archipraesul ajebat: e)
Altera hyems abiit, jam tertia volvitur aestas
Ut patria carui et peregrino errare sub orbe
Debui et emeritis istis non parcere canis,

a) Ejusdem R. Dni Quinqueecl. oratio. b) Argantonius. c) Pylius Nestor. d) Sybilla Cumana. e) R. D. Legati responsum.

Quam fuerat sacius, Phoebo Musisque vacasse
Et latuisse domi, quam summi praesulis aulam
Sollicitum terere, et caput hoc obtundere curis.
Sed Rex et Regnum (quibus haec ultro ossa tenemur
Hanc animam) has nobis curas, haec jussa dederunt;
His potero, quidquid potero, et benefacta suorum
Officiorum in me memor, alta mente reponam.
Sic ait; et regem dextrorsum pronus obibat.
Atque ubi nubiferae ventum est sub regia Budae
Moenia; successum et tectis, mox luce sequenti
Concilio magnis Regni de rebus habendo
Selectos proceres Rex accersivit, anhelus
Filiolusque paterque sua cum principe nata, a)
(Qua nihil in toto videas formosius orbe)
Sub sua legatum cunctantur tecta futurum.
Quo viso lacrymis vultum perfudit obortis,
Singultusque imo crebros de pectore fundens,
Rex grandis natu post longa silentia ita inquit: b)
Venisti tandem sub nostra pallatia, magne
Compater! et terra multum jactatus et alto
Fausta sit ista dies, niveis signanda lapillis,
Quae mihi te reducem dedit, incolumemque videre.
Haec Tibi sint cordi nostrae dulcissima vitae
Pignora, Caesareis ambo decoranda coronis.
Jamque parabantur pompae simulacra futurae, c)
Ingens circus erat Budensi septus in atrio,
Quanta super summis poterat consistere tectis,
Tanta subit turbae facies, undare videres
Ima viris, altas consurgere matribus aedes
Mixta mari conjunx, et plenis nubilis annis
Ad celsum virgo podium spectabat amicta
Coccinea insigni tunica, quam limbus obibat

---

a) Sereniss. Dnae Annae regis filiae forma. b) Seren. Regis Vlad. super legati reditu congratulatio. c) Cruciatae promulgatio.

Purpureus niveumque aurata monilia collum,
Ornabat madidos curvum crinale capillos.
Luridus imbriferis infaustum nubibus omen a)
Sol dabat exoriens. (Quis solem dicere falsum
Ausit et errantem frustra nigrescere lunam.)
Illa dies atro fuerat carbone notanda,
Qua peronatus cruce signabatur arator.
Ut staret dominos contra, et subduceret arcto
Colla jugo; hinc promptam male agendi sumpserat ansam.
Zeglius ut votis vidit sibi mille petitum b)
Oblatumque diem, vultu pietatis iniquum
Dissimulans animum, Budam pernicibus alis
Advolat, extremo quo involveret omnia casu
Promptus ad omne nephas, cunctorum lerna malorum. c)
Thesaurus scelerum, gestus artemque nocendi
Edoctus, violare fidem, sensusque minaces,
Cognatam et ficto fraudem praetexere risu;
Ira ingens, furor atque ingens, ingentibus ausis
Illi animus, fastuque tumens ambibat honores
Supremos, quem continuo imperiosa cupido
Omne agit in crimen, non hunc reverentia divum,
Non amor aut pietas charorum certa parentum
Ulla movet, mediocre nihil sperabat et omni
Plenus nequitia, lucrique cupidine flagrans
Aurea non uni Pactoli stagna rubentis d)
Non Tarthesiacis tempestas fulva lapillis e)
Orta Tago, nec opes Croesi, nec scrinia Crassi f)
Sufficerent, quin auriferae decoctor harenae
Semper egenus inops, furtis et vivere rapto
Acrior Eurynno, nece pejor, tristior orco

a) Monstra futuri mali. b) Georgii Zeglii ad Budam adventus. c) Ejusdem Zeglii prosopopeja. d) Pactolus fluv. e) Tarthesia. f) Tagus fluv. Croesus Crassus.

Qui vitio alterius nigrum praefigere Tita
Nouit et integros odiis turbare sodales:
Quodsi tale usquam monstrum transacta vidissent a)
Saecula, Pyrithoum Theseus pertaesus, Orestem
Odisset Pylades, ovo prognatus eodem,
Dimidiumque sui sprevisset Castora Pollux.
Is motulae impaciens, coecaque libidine regni
Captus, in exili servilia tempore bella
Movit, et in pagis juvenesque virosque senesque
Symbolica cruce signari, quos invenit, omnes
Compulit agricolas, stringens pratensia cursu
Aequora pegaseo, nil non tentare veretur
Ut probitate carens praeponit turpia honesto, b)
Sic assveta malis falso pervertere verum
Mens solet, hiis vulgum ampullosis circuit orsis:
Ingenue dicam, majorum stemma meorum c)
Aut vanos titulos, aut ostentare triumphos
Non valeo. At si res, si tempus postulet, hastas
Vexillum, phaleras, clavam, gladiumque scutumque
Adde cicatrices adverso in corpore sparsas;
His ego imaginibus partis sudore perenni
Glorior, haec nostrum decorarunt stemmata nomen;
Nobilitas nostra est multo preciosior illa,
Quam levis ambitio, perfusaque gloria fuco
Per fas, perque nefas parit et dat posteritati.
Electum regale genus, servata tonanti d)
Pignora sidereo, crucifixi stemmata Christi
Nostras ad tunicas, servatoremque benignum
Devoti gerimus pronis in cordibus; ille
Nos Deus Astripotens jubet atrum perdere Turcam.
Parendum est jussis, neque enim mihi fallere quemquam
Est animus, quos ire juvat, sedesque beatas

a) Tria amicorum paria. b) Comparatio c) Georg. Zeglii cohortatio. d) Persuasio.

Perpetuum et nomen sibi quaerere, rite caduco
Corpore constanti subito nos mente sequatur.
Plus exempla movent populum quam verba regentis,
Queis sine nil recte disces, nil rite docebis.
Ite pares mecum socii comitesque venite.
Primus ego vadam per mille pericula, primus
Incipiam, primusque pedes in pulvere ponam.
Flammivomus me sol feriat, mihi ventus et imbres
Telaque Sicaniis excusa Cyclopibus uni
Officiant, fatisque potens incommoda vestra
Declinabo meis, nudoque hyemare sub axe
Axe sub algenti bibulis profusus harenis
Vobiscum molles sub divo carpere somnos,
Aut Schyticum duris haurire bipennibus Hebrum a)
Non pigeat; nobis communia singula sunto.
Ite pares mecum socii, comitesque venite, b)
Militiam modo quisque suam poscatque probetque
Quaerite virtutem, memorandi exemplar honesti
Praelia gesturi varios cingamur in usus,
Quippe magis gaudet rebus patientia duris,
Quanto plura tulit dubii discrimina mundi.
Ite pares mecum socii comitesque venite! c)
Praesertim si sancta fidem asservare probatam
Jura jubent, nobisque est tradita copia belli,
Jure dato nobis uti legumque licebit
Salvos vos ducam, salvos (mea vita) reducam
Sic fatus populo bellum persuasit, et arma
Pro se quemque jubet varios assumere in usus.
Tempus erat laetum Zephyris et irundine prima, d)
Omnia cum rident, cum ludunt floribus agri,
Cum pingues tepidus terras irrorat Eous,
Et peregrina novum testis componere nidum
Gaudet Ibis, desiderio vis addita crevit

---

a) Hebrus fluv. b) Confirmatio concionis. c) Ejusdem exaggeratio. d) Veris descriptio.

Agricolis multum furacibus, hii omnia bello
Postponenda putant, pacem dominosque perosi.
Mox Divum hominumque pater sublimis Olympo a)
Despicit et tantas miseratur pectore clades
Proh superi! exclamat, miserando incumbere regno
Pannoniae vulgare nefas, spectacula cruda,
Crudeles pugnas, inimicaque proelia cerno.
Atlantis facunde nepos, qui nostra per auras b)
Nuncia, qui tacito defers mandata recessu
I citus, et capiti petasum, manibus cape virgam;
Aurea pennatis pedibus talaria necte,
I volucer pacemque aeterno foedere jungas
Palladis armisonae; te Martis multa sequentur
Praesidia, has pugnas prorsum extinctura cruentas
Dixit. At hunc Consus monitis objurgat amicis.
Jupiter haud verbis opus est, opus est ubi facto, c)
Nec Martis vires, nec mitia Palladis arma
Sufficiunt tantis belli pugnaeque periclis
Aegida, qua quondam saevorum turba gigantum d)
Murmure cum magno cecidit Titania proles
Ni modo concutias, res est in cuspide ferri.
Nec mora, rapta manu Siculorum tela fabrorum
Vibrabat Deus astripotens, fulmenque retorquens
Horrendo tonitru totum concusserat orbem.
Praepetibus pennis Budam funestus ad ipsam e)
Nuncius, invisum referens ex ordine crimen,
Advolat, et pulsat clausi penetralia Regis.
Triste quidem dictu, sed si modo vera fatemur,
Tota Telonea agri Comani exusta, Telonum f)
Ambustis sudibus suspensa cadavera passim,
Passim flammivomeis natos ex ignibus ignes
Nunciat, in proceres saevisse ignobile vulgus.

---

a) Jovis ad coelum concio. b) Mercurii periphrasis. c) Consus ad Jovem. d) Gigantimachia. e) Nuncii ad Budam transmissio. f) Teloneorum et Telonum depopulatio.

Hinc rerum malus interpres metus omnia pessum
Ire jubet, quod vera solet geminare, pauoris
Ingenio, primum pavidam undique et undique cepit
Ungariam, debinc longinquas conterruit urbes.
Territus Hadriacum trajecit Dalmata Pontum a)
Citra ultraque Pharum Triquetri timuere Tyranni b)
Italici Gallos, Galli Germana petebant c)
Oppida; Theutonicus divisos orbe Britannos
Ibat, et herculeis vicina Hispania metis d)
Qua armatos homines qua plaustra onerata furenti
Turbine percellit violentus Circius, et qua e)
Naucleros tuta prohibet statione moveri f)
Sole Rhodos, Jove Creta, Cyperus Cytereide felix
Indevicendos vix non liquere penates.
Ut sibi fortunam, bellum, tempusque locosque
Zeclius agnorat vultu aspirare secundo;
Induit effrenes animos, audacibus ausis
Non solum agricolas, verum Cives, Proceresque
Evocat in bellum crudele, necesque minatur.
Ni veniant, mediis in vicis prodromus altos
Fixerat humano maculatos sangvine palos.
Extemplo attonitos gelidus timor occupat artus
Heroum, turbata sibi sic sceptra tyrannus
Pannoniae promittit iners, ridentibus excors
Fortunae placide votis male coeperat uti.
Petrus Vesprinnae bellax antistitor urbis g)
Illyriae Banus, (sic illum Panno salutat
Cuius ab imperio provincia tradita pendet)
Hoc duce Dalmaticis plebs dura sub alpibus audet
Aut simile aut majus magni Mavorte Philippi,
Dignus cui assignes Tripodas, donesque Corollam,
Cui merito cedat vel Larissaeus Achilles,
Quem possis patriae assertori aequare Camillo

---

a) Dalmata. b) Triquetra. c) Sicilia. d) Hercul. columnae. e) Circius ventus. f) Rhodus, Creta, Cyprus. g) R. D. Petrus Beryzlo Ep. Vesprim.

Talia sangvineo transmisit scripta tyranno: a)
Metiri sua Regna decet, nec fidere servis.
Proh nimis ignave, poteras cognoscere ab ipsis
Unguibus, intutum quam sit confidere servis
Nulla fides servis, nisi dum Tua ferbuit olla
Vivit amicitia projectis vilior algis
Rustica plebs nulla genus arte domabile semper
Stat Dominos contra, quid agas, Dux improbe, nescis.
Multa cadunt inter calicem supremaque labra
Nam lapsu majore ruunt qui culmen honoris
Transscendere; jubet mala sors florere nocentes
Et languere pios, consortibus Ambrosiam Diis
Qui miscet, pede fortunam qui calcat utroque
Ipse cadis geminis et laeta et tristia promit
Et sua virtuti, sceleri sua praemia reddit.
Proh nimis ignave vel Gryllo stultior, illam b)
Plutonis Dominam Reginam tamne repente
Irreverenter habes, curvum qui nuper aratrum
Vertere doctus eras, tua foedo insignia rastro
Lucebant et adhuc nescis, Dux improbe! nescis,
Lubrica et instabilis quam sit sors; nempe superna c)
Nunc suffulta rota partes modo versilis imas
Occupat, hunc tollit, premit illum, laeta capillis
Frons, sed tergo tenus caluaria glabra resedit.
Ipse ego nummacem Croesum, qui vinceret auro d)
Vidi hodie, et noui cras Iro pauperiorem e)
Tecum habita, tua regna proba, te noveris ipsum! f)
Sero nimis discis, superum quid lenta Deorum
Ira potest, et lenta potest quid Principis ira
Aspera radicem trunci scissura securis
Imminet, ut quondam formae bonitatis abusus
Purpureum in florem Nireo formosior ibat g)

---

a) Ejusdem R. D. Epistola epiphonemicos. b) Ad Rham, Plutonis conjugem allusio. c) Fortunae idea. d) Croesus. e) Irus. f) Nosce te ipsum. g) Nireo formosior Narcisus.

Narcisus, sic sic ultrix Rhamnusia de Te
Exiget insuetas miserando funere poenas.
Extemplo infestis exutas hostibus urbes
Muscatas vites, hortos, pecuaria, caulas
Horrea cum cellis et propugnacula et arces
Oppida cum villis sinuoso condita tractu,
Piscuosus circum quae volvitur amne Tibiscus a)
Omnia aequata solo, nihil omni ex parte relictum.
Fama volans aras, donaria, templa, sacella
Coenobia, atque focos vestales semine multo
Pollutos, magnae violatas turpe Dianae
Sacrificas vates, raptas viduasque nurusque
Nunciat et procerum madefactam sangvine terram.
Hoc terrore gravi non solum civica turba
Perculsa est, sed Rex et Regis Curia, et ipsi
Heroum cecidere animi, tantisque procellis
Septi bellantum servilibus undique monstris
Deficiunt, tantumque modo reparabile damnum b)
Eventu stolido rerum didicere magistro.

Liber II.

Optimus interea Vladislaus Ungariae Rex c)
Munificus Princeps, quo non praestantior alter
Justicia, pietate, fide, clementia, eburno
Suffultus solio, quem fama loquacibus alis
Unde venit Titan, ubi iners ruit Oceano nox
Ultra Sauromatas alioque sub orbe Britannos
Evexit, magna cum majestate verendus
Delectos Regni Proceres accivit, et illi d)
Non secus atque olim praenuntia discolor Iris
Cogerat ad summi jussum Jovis omnia coeli
Numina, sic Regis veniuntque ruuntque in aulam.
Nos classem ingredimur misso Strigone vadoso, e)
Danubium Illyricis Regem fluviis numeroso

---

a) Tibiscus fluv. b) Home. Adagium. c) Seren. Regis Vlad. Edictum. d) Parabola. e) Strigon fluv.

Remige sulcamus, regali splendida luxu
Buda iterum turrea, summa et fastigia monstrat,
Pontificum et procerum magna occurrente caterva
Susceptus celsas Legatus tendit ad aedes.
Ergo ubi collecti proceres, ut rebus in arctis
Consulerent, tantisque darent praesentia morbis
Pharmaca, mansvetus princeps blando ore monebat:
Quae per vos cecidit, per vos fortuna resurgat a)
Selecti Heroës! O vestra debita Regi
Progenies, Regni summam esse in cuspide ferri,
Undique sangvineas pugnas, gravia undique bella
Cernitis et duros in nos, nostramque salutem
Spirasse agricolas, belli portenta cruenti
Quae nisi quam primum radicitus evellantur,
Actum est. Ergo agite intrepidi, virtute manuque
Consulite in medium patrios tutare penates
Quandoquidem plures in summa pericula misit
Venturi timor ipse mali. Quare obsecro tandem,
Ingentes praestate animos, succurrite rebus b)
Fessis, summa fides supremos computat annos,
Este animo forti, fortes in pectore pugnas
Nocturnis versate horis, versate diurnis,
Audaces Bellona juvat, Mars arma animumque
Suggerit, o nostrae felix tutela Salutis!
Si vos nulla movet miseri clementia Regni
Sint saltum vobis nostra haec duo pignora curae.
Pignora spes et res nostrae et solatia vitae
Ite precor, precor hoc servorum rumpite bellum, c)
Ite alacres animo, et varios cingamini in enses,
Est opus, effrenem gladio delere juventam,
Talia ne seri praesumant facta nepotes,
Pellite servilem patriis a finibus hostem,
Frangite terribili servilia castra tumultu
Dixit, et ad multam solvit Comitia noctem. d)

---

a) Vlad. Regis concio. b) Ejusd. persvasio. c) Symathrismos. d) Comitia.

Volvitur et gelidus circum praecordia sanguis
Nobiliumque gravis constrinxerat omnia torpor
Pectora, nam tensis jam dudum tela lacertis
Tela manu volvunt, telisque frequentibus instant.
Pluma, dapes, Bachus, nox et secura nephandum
Ocia crimen habent, habet et sua Regna veternus. a)
Horum prima meret dulci stipendia lucro
Fusus ad irriguos fontes et opaca vireta
Aulicus, ignavae desumens tempora vitae.
Inter pomiferos millenis floribus hortos
Ridentes hortos, qua mollis Amaracus et qua b)
Vere novo fragrans rosa candida mixta rubenti
Complet odoriferis topiaria picta coronis,
Mille solent istic nuda certare palestra. c)
Pinnirapi et doctis projecta carne lanistis
Sublimes liquido revocantur ab aere nisi,
Mille coronandi sertis ciniflore madentes,
Pexi Thessalico crispantur pectine crines.
Ille Miloniacis ventosum viribus orbem d)
Brachia continuo quaciens sudantia ludo
Folliculum excussis trudit per inane lacertis;
Ille brevi facilis gyro concludere corpus
Oenomai, vocat ille pedem in certamina currus
Spectantumque alius cupidos perstringit ocellos, e)
Certa incerta facit, modo quod vaga dextra tenebat,
Ostentat jam laeva, fuit paulo ante quod aurum,
Transeat in nigrum sub eodem corpore plumbum.
Stuppa vomens tardum fumum (mirabile visu)
Gutture sub pando subitos mutatur in ignes.
Plurimus inde fluit nullo de vulnere sanguis
Mox abit in nihilum tactus digitis cruor uncis
Fabula seu verum narratur: Mulciber olim
Artibus his summum fertur lusisse tonantem.

a) Veternus. b) Budensium viridariorum et lilietorum descriptio. c) Palestricorum exercitatio. d) Sphaeromachia. e) Praestigiatorum professio.

Humanos taceo sensus, et pectora multum
Credula. Sed fari rursus sic Zeglius infit.
Sim licet ignarus Sophiae, cunis ab ipsis a)
Nescierim sacrata loqui, tamen illa lubenter
(Simodo vos linguis animisque favebitis) orsus
Dicam, quae juvenis suggesto stantibus alto
Bardo cucullatis caput olim a fratribus hausi.
Non ignoratis, quam sit scelerata propago b)
Nobilium falso majorum stemmate gaudens.
Quum non arma atavis data, verum nobilitatem
Virtus clara parit, non ambitiosa potestas
Cum virtute coit. Sapiens et dogma disertum est:
Qui vult esse pius, trabeatis exeat aulis
Pauperiemque colat, rabido livore carentem,
Et quae sub tanto rerum discrimine celsum
Sola caput coeli rutilantibus inserit astris.
Olim, ubi turpe chaos rudis indigestaque moles c)
Orbe sub informi pulchra sine luce jacebat,
Consilio discreta Dei, stabilitaque formas
Accepere suas, proprios facta omnia vultus;
Dehinc opifex rerumque sator post omne creatum
Quum prothoplasten limo telluris Adamum d)
Ejus et ex costa consortem fingeret Evam,
Quis tum Caesar erat? quis Rex? quis miles ad aurum?
Qui proceres? Dominus quis Princeps? Omnibus idem
Si nobis pater est, nullum dominum esse putemus.
Denique Romani, quibus ingens paruit orbis
Dites Patricii, sed nomina pauperis aevi
Serranus curvum flexit dictator aratrum, e)
Fabricii Fabiique suas Burique trahaque
Squalentes triuere manus; ignobilis oci

---

a) Zeglii oratio. b) Ejusdem confirmatio allegoricos. c) Hystor. mundi informis. d) Adam, Eva. e) Veterum Romanorum catalogus.

Mollia quin etiam pictae plumaria spondae
Spernebant et harundineo lenire soporem
Tomento, et querna rugientem pascere ventrem,
Amne sitim vitreo restinguere, at impia monstra a)
Nobilium census precium diffendere censu,
Aut sua ab alterius jacturis commoda quaerunt,
Aut passum instaurant alieno funere damnum;
Picti oculis fusique coma, roscique labellis
Ungunt assiria rotantia pectora Myrrha b)
Delitias molles et olentia tempora sertis
Illecebrasque omnes referunt, similesque puellis
Aurea purpureum subnectit fibula pectus.
Mors illis precium, tormenta immania curae c)
Majorum tabulas frangunt, et velle paterno
Obveniunt (parvo nunquam contenta paratu
Luxuries) census patrios proavisque paratas
Divitias plenis perdunt bellaria mensis;
Ambitiosa fames epulas terraque marique
Tempore quaesitas multo, nox decoquit una.
Nunquam Clytorii delibant flumina fontis, d)
Semper inescati stomacho vulgaria temnunt
Et peregrina bibunt auro murrhaque phalerna,
Phasiaca Argea primum traducta carina e)
Rara avis illorum coenas et prandia complet. f)
Hos apud haud sane minimo discrimine refert,
Quo gestu lepores, et quo gallina secetur.
Namque abacum ad lautum cultello scite volanti g)
Chironomus structor quadras dispensat iniquas. h)
Regia perdundos circum palatia fumos
Vendere virtuti adscribunt, blaterare lepori,
Immodici jactatores scelerum usque suorum,
Fabula quo fiunt populi, per compita vulgo
Traducunt proprium crimen, sine fronte modoque.

---

a) Epithesis in proceres, b) Mirrha. c) Excursus. d) Clytorius fons. e) Murra. f) Phasiaca avis. g) Chironomia. h) Chironomus.

Jura Deum legesque hominum discrimine nullo,
Et rixosa fori vendunt tabularia, vendunt
Justiciam, censent ibi fas, ubi maxima merces;
Nil pudet assvetos sceptris; impune licebit
Quodlibet, ut longa nil assvetudine majus
Sic crebro agnatam malus usus transit in artem.
Virtutem laudant, admiranturque probatam
Ut pueri Junonis avem; maluntque videri a)
Quam esse boni, quos et viduas stuprare pudicas
Casta puellarum temerare Gynecia, sponsas
Innuptas premere, et thalamos violare jugales
Depuduit, quos perfregit vesana libido;
Dum Curios simulant et Bachanalia vivunt;
Promittunt rigidos caperata fronte Catones,
Incusator erit verum qui his dixerit, omnes
Omnia nugantum promittunt more procorum
Quaeque volunt, nolunt, nolunt nunc ultro cupita. b)
Tam verbis miseros, quam factis fallere servos c)
Distinguunt avidi nullo discrimine; quorum
Si scelus et scelerum sua propria nomina quaeras,
Promptius aestatis spicas, vel gramina veris
Autumni foetus, hyemis nymbos et aperti
Astra poli, Lybicasque magis numerabis harenas.
Accedit gravius quod servi more premamur, d)
Sibila dum fessi toleramus colla labore.
Jam si tempus adest, subducite colla tyrannis e)
Praesertim si jura jubent, obstare tyrannis
Jure dato nobis uti legumque licebit.
Certe opus est passim reges jugulare, et amica
Libertate frui, nova jura, abolere vetusta
Pragmata Nobilium, monitisque salubribus aures f)
Arrectas praebete meis, partibor in omnes
Quae ridens fortuna dabit, dabit optima quaeque

a) Ciceronis verba. Gynaeceum. b) Comici dictum. c) Anacephaleosis. d) Confirmatio. e) Symmachia. f) Pragmata.

Non rex vester ero, fiam socius, comes ibo
Ipseque ad arbitrium vulgi faciunda reducam,
Concedamque libens, posito diademate vestrum
De me judicium non indignabor haberi.
Regnorum sub rege novo mitissima sors est.
    Vos dum occasio erit, vestrorum cognita fratrum
Forma nec adversa conspecti fronte parentes
Permoveant, suus est omni anteferendus amori.
Quando adeo dulce est aliena vivere quadra,
Audendum est aliquid vel coeco carcere dignum.
    Tantus amor nostri est, tanta est victoria curae
Tam procul externis populis dominabimur Hebro a)
A gelido quantum tepidus procurrit Hydaspes, b)
Aut quantum Scythico fluit absque Borysthene Bethys. c)
    Mollis Arabs nobis, nobis vaga flumina Gangis d)
Curvaque Erithraei parebunt littora ponti. e)
Nos ventura dies, praesens venerabitur aetas.
Scriptores nostris verbosa volumina gestis
Complebunt, quae prosteritas in secula mittet.
Nam si quid rudibus fas est committere chartis
Quantum grandiloqui durabunt vatis honores
Tantum (crede mihi) mea vivet Stavromachia. f)
    Omnia dent poenas, nihil esto a caedibus expers
Usque Cleonaeos ira superate Leones!
In proceres, qui sit Lybico truculentior urso
Vultum quisque gerat, sed vos ne cedere quisquam
Dixerit. His monitis currentes incitat; omnes
Trux vindicta manet (quantum spes ultima rerum
Libertatis habet) placuit sententia cunctis.
    Atque ubi persuasos animos elusit, iniquo
Assensere omnes sceleri, et simulatus inani
Assensu coalebat amor ceu consita harena g)

---

a) Hebrus fluv. b) Hydasp. fluv. c) Borytsh. Beth. d) Ganges. e) Erithreum mare. f) Stauromachiae vita. g) Metaphora a satis.

Nunquam spicicomas producunt semina aristas.
Sic simulata fides, quam primum flamine lento
Libatur radice carens, intercidit ima
Funditus, insveto stolidus consultor honore
Vitam laetus agit, jamque sibi tanta licere
Turpes agricolae vulgus crudele superbum
Annuerat, sibi Pannonicos cessisse Nerones a)
Credidit et dubiam fortunam, coepit abuti.
Igneus interea Phoebus regione suprema b)
Volvitur et longis lustrabat solibus orbem.
Clarus ubi croceos aurorae lucifer ortus
Deserit, ingentes acies Dux improbus omni
Contrahit ex illa et passim tentoria figit.
Hic ubi piscoso tardissimus amne Tibiscus c)
Danubium fecundat aquis, pecus unde ministrat
Squamosum, applaudunt nymphae Istrides, Istrides undis
Et septemgeminum credunt sibi cedere Nilum. d)
Extemplo armatas acies et cornua conis
Densa parat Stephanus proles Bathorea, nitenti e)
Munitus galea, atque ocreatis cruribus ambas
Aurea squama manus tegit, aureus ensis utroque
Dependet lateri, capulo insignitus eburno;
Belligenum pectus lorica indutus ahena
Scandit equum, longamque manu procul objicit hastam. f)
Qualis bistonii rapidum prope Strymonis amnem
Mavors in Thracas lethalia dirigit arma,
Vel qualis Phrygiae clipeoque insignis et armis.
Dux Danaum naves conscendit Marte secundo,
Talis inauratos Tetrarcha lupos mandentem
Flectit equum, et comites castra ad servilia ducit.
Zeglius adversis conspectis hostibus arma
Quemque sua arripere, et venienti occurrere fronti

---

a) Nerones. b) Chronographia. c) Castrametacionis designatio. d) Nilus fluv. e) Mag. Steph. Bathori armatura. f) Ejusdem ad Martem Omyosis.

Hortatur socios, promittens praemia palmae.
Hic falcem, gladium alter habet, rapit ille pharetram a)
Gnosiacis plenam jaculis, multosque videres
Stuppea torquentes Balearis verbera fundae,
Non illi Marrae, non isti sarcula desunt.
Tum ferrugineos quidam renovare ligones,
Ille novos iterum conflato vomere in enses
Sollicita purgare manu, pars maxima curvis
Falcibus, hii rutris, pars uncae fidere Burrae,
Pars occae dentem, quo glebas fregit inertes
Vitiferum ad palum nodis nectebat ahenis.

Liber III.

Nec mora. Pugnandi cupidus Bathoreius Hector,
Quem sequitur Praesul Chenadinus fidus Achates b)
Nicoleos, claro Zachorum sanguine cretus, c)
Ambo pares animis, paribus virtutibus ambo.
Innumeram pauco contemtam milite turbam
Importune adeunt, media atque in castra feruntur.
Mox dira horrisonum depromsit buccina murmur;
Mox raucis lituis elisus stridulus aer,
Mox ausae dare signa tubae canor aethera pulsans
Ultima convexi penetrabat sidera coeli.
Tum vero innumeris vaginis ducitur ensis d)
Noricus, contra oppositum protenditur hostem
Rustica tam subito gens consternata tumultu
Ordine stans nullo, nexis umbonibus armos
Texerat, atque suos enses compressa timebat.
Perdidit inde modum caedes. Hinc bella geruntur
Ferro, istinc jugulis, timor hos, metus occupat illos.

Prae-

---

a) Cruce signatorum Panoplia. b) Chenadinum. c) Nicol. Chaky, Ep. Chenadinus. d) Facies pugnae contra Cruciferos.

Praecipiti cursu peditem ferus hostis in hostem
Lapsus eques, longa ferratae cuspidis hasta
Occlusum patefecit iter, ferrique calentis
Ictibus a crebris loricae abiere trilices
Utque erat acri et vafro animo, demersa profundo
Corda metu, monitis partim solatur et urget
Zeglius, his offert sua praemia, mortibus illos
Summere animum jussit; jussitque obstare pavori;
Inde suis ausum, terroremque hostibus auxit.
Extremum jam lucis erat, dum sidere tetro
Vesperus obscura fera proelia nocte diremit. a)
Saepe faces visae nitidis ardere sub astris.
Saepe inter pluvias guttae cecidere cruentae,
Saepius exorta ferrugine phosphorus atra
Tinctus erat, tincti lunares sangvine currus.
Mane novo subtriste oriens aurora nitentem
Nec radiis ornata comam; nec flammea vultum
Nec croceum vestita diem, lugubria nigro
Nube sub obscura produxit tempora Phoebo.
Zeglius immenso servorum milite vafrum
Cumque animo facinus reputans, hostemque ducemque
Cingit. Erat Stephano belli spes omnis in armis,
Namque manum parvam robusto milite et arte
Pugnandi gnaram mixtis conflarat ephebis.
Tum procerum cuneos grex undique et undique cinctos b)
Rusticus aggreditur; conjunctis tergora tergis
Nobilitas plebis furias cohibere ferocis
Eminus urgentis, falcatos rumpere nodos
Nititur, incassum! liquidas et verberat auras.
Foenisecarum etenim longa super arbore falces
Objicit et medium, quem tangit, dissecat hostem
Agricola. At contra horribili de pixide densus
Igne globus volitans plebem funditque fugatque.

---

a) Portenta coelitus ostensa. b) Altera manuum consertio.

Impetitur celsus, qui castris imminet, aër
Aër ex calidae liquefactus pondere glandis
Fumat, et e coelo telis conserta ruit nox.
Tergat daban modi peditum, tergisque frequentes a)
Insultant equites, feriunt fugantque fugatos.
Non secus Aetolum in campis Meleagria virgo, b)
Spumantem dum sternit aprum, aut Zenobia telo c)
Qualis in Aethyopum quondam sitientibus arvis,
In fulvas regina feras armata ruebat,
Ausa pedes rabido sese objectare leoni;
Sic et in ancipiti fortuna et Marte fugaces d)
Agricolas magno revocat conamine bellax
Zeglius, et lasso pugnis Stephano nova miscet
Proelia: jam fessi proceres stant pede gelato
Nec liticen pugna caruit, nec cornicen hasta.
Omnia casus agit, nullis victoria castris
Certa; incerta fides bellorum illusit utrisque.
Tandem Nobilium cecidit vis innumera vi
Rusticolae plebis, nihil est a vulnere tutum.
Interimunt quosdam tyriis emissa sagitis
Illita tela dolis, lateri lethalis arundo
Haesit, et abstruso transfodit viscera ferro.
Pars nudata truci transfodit tempora conto
Pars praelis agitur gravibus, sed frigidus illum
Mucro manet, multis hosti qui terga dedere,
Letifera occiduo clava est infixa cerebro.
Nox erat et clauso lat'tabant sidera coelo,
Defessus rerum plebeisque ictibus acri
Trusus equo Stephanus, subterque cadavera passim e)
Mixta cadaveribus procerum plebeja suorum
Insomnis longa sine nomine nocte jacebat.
Martia mucosas exundant vulnera nares,

---

a) Cruciferorum fuga. b) Meleagria. c) Zenobia. d) Tertius cruciferorum conflictus. e) Steph. Bath. collapsus.

Obstrusique Ducis galeae fragmenta retortae
Tempora sangvifluis clavis compressa perurunt.
Surgebant Hyades, et Olenia sidera nimbum a)
Aethereum nigris fundebant nubibus, et Dux b)
Sole novo densa vicini in harundine stagni c)
Abditur, et tentat durum depellere fatum.
Luce latet tota mersus stagnantibus undis,
Nec temere durum tentat depellere fatum
Nam quidquid reliqui fuerat vitalis, ubique
Disquirunt rabidae plebes, Spartanus ut alto d)
Assolet in luco latitantem nare molossus
Gnaro vestigare feram; sic mente sagaci
Reliquias omnes procerum sub tartara mittunt.
Quando quidem non fruge latent, non arbore in alta,
Nec quenquam volucri manibus pernitia cursu
Eripiunt, captos adamantina vincula stringunt,
Stringunt Nicoleon, deprensum scrobibus altis,
In quas praeteritam pavidus profugusque silentem
Proh miser! ad noctem cecidit, quem Zeglius excors
Delusum Argaeo dederat custode tenendum.
Sed meliore satus fato Bathoreus Achilles
Expes, solivagum reperit detrita Tibisci
Fluminis ad ripam tondentem gramina equellum
Hunc petit, hunc scandit, secat altas fluminis undas.
Non sic Cretaeis Taurus sibi pondus amatum e)
Fluctibus Europam tulit, ut tulit acer equellus
Tergore supposito Stephani liventia plagis
Membra, et in objecta ripa tutata locavit.
Nec sic dulcisona quondam testudine captus
Undivagus lato Delphinus Ariona ponto f)
Vexit, et Oebaliis columem projecit arenis.

---

a) Chronographia. b) Hyades. c) Olenia syd. d) Molossus canis. e) Hystoria. f) Altera Hyst.

Carcere conclusum procerum genus omne catenis
Squalebat gravibus, donec lux tertia coelo
Flammiferis totum radiis patefecerat orbem.
Socrate Nicoleos non impaciencior infit: a)
Magnanimi Ducis est, nulla ut se vindicet ira,
Parcere subjectis et castigare rebelles;
Sit moderatus, amans aequi, veniamque petenti
Deneget haud unquam, confessa errata remittat
Sponte sua, postquam nemo sine crimine vivit.
Flecte animum, compesce iram, depone furorem!
Pone supercilium, caperatos pone Catonis
Vultus, et miseras mitis rex adspice nostras,
Nostras per lacrymas, per nostram hanc oro corollam
Perque tuum nomen, Dux invictissime Zegli
Foelicem sortem, foelicia fata Deosque
Per Tibi propitios erratis parcito nostris,
Parce Tuo servo, nulla est victoria major
Quam quae devictos animo quoque subjugat hostes.
Munera magna dabo, sunt acceptissima cunctis
Munera, queis summi compescitur ira tonantis.
Hanc animam concede mihi, tua caetera sunto.
Nam Tibi dum vivam, fuero servire paratus.
Zeclius hunc contra, si nostris charior esses b)
Hiis oculis, jamjam sacer, intestabilis esto!
Nicoleon Zachum referunt sic deinde locutum c)
Nil agis hac ira crudelis et improbe trifur!
Crede, mea haud refert, sublime ne, humique quiescam,
An sude vel mucrone cadam, mors ultima poena est
Fortunaque vacat. Genitrix orta omnia tellus
Suscipit, hoc olim, quod nostris ossibus usquam
Ardua de pario non surgat marmore moles,
Proderit, humani facilis jactura sepulchri d)
O amens! Superos dudum malefacta latere

a) Nicolai Episcopi apologia. b) Zeclii responsio. c) Nicolai objectio. d) Exclamatio ejusdem.

Nulla queunt, lento divina gradu venit ira.
Sed vindicta Dei, quanto sit tardior, ipsa
Tanto fit gravior, nullum scelus ibit inultum.
Ut ferit excelsos fulmen penetrabile montes a)
Sic est extremis obnoxia summa potestas
Casibus, haud nosti superum quid lenta Deorum
Ira potest, et lenta potest quid Principis ira.
Ad mibi statutas immansvetisssime poenas
En securus eo: te mandet dentibus atris
Stipator Dux torve tuus, nec plura loquutus
In medio suppressa sono est pars ultima vocis,
Vita fugit, diro transfigens lactea ligno
Viscera lictor iners indigna morte peremptum
Corpus in excelso posuit miserabile trunco,
Tensa per expassam rumpuntur viscera pellem. b)
Caede cadunt alii, quorundam corpora aceruis
In verubus rapidos contorrebantur ad ignes;
Diripiunt aliis sua tergora, mortibus illos
Conficiunt, excarnificant, feriuntque necantque,
Dum superest unus vita spoliandus anhela.
Nobilibus vestitus ager pro rore cruorem
Inbibit, et multo vaga flumina sangvine manant:
Nam dimembratis inhumata cadavera passim
Mixta viris quina sine nomine luce jacebant.
Occisos spoliant, nec humare cadavera curant,
Unde sepulchrales extra tentoria pompae
Spargere funus erant, Stygias sic ire sub umbras c)
Fata jubent, ut busta alii preciosa parentur,
Hunc voret ignis edax, illum mare sorbeat, alter
Aethera nunc coelumque tegat, qui non habet urnam
Roscida turgenti fratrem bis lampade Phoebe
Viderat infectis cum cornibus, improbus eheu
Zeglius omnia erat, deerant jam proelia Zeclio.

---

a) Parabolae. b) Nicol. Epp. Interitus. c) Varia funerum forma.

Jam crescunt aliis conspiramenta sub oris
Pannoniae, tantum quantum gens rustica crescit
Crescunt instar Hydrae, surgunt, coëunt, glomerantur;
Ut sua mille apium tabulata examina linquunt, a)
Sic liquere casas, vicosque, mapalia, villas
Agricolae et miseram monstrosis caedibus explent
Ungariam. Mixti claustrinis fratribus ibant
Presbiteri et bello comites Ducesque praeibant,
Quos Maro vix pingat melius, vix fingat Homerus
Doctius aut mordax satyra taxaret Aquinas.
Quam primum teneram malesanus transfuga frontem b)
Perfricuit, bellum superis indicit, et audet
Quae volet, et nullum scelus intentare veretur.
Zeclius his plebem Ducibus commissit inermem,
Et sua confestim resona sub valle locari
Castra jubet, mediam quam parvulus Agria paruo c)
Amne secat, crassamque suo de nomine apellat d)
Agriam et agrestes exundans irrigat hortos.
Interea plenis flauebat messis aristis, e)
Et rapidus flammis Lernaei brachia Cancri
Procyon et gemino Titan extenderat astro,
Vicerat astra jubar, miseri dum turba popelli
Pugnae signa petit, rabidoque accensa tumultu
Instantis lethi properantes admovet horas.
Arx et templa Deum muro conclusa capaci f)
Colle sedent patulo quorum moderabat habenas
Cardineum specimen, Romani gloria Coetus
Caesaream tangens seriem, longisque atavorum
Principum imaginibus, clara de stirpe Aestensi g)
Editus Hippolytus, praesul probitate decorus
Qualem sexcentis ex patribus Augur Apollo h)

---

a) Ab apibus sumpta metaphora. b) Contra transfugas. c) Agria fluv. d) Agria oppidum. e) Aestatis descr. f) Agriensis arcis situs. g) R. et illustr. D. Card. Aestensis. h) Genselia.

Seligeret, nimium foelix Antistite tanto
Agria persuasa est, magnam sibi cedere Romam.
Bonzagnus sacri juris legumque peritus,
Quem non Pegasides, quem non latet armipotens Mars,
Funestos vulgi cuneos aggressus, ad unum
Signatos crucibus pedites detrivit, et altam
Aequavit vallem tumulis, stetit usque cruentus
Agria, et albentes etiam nunc ossibus agri,
Carpathii aetheriis surgunt ubi montibus alpes
Sarmatiam a laeta separantes Pannonis ora.
Confestim ad Regem malefacta haec omnia perfert
Prodromus, et vanis famam rumoribus auxit.
Accersit Rex consilium, cui Regia primum
Jure Palatino palatia credita sunto. a)
Plenum consilii pectus, quo frena duorum
Regnorum et totidem Regum moderantur habenae.
Legislatorem non talem habuere Solonem.
Res Pandioneae, non tam Lacedaemona doctum,
Quam frugi consulta dabas Emerice Pereni.
Quis novus hic torpor Proceres, quonam usque fluetis
Turpi desidia? graviorum turba malorum
Cuditur, ignavae trahitis dum tempora vitae,
Publica plebeum lugent aeraria damnum, b)
Pannoniae rerum Domini Patresque togati
Invigilate una, tacito nam tempora cursu
Diffugiunt, coelumque volubile carmine nullo
Sistitur, aut spectris remoratur lubricus annus.
Sceleribus ille suis ferus et praeclarus habetur
Zeglius, hos gladiis aditus, hos ignibus arcens
Exuit Heroas castris et strage pudenda
Cognatos proceres fundit servilibus armis.

---

a) Magnif. et Spect. Dom. Emerici de Peren. Regni Ung. Palatini Concio. b) Aerarium.

Quae tibi caussa morae? intestinum crescere furem a)
Quid pateris? noto nihil est latrone sub aethra
Deterius, rubigineos jam cote mucrones
Illyricis munitus aquis hinc inde Sauonus b)
Thurcarum fuso foedatum sangvine veru
Asperat, et Carnus Stirusque, ubi struma decori est c)
Pendula ventosis distentans guttura saccis
Nubiferas fugiunt exacto calle sub Alpes.
Nec solum Austriacos timor hic conterruit agros,
Verum etiam argutae penetralia pulchra Viennae d)
Movit, phidiacae summo de vertice turris
Victrices aquilas invicti Caesaris arma; e)
Maximilianeis crebris decorata triumphis
Penniculo inscriptis famoso contudit ictu.
Pannoniae fluvios multo manare cruore,
Occisos partim proceres, affixaque palis
Corpora et immensa cives in caede natare
Audistis, nec porrecto dormire in utramque
Auriculam pede, nec vigilanti stertere naso
Non pudet! ecce suas vicina Polonia vires f)
Discutit, et flavi longa statione Prutheni g)
Describunt pedites, qua spumans Istula magno h)
Mergitur Oceano, qua montibus effera summis
Gens habitat nunquam ridentis conscia veris.
Aspera sidereos qua profert Rhetia montes i)
Invictae Helvetio coguntur velite turmae
Rauracus en gladio falcem mutavit aduncam k)
Jam sua fixerunt picti tentoria Sueui l)
Armatisque cavum constravit navibus Istrum
Boius et indomitos Epicurea Praga Boemos m)

---

a) Ejusdem D. Palatini Epiphonema. b) Savoni. c) Carni. Styri. d) Vienna Austriae. e) Invicti Max. Rom. Imp. Triumphi. f) Poloni. g) Prutheni. h) Istula. i) Rhetia. Helv. k) Rauracus. l) Sueui. m) Boii, Praga. Boë.

Contrahit et curvum modo castra metátur ad Albin, a)
Conspice ferratos cuneos delectibus actis
Qua Morava exundans piscoso flumine pingves b)
Marcemanorum c) agros rigat, atque Olomutia claustra d)
Turribus et bina circumdata moenia fossa
Cingit, et Hussitis defensat ab hostibus urbem. e)
Tartarus hic, hinc Boschus atrox horrenda pharetris f)
Tela replens, arcum lunat; Scytha plaustrifer illinc g)
Territus agricolis falcatum spiculat ensem;
Argolici et Sergi et propius timuere Sarissae h)
Arvina pingui clypeos et lucida Parthus i)
Arma fugax tergit subigens incaute secures.
Temporibus te fata vocant, non serius inquam
Consulere in medium laus est; sed inutile semper
Consilium post facta quod opportuit ante.
Quare age venturas non ultra differ in horas k)
Crastinas, num claro patrium per compita furem
In vestro clausum gremio simulare potestis?
Marte, igne, ferro misere populata Penatum
Moenia, dependere opera interrupta, minasque
Murorum ingentes infra supraque ruentes.
Anne timetis eum, cui vos decet esse timori?
Qui nihil non audet scelerum, quem tanta libido
Nos extinguendi jam pridem incesserit, ut nec
Cordi habeat superos, qui nostris ludere sceptris
Et mortes etiam nostras quam caetera malit
Omnia, ni tantis occurrimus ocius ausis
Nil reliquum est, ac ferre jugum cervice parata
Exiliumque pati, pati ineluctabile fatum.
Quod certe praestat, quam partum amittere regnum
Quam exauctorari et servis servire cruentis. l)

---

a) Albis fluv. b) Morava fluv. c) Marcomanni. d) Olomucium Civ. e) Hussitae scismatici. f) Tart. Bosch. g) Scythae plaustrif. h) Argo Sergi et Sarissae. i) Parthi. k) Adhortatio. l) Exauctorari.

Tantane vos generis liquit fiducia vestri? a)
O Patria, o Divum domus, o sine noxa
Pannonia infelix, quo tanto crimine tellus
Peccasti in superos? ut te tot mortibus unam
Conficerent servi proprii, seruilibus armis?
Quid juvat Eoum sine caussa absolvere regnum b)
O superi! vestris cessate irascier Hunnis.
Hunnis plus satis est iratum. Rure fugatus
Oppida mercator, Ciues liquere Penates
Quisque suos, et nos rerum Dominique salusque
Vix Budam incolimus plebea fece repletam.
Illi etiam claves urbis commisimus, illam
Nos insensati custodem fecimus, et nos
Immundos liquidis immisimus amnibus aptos c)
Dedecori est fortuna prior, nec sceptra nec urbes
Tuta manent, jamjam letheum pelle soporem,
Inclyta Nobilitas, servilia nata sub ipso
Bella sinu ex imis opus est purgare medullis.
Surge, age, tolle moras, referant si vera parentes d)
Maxima veloci subeunt discrimina passu.
Rebus in adversis nocuit diferre paratis.
Turpe minus vinci, quam non contendere, summo
Principio obstandum, scintilla neglecta frequenter
Curriculo depacta vagos prorumpit in ignes.
Interea servile pecus Marte omnia complet.
Hic ubi Cremnicii sudant aeraria montes e)
Quae in formam calidae cuduntur pondera massae
Aurum quod populos scelerata impingit in arma
Frangitur, et multo conflata talenta argento
Arte monetali regale numisma vocatur.
Concurrunt acies. It tantus ad aethera clangor, f)
Quantus in Ideis ictis a fulmine silvis

---

a) Apostrophe ad Ungariam. b) Apostrophe ad superos. c) Adagium. d) Allegoricos. e) Cremnic. opp. descr. f) Comparatio.

Fit sonitus quantusque in vallibus assonat Echo.
Isthac divitias, irritamenta malorum
Inprimis numerare datum est, hic civica plebes
Plena epulis, madida, atque mero, Venerique parata
Quotidie luxu et mensis assveta secundis
In multas viciatur opes, Epicurus ut alter a)
Finibus Eois nascentem surgere Phoebum
Raro videns, tanto strepitum experrecta labanti
Pariete, quassatas credit concurrere turres
Excelsos auri specus ruere, abdita passim
Lymphato trepidare metu monumenta videres.
Chasmaticis alii, quidam dum tarda cubili
Membra levant, alii letho vinxere soporem.
Ille inter Cyathos, sponda ille sepultus in aurea,
Purpureo ille thoro recubans profusus in arcto
Conjugis amplexu, jucundaque gaudia miscens
Dum Venus ex imis stillat resoluta medullis
Proh scelus! impactis linquunt sua fata labellis.

Liber IV.

Nec mora, nigrantes succincta pavoribus alas
Fama volans Divi pervenit in atria Regis,
Et sua millenis retulit lamenta querelis
Sedis apostolicae Legatus, portus et aura b)
Nativae Hungariae Primas et Praesul ad unguem
Perfectus, belli impaciens servilis, ita inquit:
Semperne in bellis? semperne in sanguine? ferro?
Inque fuga timidi versabimur? haecine nostra est
Virtus, o rerum Domini! ut servilia monstra
Monstroso bello patrios delere penates,
Non tam socordes, quam semiviri paciamur?
Credite non falso dicetur protinus in nos:
Saepe malo accepto stultus sapit. Improbe torpor! c)

---

a) Epicurus. b) R. D. Legati Oratio. c) Apostrophe ad socordiam.

Totius Regni captas amisimus urbes,
Nos Buda una capit, tenet oppida caetera Zeglius,
Pannoniae fatale malum, fulmenque quod Hunnos
Proterat Heroas, non illi flamma, nec undae
Nec vesana fames, nec Dacica septa resistunt.
Ibit in occasus mundi? Boreamque Notonque?
Ambibitne polos? et Niliacas cataractas? a)
Tigrinque? Eufratemque uno de fonte fluentes b)
Hauriet? Extremo victor ne redibit Araxe?
Degeneres nimium, nimium distamus ab illis
Majorum seclis, quorum primordia gesta,
Et ritus faciemque soli, quodcumque vetustis
Insculptum est aditis, vel quicquid nostra relatum est
In Chronica, haud multis verborum ambagibus usus
Si vacat et placidi rationem admittitis, edam:
Magnanimis gestis quaesita est gloria nostrae c)
Pannoniae, Eoos inter pars optima tractus.
Nonne superborum quondam fatale flagellum
Attila praeduris Europae cladibus omnes d)
Subjecit populos, ignotos miscuit amnes,
Belgarum Scalden, Ubiorum sangvine Moenin. e)
Quando Caledonios navali caede Britannos f)
Stravit Agrippinae non longe a moenibus urbis g)
Diruta Peltigeri nostras penetralia Boschi h)
Cognovere manus, immensa potentia Thurcae i)
Saepius a nostris fuit expugnata veredis.
Exulibus Schytia Parthis non profuit olim, k)
Spicula converso fugientia dirigere arcu.
Nonne catenatis Rhodano et Rheno trepidabat l)
Te veniente ferox Germania et Itala tellus? m)
Hispani, Calabri, Galli, Scotique, Sicambri n)

---

a) Boreas Nothus. b) Tigr. Eufrat. c) Regni Ung. Primordia. d) Attila. e) Scaldes. Moenis fluvii. f) Britanni. g) Coloniae periphrasis. h) Boschi. i) Turcae. k) Parthi. l) Rhodanus fluv. m) Rhenus fluv. n) Scot. Sicambri.

Concessere et Hyperboreus concessit, et acer
Epoto depastus equo sua Sarmata discors a)
Sacramenta dabat, pactae pro foedere pacis
Aurea pellitis transmittens munera donis
O quociens bello Herculeo victricia sumsit
Praelia Pannonius, populatum sangvine Regnum
Restituit Regi profugo et potitus triumphis.
Unus adhuc Deus est, majores vincere nostros
Qui voluit, nobis serisque nepotibus idem
Credite! non aberit, longum modo parce motari
Ungara Nobilitas, rerum nos summa sequetur.
Si haerent cuncta Deo, sanctae non terminus unquam
Ungaricae ditionis erit. Sic Jupiter alto
Aethere despectans jussit mortalibus aegris,
Ut vivant curis districti, et aerumna profusis b)
Ingenitum infantem lacrymis praeeatque sequaturque.
O Socii multo passi graviora, quid ista
Colluvie tristari potes, invicta propago?
Si caret eventu subitus furor, improba nunquam
Facta diu durare queunt, legistis et ipsi
Majorum annales, memore si mente tenetis
Marte quod injusto Ungariam quicunque petisset
Nemo victor abit, Mariae Regumque piorum c)
Auspiciis tuta est, has nunquam numina sedes
Destituent, jactata procul novistis in hostem
Fulmina sangvineum, Stephano pugnante beato. d)
Este animo forti, neque Vos servilia turbent
Bella, nihil terrae cultor pecorisque magister
Marte valet, cadet hic non multo a milite, postquam
Ille cerebrosus (tantorum Caussa malorum)
Zeglius infandas cogetur sumere poenas.
Nec mirum, quod nostra modo servilis, et excors

---

a) Sarmata. b) Hypermete. c) Intem. Virgo Maria Dei Mater, Ungarorum Patrona. d) D. Rex Stephanus Patronus.

Vexet Regna labor, vastum si proelia mundum
Discruciant et ubique habitet discordia concors.
Quando quidem casus fas est cognoscere nostros, a)
Num quondam saevit Mavors, quando omne latinum b)
Fabula nomen erat; seges est, ubi Troja manebat c)
Lucida compositam nec semper sidera pacem d)
Observant, summumque Jovem, (si credere fas est)
Centimano timuisse ferunt turbante Tryphaeo, e)
Quum sua centeno vestisset brachia monte.
Sed quid ego vobis exempla extranea narro. f)
Num quartum Belam trux Tartarus Ungario ab orbe
Ejecit, pepulit Dacos e sedibus altis, g)
Quas secat aurifluis Marisus foecundus harenis. h)
Denique Thesauros vada sub Sargetia quondam i)
Decebalo obstrusos, qui Nervae deditus armis k)
In sua desaevit stricto praecordia ferro.
Decebalas turres, Trajani clara triumphi
Signa, Zalatnam, l) Albam Zarmiz aut Abrugibaynam m)
Pontem quadrato caelatum marmore; pilis
Vicenis rapidas claudentem Danubii undas n)
Pulvere vix tutae poterunt monstrare ruinae.
Numina Fatorum mortales ferre necesse est,
Inculpata quidem, nam fiunt omnia fato
Si fortuna ferat, lapsis meliora redibunt
Tempora, et haec olim forsan meminisse juvabit.
Ergo age Pannonii o si qua est inclyta regni
Nobilitas, si quem majorum gloria tangit,

---

a) Perorationis comprobatio. b) Ab Italia. c) A Troja. d) Ab Astris. e) Ab expugnato Jove. f) Bela Rex. g) Daci. h) Marisus fluv. i) Sargetius fluv. k) Decebali mors. l) Salat. Alba. m) Zarmi. Abr. n) Trajan. Pons.

Belligera sis presto manu, jurisque paterni
Assertor, patria plebeos tolle tumultus,
Et remove servi funesta satellitis arma!
Crede mihi, inflatis collectum cornibus hostem
Fundemus, certa haud multas victoria dextras
Exigit, agricolas hos, agricolasque futuros
Dignas pro meritis cogemus pendere poenas.
Sic fatus, virtute viros accendit, et ista
Plus animi consulta dabant, quam bella timoris
Indiderant, omnes idem pugnandi habet ardor.
Confestim rigidos levis armatura sub enses a)
Cingitur, hinc arcus oppleta sagittis
Hinc pharetra, a tergo dependet concavus umbo;
Ille levi jaculo palmas oneravit, ab illo
Ferrea onusta vibratur lancea dextra.
Itur ad antiquas taciti magno agmine ripas b)
Danubii pars lintre natant, pars densa phaselis
Hii trabe connexa spumantem classibus amnem;
Ultima Nobilitas lunatis navibus ibat.
Est locus e regione satus cognomine Paestum c)
Colle minor celso, tumulis provectior altis,
Hic circum apricos campos cereale papaver
Nascitur, et variis hortensia munera pomis
Spargit humus, fragrant leporaria Regia flore,
Flore crocum tenero cultis innascitur hortis.
Istic Ruricolae sua passim castra locabant;
Praecipiti in ripa rursus tentoria figunt
Regni acies longas crispantes cominus hastas.
Tempus erat flagrans rabido cum Sirius astro d)
Cornigerum Aegoceron Cancrum quoque compare Zona
Percutit, et medium signorum intersecat orbem
Ecce meris gaudens undis abstemius, Hunni
Quem Bornemyssa ascito cognomine dicunt, e)

a) Panoplia levis armaturae. b) Expeditio militum.
c) Paesti oppidi topographia. d) Temporis descriptio.
e) Jo. Bornemissa Dux,

Egregia genitus veterum de stirpe Baronum,
Prompturus magnam parvo de corpore vocem,
En, ait, arctois rigidoque sub axe pruinis a)
Hic ubi lunatum Chyron ferus exerit arcum,
Nascimur, assveti bellis, et Martis aduncos
Cingimur in gladios, et ad incunabula nobis
More patrum strictae vestes, nec fluxa per armos
Velamenta sedent, longam sinuata per oram;
Nam male ventosis manicis depellitur hostis;
Audendum est hodie pro libertate parentum
Pro patria et nobis pugnandum Marte secundo.
    Extremum ferri superest opus, omnis in armis
Seruilis belli claudenda est visque metusque
Omnia fortunae parent, fortuna castra tenentur
Fortuna pereunt, ajunt dixisse poetam,
Res hominum fragiles alit et regit, et perimit sors. b)
Sors incerta quidem, sed quos praeblanda fovet spes,
Spes mortale bonum, pro muro audacia habetur.
Gloria non minor est, nomen servare paratum
Quam quaesisse novum, nostra exitus acta probabit
Dixerat et flammas animis flagrantibus addit.
    Tum plebe e media vir prosilit unus, aperta c)
Fronte Ducem tali compellans voce, precantes
Nos (modo da veniam) plebeja extrusit in arma
Zeglius; inviti bellum hoc partesque timore
Fecimus; is poenas luat aequas, illius unum
Pro multis detur caput, improba et indiga rerum
Pauperies, inimica probatis moribus, istud
In bellum servile suo nos turbine traxit.
Quare da veniam, viduos permitte penates
Et sobolem et thalamos, atque orphana pignora notas
Desertasque casas, dulcesque revisere amicos.

Fumus

---

a) Ejusdem ad milites concio. b) Ausonii sententiae.
c) Cruciferorum Apologia.

Fumus enim patriae est alieno clarior igne.
Si meritae culpae suprema pericula semper
Indulgent, modo flecte animum, sensusque minaces
Temne et obaeratis errata ignosce maniplis.
Miretur sua quemque domus, nostrique nepotes
Improba vitabunt duri certamina Martis.
Dispereat tandem bellum servile, nec unquam
Dum terris aliquis nostra de stirpe manebit
Rusticolis regnare vacet, vel sceptra vel urbes
Nolumus; herbosos carioso vomere campos
Scissuri varia stipabimus horrea fruge
Et sata inoccemus resolutis semina glebis
Bis denis sua vota deis, quibus agricolum res a)
Cordi est, solvemus, nec delirabimus unquam
Cote nigras iterum scabra rubigine falces
Exesosque situ veteres splendere ligones
Cogemus, censusque graves, vectigal iniquum
Et naulum, foenusque vorax numerabimus, et Te b)
Laudibus aethereum super extollemus Olympum.
Hunc contra Janus: verbum est sermone notandum c)
Sero Phryges sapiunt, quem sero poenitet, idem
Haud vacat a culpa, vos poenas crimine dignas
Vulcano, crucibus, sudibusve, rotisve luetis.
Confestim madidas tibicen flamine buccas
Torvaque bellisonis complebat cornua bombis.
Nec mora. Stentoreo pugnam clamore minantis d)
Signiferi longa ventrem transverberat hasta,
Quam plagae impaciens forti comprehendere dextra
Nisus fraxineum perfregit robur, at heros
Vagina eductum capulotenus abdidit ensem;
Pulmonem, mediumque jecur trajecit, ut alvus

---

a) Duodecim agricolarum Numina. b) Vectigal. c) Mag. D. Born. Responsio. d) Stentorea vox.

Illius et fracto patulae de vulnere costae
Conciderint, fuso maculantes sangvine terram.
Utraque fulmineo concurrunt agmina motu a)
Servilis metus hos, libertas incitat illos.
Pugna gravis, bellumque tenax, cuneique feroces,
Missilibus telis cecidit pars maxima vulgi,
Nigraque perpetuo claudebat lumina somno.
Ungula quadrupedum multorum colla peremit.
In geminas partes unco hic scinditur ense;
Hos sub equis, illos campis affixerat hasta;
Innumeri ut norant sibi adesse novissima fata
Compressere manus, seseque in fluminis undas
Praecipites agunt resupini, et fletibus ambas
Complerunt ripas, violenti vorticis amnem
Infringunt nando, mortemque evadere tentant.
Ter submersi in aquis, liquidis ter conditi in undis
Luctantur, superasque petunt moriturier auras
Et quanquam poterant Portumnum vincere nando, b)
Qui vel in Euboica vivax Anthedone gramen
Carpserat undivagi Glaucus novus incola ponti, c)
Corpoream tamen ad molem madefacta resedit
Penula, tum tales fuderunt ore loquelas;
Occultum nil esse sinit Dux candida fati,
Dignam pro meritis hoc alto in gurgite mortem
Hanc patimur, quando miseras mortalibus auras
Et vitam abstulimus dulcem, discrimine nullo
Execrata sacris et mystica sacra prophanis
Miscuimus, justus cernit Deus omnia Judex. d)
His animas dictis spirabant, udaque magnus
Corpora Danubius fundo sepelivit in alto.
Pars capitur, captosque adamantina vincla ligabant
Detinet hos nervus, nonnullos dura catasta
Urget, ubi igniferi vulcania vincula fabri
Cudere deficiunt, fagis panguntur et ornis.

---

a) Pugnatur. b) Portumnus. c) Glaucus. d) Miscere sacra profanis.

Exuvias jam quisque suas, sua quisque trophaea
Trans Istrum attonitum ratibus ducebat honustis.
Callosa innumeri torpebat dextra pauentis
Remigis et torvam metuebat navita praedam.
Cursilibus pars vecta rotis Budensia tendit
Moenia, pars Pestum trahitur, longoque morantur
Ordine plaustra vias plebeii plena triumphi.
Hanc ubi conspexit manibus post terga revinctis
Et faciem multo foedatam sangvine plebem a)
Comiseratus eam, Rex Vladislaus ita inquit:
Quis tibi tractandos gladios pro vomere noto,
Degener Agricola! et culto praeponere agello
Impia castra dedit? Servilis quis tibi belli
Tantos persuasit strepitus, stultissima plebis?
Quam bene depastae laudabas hubera vaccae,
Quondam et harundineo coeli contraria tecto
Vitabas. Quid terrificum fulmenque Jovemque
Nocta sub incerto Divo prostratus aperto
Pertuleris, sulcos vinetaque foetibus almis
Perfide fraudasti? Nonne ordine ponere vites,
Urendam filicem neglecto evellere sulco, b)
Gramineos et agros duro proscindere aratro,
Invitosque boves stridenti inducere plaustro,
Atque mori per virtutem, quam vivere rapto
Praestiterit? vestris possem modo victor abuti
Mortibus; at vestrae cladis miserescimus ultro
Principis invicti est, nulla ut se vindicet arte
Parcere subjectis, qui novit, obesse superbis
Qui valet, hunc sceptro dignum cole, prima triumphi
Praemia, devictis cupitam donare salutem.
Ite redite domum. Bachum Cereremque neglectos
Excolite et defrugatis opulescite campis
Missa ruinosis reparate mapalia tectis!

a) Regis Vlad. commiseratio. b) Symathrismos.

Tu vero belli Dux improbe, pessime claustri a)
Transfuga Laurenti! sociis cum fratribus et vos
Satrapae ad insanos tosturi stabitis ignes.
Sydere non fausto sati et infelicibus horis
Exitium infelix, crudelia fata, novasque
Ante pedes poenas et inexorabile praebent
Judicium, dimembratis quorum artubus istic
Lurida pentheo lacerantur corpora ritu.
Exectis venis digitos, pedicasque manusque
Brachia crura, genu, poplites et femora, pecten,
Et latas spatulas, et cum pulmonibus armos
Cordaque visceraque et longi internodia tergi
Carnifices in frusta secant torrenda verutis
Plus plagarum alii semusto in corpore habebant
Quam variis tinctus maculis Thebanus Ophytes. b)
Non magis exusto stillantes corpore guttas
Enumerare potes, quam viles aequoris algas
Hellespontiaci, vel quos agit Hadria ponto c)
Jonio vastos ad inhospita litora fluctus. d)
Omnia nervorum torrentur vincla, cavumque
Pectus et abstrusi fibris vitalibus artus
Igne fluunt, manant humeri, teretesque lacerti
Colla, caput, coxae, tepido non ocyus austro
Nix resoluta fluit, tetro quam sanguine venter
Liquitur, et nigra distillant ingvina tabe.
Tum gemitus plebis, flammarum stridor et ardor
Carnificumque ictus ejulatusque cadentum
Omnia complebant, compleverat omnia plangor
Ut solet ignifluis Lipare sinuosa cavernis e)
Plangere, ubi Sicula Cyclops incude laborat,
Aut Brontes Steropes portentosusque Pyragmon f)
Terrea ventosis dum follibus aera resolvunt,
Sic loculosa omentati compago cerebri g)

---

a) Ejusdem ad Campiduces Apostrophe. b) Ophytes. c) Hellespontus. d) Jonium Mare. e) Lipare insula. f) Brontes. Stero. Pyragmon. g) Parabola.

Tostus aqualiculus crasso distentus omaso
Sanguinat, et tabo submotum praefocat ignem.
Non secus excussa glomeratus ab arbore nimbus a)
Depluit, aut molli vestitae cortice glandes
Utque superjectas tranquillo in flumine bullas b)
Imber agit, sic usta cutis tumefacta maligno
Pingui rupta sonum stillantes edidit offas.
Zeglius interea Moesorum invaserat agros, c)
Caesar ubi Othrysium Gethico foedaverat Hebrum
Sanguine, quum vitream Boreali frigore molem
A stricto volucri biga sulcaret in Istro.
Non longe Ungaricas finitor circulus oras
Pontica Sergiacis disterminat arva colonis. d)
Rupe super celsa luco redimita virenti
Aethera fronte legens, hominum vix pervia gressu
Soerinium sublime sedet, Thurcasque vagantes e)
Despicit, et septem frangendum cornibus Histrum.
Fons sacer Heraclio, qua Chosroen fuderat armis f)
Hac scatet, huic numen vetus accola inesse putabat.
Hinc arcem ad Temeson sua duxit castra Georgius. g)
Arx dupplici vallo dupplici circumdata muro,
Ardua sub cujus cuneatim ubi moenia ventum est,
Menstrua plebeji toleravit bella furoris
Nil non ingenii tentabat, et arte manuque
Cum Stephano Satrapa Bathoreae stirpis alumno
Zeglius obsessos cupit oppugnare maniplos.
Hii sibi commissas turres arcemque aditumque
Tantis servabant curis, conamine tanto,
Quanto olim armisonis coelestia Numina turmis
Sidereas tutare domos, quando invida tellus
Prole gigantea summum expulsura tonantem,
Omnia monstrifico turbabat secula foetu.
Sulphureos ignes, fatalemque aenea glandem h)

---

a) Altera. b) Tertia. c) Moesiae depopulatio. d) Sergiaci Coloni. e) Soerinium. f) Heraclii Rom. Caes. cum Chosroe Persarum Rege pugna. g) Temeson. h) Pugnatur ad Temesvár.

Machina terrifico fundebat utrinque boatu
Pulvere confossus crebros gemit aer ad ictus.
Pendula missilibus cedebant nubila saxis
Semirutae turres concussaque moenia fumant.
Indevicendum vallum labat ariete crebro,
Fortis et a magnis nutaverat ictibus agger,
Jamque una timuit condi Natura sepulcro.
    Non sic Inachiae turrita ad moenia Trojae a)
Nec sic ad Trebiae muros, portasque Sagunti b)
Pugnatum est, gravibus saxis solida aera fatiscunt.
Saxa oppugnabant saxis, neque pellere plebem
Saxa queunt, adoperta gravi quam mole tegebat
Vinea, vimineis contexta e cratibus, acer
Portitor a summo direpta repagula poste
Illisit capiti murum ascendentis, at ille
Decidit in terram mactati more juvenci.
Quisque suas hosti miles defendere partes
Intentus, longo tutabatur moenia conto,
Pars gladios stringunt manibus, pars tortile ferrum
Dejiciunt muro, contra stat inutile Marti
Lixarum servo permixtum milite vulgus,
Turribus ex altis dejecta trabalia, passim
Tela volant minimis tundentes corpora frustis.
    Cornua bis posuit, toties sua cornua sumpsit
Phoebe, et jam malesuada fames invaserat arcem. c)
Jam se, jam Temeson infestis hostibus arcem
Dedere curabant proceres, Bathoreus Achilles
Ni solus dubiam promissis speque salutem
Firmasset, vates, etenim durate parumper d)
Inquit, et adversam constanti pectore sortem
Fatorum toleremus onus, non ira Deorum
Sistitur excussis muliebribus ore querelis
Nautica non prosunt fractae lamenta carinae

---

a) Troja. b) Trebiae. Saguntum. c) Famis et inediae miseria. d) Magn. D. Stephani Bathori consolatoria concio.

Naufraga nec vanis mitescunt flamina votis.
Nunc instare manu, nunc totis viribus uti
Communi pro luce decet, succurrere velis,
Exhaurire fretum, subducere carbasa ventis
Tendere sub portum, et fido parere Magistro.
His Stephanus dictis socios retraxit inertes,
Tales inde notas Budam transmisit et ipsos a)
Vellicat Heroas mordaci plenus aceto:
Improba Nobilitas, fomentum ignobilis oci
Bis pro te cecidi, ter pro te vulnera sumpsi
Flabra, nives, nimbos ferrumque ignemque Jovemque
Sustinui, et durae mortis sub faucibus haesi.
Hasne mihi grates? hoc muneris usque refertis,
Ingrati rerum Domini? Nos hostis et arcis
Occlusi vallo, modo lux octava refulsit
Nec minus esurie raucaque siti maceratos
Hos artus vitamque effoeta in crate fovemus.
Nos pecudum in morem trepida formidine mortis
Angimur, inque horas fatum crudele moramur.
    Vos molles animis, vos ventres pigri et inerti
Somno luxuria, fastu, pompisque sepulti
Obruti avaritia, livoribus, ambitione
Discordes, aliusque alium expectastis, ut hostes
Debuerint omnem Regni extinxisse decorem;
Ut Boreae Boreas Euroque assibilat Eurus;
Crimine sic crimen, virtus virtute juvatur.
Quodsi nec procerum, nec te mea gratia tangit
Saltem arcem miserere tuam, patriique decoris
Si quid adhuc superest, plebejis eripe flammis.
Flamma recens raris aspersa extinguitur undis
Dormitum satis est, et ineptitum satis, unis
Suppeciis vestris nisi jam occurratur, et ipsa
Subsidia haud sero nobis mittantur, avarus
Otius aetherea potietur rusticus arce,
Explebitque altas nostro cum sanguine fossas.

a) Ejusdem Epistola.

Clara dies coelo nondum fugaverat astra
Dum matutino sparguntur gramina rore a)
Dum pictae querulantur aves, en semisopitus
Zeglius extremo non vana insomnia somno
Somniat, et tristi singultus ore trahebat.
Excitus, haud fallit magni sententia vatis,
Moesta futurorum mens est praesaga malorum b)
Taeduit hunc lucis, luxum choreasque jocosque
Spreuerat et dulci spumantia pocula Bacho.
Itur venatum, primoque in limite campi
Obvius arrectis stabat auriculis lepus, omen c)
Insanum, liquidas mox permutatus in auras.
Dum campis exercet equos, immane relatu
Prodigium, duo quippe lupi violenter adorti d)
Agmen et excepti telis, ostenta futurae
Monstravere necis, glutiti membra puelli
Utraque perfossis effudit bellua costis.
Venatus curas animi, mentisque moerorem e)
Fert nemus, ingeniumque levat leve murmur aquarum.
Ipse tenens dextra lato venabula ferro
Et nemus umbriferum, et saevarum nigra ferarum
Lustra petit, saltusque audet penetrare repostos.
Audet et a catulis impastam excire leaenam,
Enixam in stabulis ursam, montanaque monstra
Tres cervos totidemque apros per devia fixit.
Fixit fulmineum properantem ad vulnera Pardum. f)
Oblitus spectri, spoliisque oneratus opimis
Gestit et assuetis intra tentoria pompis.
In mores iterum defluxit Sardanapalos g)
Ut rudis inflatum premit utricularius utrem
Ad buxi numerum saltus imitatus agrestes
Tellurem parili pulsat pede, mox saliarem

---

a) Aurorae periphrasis. b) Virgilii apophtegma. c) Ex adagio: Inauspicatum iter obvius facit lepus. d) Prodigium. e) Venatio. f) Spectrum. g) Sardanap.

Incidit in coenam, reduceesque iterare choreas.
Instituit, magnoque parat convivia sumtu.

Liber V.

Franciscus Wardai praestans cognomine avito a)
Praesul, turrigeras Daci qui temperat urbes,
Phoebeis celeber studiis, cui docta Thalia
Composito dedit ore loqui, quo pectora regum
Mollescunt, bonus et pius extremam usque ad amussim;
Huic regnum, huic reges, huic Transilvania debet,
Namque suo innumeros contraxerat aere quirites
Bella manu gessit propria, punctum tulit omne,
Omniaque emeruit placidae palmaria pacis.
Talibus invitat stimulis ad bella Monarcham b)
Martigenum: nos a Temeso propellere plebem
Fasque Deusque jubet, nam si modo curvus arator
Ceperit hanc arcem, nil illi obsistere credas
Atria nostra ruent, nos fixi stipite in alto
Frustra neglectae querulemur tempora pugnae.
Ut mora damnosa est: sic dum pejora timentur
Est locus in voto, citius cingamur in enses,
Agmine terribili servilia castra petamus,
Vincemus, si non parti secura triumphi
Gaudia, quae multis damnosa fuere, sequemur.
Nam dubia incautam ludit victoria turbam,
Rex aliis non esse potest, quem non regit alma
Met ratio, pravis Dominis tot paret, iniquos
Affectus quot habet; quando mala parta frequenter
Haud bene dispereunt, veniunt abeuntque vicissim.
Ignavi Ducis imperium durabile non est.
Nec servat raptum magnis sine stragibus orbem
Saevitia proceres, qui cives morte gubernat.

---

a) R. D. Eppus Transsilv. b) Ejusd. oratio ad Vayvodam.

Dixerat, et cunctorum animos permovit ad arma a)
Jam pugnae cupidus Dux agmina cingit anhela,
Impavido capiti galeam positurus, ahenam
Ferratam forti thoracam in pectore, tergo
Nervosum clypeum detritis nexuit ansis,
Laeva nec a dextra, nec ab hasta dextra vacabat.
Magnanimi proceres instructi taliter ibant
Consertare manus, petitur sententia pugnae,
Plebeji flagrare foci, jam classica quartos
Excierant vigiles, cum castra Sapolia ad arcem b)
Themeson obsessis properant succurrere castris.
Vasta ubi graminei bucceta est cernere campi.
Plebs variis marcens epulis, ignara futuri
Dum thyasisque chorisque vacat, fatalibus orsis
Oppipara in subitos convivia versa tumultus
Inter vina crepant equites, prior ipse Monarcha c)
Transsilvanus adest homini Deus, ocyor Euro
Rustica fulmineo petiturus castra volatu
Huic ego non Paulos, Marium, fortesque Metellos d)
Praetulerim, aut magnum divinae stirpis Acesten.
Ante expectatum innumerae ad tentoria plebis
Bellatore invectus equo, clavamque trinodem
Herculis arma, manu Herculea vibrabat, et estus
Et nitida crebros sub casside pertulit ictus
Cujus ad adventum tentoria rustica nutant,
Consilii non tempus erat, non ullaque ferri
Spes aderat, subitus turbaverat omnia terror.
Obductis aër nebulis, pice nigrior atra
Stabat, et infausti monstrabat signa duelli.
Incustoditas Bacho regnante stativas
Intrat et in primo fixurus limine gressum,
Quadrupedum sonitu et telluris pulvere multo

---

a) Nobilium bellantum armatura. b) Vigiliarum designatio. c) Monarchae pugna. d) Pauli, Marii, Metelli et Acestes.

Proditus agmen agit, tentoria proxima radens
Classica signa vocat, claros jubet edere cantus.
Threycias hyemes Nilo mutare volentes a)
Strimona missurae sub mollem longius austrum, b)
Quot Palamedis aves una ire solent, argivae
Ordine literafae; lituis tot cornua mixtis
Tot cecinere tubae, primo subit ordine quaestor c)
Quem calibe indutum, septumque ingentibus alis
Ferratorum equitum, Sternacem et in aere latentem
Cornipedem, ut vidit plebs ad sua castra ruentem;
Cesserat alacri victoria rustica ferro.
Nam pauor attonitos inopinus straverat hostes.
Diffugiunt, sua quemque tenet terroris imago,
Effractis ruitant castris discrimine multo,
Arte Ducis nulla, stant omnia et omnis ad unum
Terga dat, atque fuga sibi consulit hostis arator.
O famuli turpes, genus ignavum, pecus excors d)
Non pudet ascitum sine vulnere mittere regem?
Zeglius ut vidit plebem fugisse fugacem,
Exanimis moesto fera pectore fata trahebat.
Dulcibus a mensis Mauortia versus ad arma
Infremuit timidus, dedignatusque timere
Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.
Postquam inter saxum et sacrum sua vota jacerent,
Pallidior Buxo, Sardis quoque amarior herbis e)
Arreptis armis medios lapsurus in hostes
Alipedem conscendit equum, nec Marte sinistro
Forte duos uno Cataphractos dejicit ictu. f)
Non plus sortis habet, quam qui temerarius olim
In patrios minxit cineres, ita fluctibus altis

---

a) Nilus. b) Strimon. c) Quaestoris armatura. d) Apostrophica Inclamatio. e) Zeglii spem desperati facies. f) Cataphracti.

Armatos inter cuneos compressus inermem,
Immiti vulgu jugulat, quem fertur, in hostem.
Factus hebes gladius, fundendo sanguine priscum
Perdit opus, tactos frangit, non vulnerat hostes a)
Magnanimus juvenis Dux strenuus, acer Achilles
Hunc petit educto mucrone Sapolius Heros,
Çeu tonitrus, caedis praesagus luctificus sol
Crudelem nigro pugnam pallore notabat.
Pro miser indignum minaci fronte furorem
Versat et excussam frameam, reliqua armaque toto
Corde agitat, capuloque manus absente moventur.
Deturbatus equo sibi fata novissima tristis
Zeglius haud falsa promiserat alite, densis
Obruitur telis, quem non vicisset inaudax
Persa nimis, virtute Alemanus, Graeculus astu, b)
Implicitus lassos contortis funibus artus
Insanit, luço velut atrox ursus opaco,
Rhetia rara plagis aut altis saltibus actus
Trux aper effuso foedat virgulta veneno;
Sic fremit ore minax et firmos solvere nodos
Tentabat, poenasque in aperta luce daturus,
Angusta in fossa, multo custode tenetur.
Distentum crassa magnum farragine corpus
Robora multa premunt, multa strue membra recumbunt.
Mane erat, ignivomus claro dum lumine Phoebus
Castrorum vallos niveo penetraret amictu,
En scelerum Oceanus, quem dudum dira manebant
Supplicia, ex humili specu lictore cruento
Tractus anhelanti populo spectacula praebens.
Suspicit astriferi spatiosi volumina coeli
Post moestos gemitus, suspiria crebra profundo
Corde vomens dixit: mors ultima linea rerum est. c)

---

a) Spect. D. Vajv. congressus. b) Persa, Alemanus Graeculus. c) Georgii Zeclii peroratio.

Haec est summa dies, haec hora extrema diei
Ultima sepositae caperem ne littora Thyles.
Si placitum est, quamcunque datis modo numina mortem
Intrepidus, constansque feram, nam cogere divos
Nemo potest; nulli non rumpunt dulcia Parcae
Stamina, sed forti pariter pavidoque cadendum est
Tendendum, quo fata trahunt, sat magna peregi,
Pannoniae heroas domui, patriosque tyrannos
Funditus extinxi, quis me vel Marte vel arte.
Quis tantos meruit plebeo milite honores?
Quos pluris facio, quam ter capitolia lentis
Scandere quadrigis, quam reges ducere captos.
Sidera dum coelo, dum terris laeta redibunt
Germina, dum surget mare fluctibus, arbore silva
Perpes perpetua de posteritate manebit
Nomen, et Hunnorum multa cum laude per orbem
Regulus Agricolum cantabor, ad aethera fama
Evehar et nullo tenebris damnabor in aevo.
Vixi et quem voluit cursum natura, peregi
Bellipotens. Non Te fatum implacabile culpo a)
Quod peream, coeloque mori nil sors vaga de Te
Nec de te fortuna queror, te inculpo nefanda
Rerum luxuries et iners opulentia nostrae
Caussa necis, tu triste nefas, tu lerna malorum
Conflasti haec cruda crudelia fata ruina!
Terra vale nunquam repetenda; valete triumphi! b)
Sic ait, et multo spurcatas sanguine lictor
Detrahit exuvias, et dextram torre perusto
Complet et ignitam regali fronte Tyaram
Regis ad exemplar pompis regalibus ornat. c)
Servilis belli Emansor, Desertor et Erro
Deserto illudunt Regi, et lictore jubente d)
Lurida candenti distringunt tempora ferro.

a) Ad fatum Apostrophe. b) Ad tellurem Vale ultimum. c) Hypallagicos. d) Emansor, Desertor, Erro

Rupta volubilitas capitis latissima, perque os
Perque cavas aures, oculos, naresque cerebrum
Non aliter, quam lac concretum vimine querno a)
Spissatusve liquor rari sub pondere cribri
Stillat et expressus per densa foramina manat,
Sic cerebrum ignita resolutum molle Tyara
Defluit et putres maculabant ora fluores.
Turba ministrorum calamo invitata palustri
In numerum salit, et regem desannat atrocem
Quem Ducis ad nutum stricto mucrone minantis
Nudato mox dente petunt, lacerantque vorantque,
Divellunt truncos artus, demorsaque mandunt
Viscera, Zeclaea saturati carne, cruorem
Non citra suctum foedi sorbere ministri.
Carnificis epulis et foedo plena madore
Stabat monstrifico furialis mensa paratu.
En lacer, exsanguis, vitam lucemque perosus,
Proruit in terram, moribundaque membra jacebant
Languida, dum tacitus vigor ad praecordia sensim
Serpsit, ut aestivum ad solem sitientibus herbis
Flaccescunt olerum caules, quos lapsa repente b)
De coelo pluvia et largi de nubibus imbres
Restituunt, rident silvae, segetesque retonsae
Sponte virent, spirant revocatis floribus horti.
Sic servate malis, multa perfusus ab unda
Infelix Zegli stygio revocaris ab orco.
Mox pedibus nervos, manibusque Monarcha levari c)
Stuppea vincla jubet, jussitque ligare refotum.
Impia dulichii redierunt secula Ulissis,
Quem Lestrigonios verubus coxisse sodales
Plurima testantur veterum monumenta librorum. d)

---

a) A presso lacte Parabola. b) Parabole ab imbribus desumpta. c) Georgii Zecli e vinclis eliberatio. d) Lestrigones.

Jam sol crescentes decedens auxerat umbras
Dente lacessitum totum pro vulnere corpus a)
Corpus quadrifidis aequandum quercubus, atrox
Stravit humo lictor, crassoque peruncta cruore
Inguina rimatur, corda et praecordia nudat.
Ossa ferus nodosa puer, semesaque crura
Ictibus haud paucis cervicem et brachia frangens,
Sic pereat quisquis patriae intestina movebit
Bella, ait, et lato saevum caput ense recidit,
Quod tanto ut sceleri testes fidemque referret,
Transfixum longa Segedinum fertur in hasta. b)
Dum coecam traherent obscura crepuscula noctem
Qua via declivis patulis tritissima portis
Mille capax aditus lacrymosa ad moenia duxit.
Zeglius infernas valido clamore sub umbras c)
Fulmineus trahitur, fragor et pavor impia complet
Tartara, quem torvo minitantem vulnere vultu
Attoniti, nigro fugerunt agmine manes.
Pallor et atra fames discissaque dentibus ora
Expers sub lucis regnum comitantur euntem. d)
Ut Styga trajecit, limenque a corpore pressum est
Janitor inferni tria Cerberus extulit ora. e)
Constitit Ixion, lucrantur Belides undas, f)
Nocte satae Eumenides, tortos de crinibus angues g)
Depexos fugiunt, Tycius laniata novenis h)
Viscera jugeribus, tu Tantale poma fugacis i)
Arboris oblitus, neque saxum Sisyphe, versas, k)
More parentali, justisque feralibus actis
Zeglius Elysias animarum praemia valles l)
Nosse cupit, votisque suis ductore Charonte

---

a) Occidentis diei circumscriptio. b) Segedinum. c) Georgii Zec. ad inferos descensus. d) Carceris Tartarei facies. e) Cerberus. f) Ixion. Belid. g) Eumenides. h) Titius. i) Tantalus. k) Sisyphus. l) Georg. Zeg. ad Elysium progressus.

Perfruitur, lustratque nemus Junonis avernae
Qua procerum vidit spaciantem per pia turbam a)
Prata, per et blandis depictos floribus hortos;
Mollia qua solvunt faciles violaria occellos,
Qua rosa mitescit sarrano pulchior ostro
Qua vel odoriferae Panaces qua Molii leguntur
Flumina qua lactis, qua flumina Nectaris ibant.
Qua vel Amaracinum, stirax, Opobalsamae, mella
Amne leves fundunt aura redolente susurros.
    Hos inter nivea velatus tempora vitta b)
Nicoleos Praesul Zachano sanguine natus
Ordine primitio incessit, bellisque cruenta
Interfectorum servilibus agmina duxit.
    Quae simul ut vidit, retulit gressusque pedesque c)
Zeglius et trepidos averso tramite colles
Horrendum per iter; per nigra crepuscula carpens
Fugerat, et Loethes tacitum trajecerat amnem d)
Oblitusque viae, superas evadere ad auras
Conatur frustra; quod inextricabilis error
Ex labirinthiaca inflexarum ambage viarum e)
(Ni Jove dilectos rarae et virtutis alumnos)
Non patitur quemquam reddi vitalibus auris.
    Jure tribunali scelerosam commovet urnam f)
Quaesitor Minos, et Gnosius hunc Rhadamantus. g)
Arbiter Inferni subigebat cuncta fateri,
Quae miser in seram commissa piacula noctem
Distulerat, tenues sine corpore et ossibus umbras
Diris afflictas cruciatibus urget et inquit.
    Hunc, qui Tenarios fuit ausus adire recessus, h)
Servilis belli auctorem patriaeque profanum
Hunc eversorem gravibus vincite catenis

Cogite

---

a) Elisii forma. b) R. D. Eppi Chanad. umbra. c) Georgii Zeghii transfugium. d) Lethe fluv. e) Labirinthus. f) Minos Judex. g) Rhadamantus arbiter. h) Minois concio.

Cogite cocciti sceleratas sumere poenas.
Nec mora. Discissi et laniati dentibus artus
Aeternis chalibum nodis arctantur, et alta
Sub styge crudeles densantur in omnia poenae
Quas nequeam linguis centum perstringere; quippe
Flammivomas Phlegetontis aquas, saevamque mephitim a)
Sulphura, Tartareasque pices fert, ustus ab igni
Mergitur egelidum in stagnum, rursusque sub ignes
Truditur, et fibris Tycio de more renatis
Nulla quies. Serpentinis sub dentibus artus
Elisi trepidant, avidamque geruntur in alvum.
Ut veteri in stabulo mala contignatio pingui b)
Lychnucho succensa vagos mutatur in ignes;
Utque leves stipulae flamma accenduntur edaci
Sic abit in flammas miserandus Zeclius et jam
Excoctus tremulis ad ahena undantia flammis
Ignis in igne ardet, quem non extingueret ingens
Ennogiscus aqua, lunaribus incrementis c)
Augeat hanc quamvis auctamque coarctet eandem.
Hactenus ancipitis discrimina tristia belli
Pendebant dubiisque volans victoria pennis d)
Castra Colosbarios vastantia lustrat agellos; e)
Septima surgebant turgentis cornua lunae,
Quando oriens virgo pisces descendere aquosos
Despicit, et latas aequo libramine lances f)
Submovet, et fulvi protrudit terga leonis,
En Leonardus adest, Vice Regulus, inclyta Gentis g)
Gloria Barlabassiacae, Siculosque rapaces
Attrahit in bellum, nec inexpectatus in armis
Saxo venit, sua per tentoria castra tuentur h)

---

a) Georgii Zeclii poenae. b) Comparatio a veterum aedium conflagratione. c) Ennogiscus. d) Dubii Martis periphrasis. e) Colosba. f) Autumni circumscriptio. g) Leonardus Barlabassius Vice Vajw. h) Saxo.

Ruricolae, atque omnes uno ore arma arma tonabant.
Jam pugnae sua signa canunt, pugnatur utrimque a)
Fortiter et primae robusti Saxones alae
Permixti Vlaccis fato cessere cruento. b)
Dives opum, genere excellens re et corpore magnus c)
Stans Draphius Janus, Jano cum compare Bamphio
Fraxineam validis crispabat viribus hastam,
Qua laterum cratem et dorsi internodia fregit.
En ait, en adsum, procerum saevissimus ultor, d)
Non mihi te velox sonipes, non castra, nec arma
Caedibus eripient, propriae plebs prodiga vitae!
Illa nihil contra, sed prodigialibus ausis
Talibus immanes stimulis ardescit in iras,
Signifer agrestem super alto robore falcem
Arripit et densus fertur malesanus in hostes.
Qua nervosa pedum conscidit crura priorum
Bellatoris equi moribundo pectore duram
Pulsantis terram, Draphius collapsus ab hoste e)
Indomito et magnos et crebros substulit ictus.
Hunc ubi plagatum multoque cruore madentem f)
Bamphius aspexit, comes et junctissimus illi
Gentilis, veri nec dissimulator amoris
Non impune sinit socium cecidisse, citatum
Pulsat equum, plebemque feram mucrone cruento
Propulit et mecum Tibi sint certamina, dixit.
Interim Johannes Thornaio stemmate clarus g)
Qui varia horrendi novit stratagemata belli,
Surripit exsangvem Draphium, raptoque frementem
Subdidit alipedem, renovata et proelia miscet.

---

a) Belligeratur. b) Vlacsi. c) Magnif. Dom. Joannes Draphi. Jo. Bamphi. d) Illius acclamatio. e) M. Dom. Draphii lapsus. f) M. Dom. Joh. Bamphii pro Draphio pugna. g) Egreg. Dom. Thornay.

Tum vindex Draphius plagas ulturus acerbas, a)
Hostis in adversi latus immedicabile telum
Torsit et infausto pensabat vulnere vulnus.
Densius hyberna volitabant grandine tela, b)
Quae subito jactu vulgum fudere pedestrem.
Ille teres lignum longa sine cuspide traxit,
Hic resupinus humi, pede culcatur equino,
Alter pulsantes nodosi verberis ictus
Excipit ardenti clipeo, clypeo ille trementes
Defensando humeros, Mauorcia reprimit arma.
Pars periit jaculis per tempora peruia fixis,
Quae missa a laeva dextram penetrare per aurem
Moesta Colosbariae confunditur urbis imago, c)
Plebejo clamore nemus, montesque lacusque
Et Bromii colles et turbidi utraeque Zamosi d)
Praecipites ripae fremitu complentur inani.
Assimilare queas pelago, quod saeva quietum
Ventorum rabies commotis fluctibus urget. e)
Rustica flammivomis funduntur castra Boardis
Serviles cecidere manus, gratantur in urbe
Municipes, et victori complexibus haerent.
Collectas belli servilis carcere coeco
Claudunt relliquias, portentificisque reservant
Mortibus, hi contis, illi cecidere securi,
Pars super ingenti flagrant strue, sangvis inustus
Edidit horrendum sonitum, bullasque per omne
Corpus agit, quales tacito super amne frequenter f)
Aethereus guttis reparat stillantibus imber.
Quale rubens igni ferrum, quod forcipe adunca g)
Dum faber extraxit, lacubusque immisit, at illud
Submersum tepida stridendo sibilat unda.

---

a) Repetitur pugna a Draphio. b) Pugnae facies. c) Colosbarium Oppidum. d) Zamos. fluvius. e) Cruciferorum interitus. f) A bullis parabola. g) A ferro candenti.

Ossea candentes referebant membra favillas,
Cetera semicremis suspensa cadavera palis
Turpe nimis visu, calidas torrentur ad auras. a)
Qua creber obscuros commixta grandine nimbos b)
Auster agit, surgunt juga Dacica acumine celso
Fundentes vitreum Chrysam, qui valle reducta
Effluit, et laeto Varadinum dividit alveo. c)
Qua fons illimis scatebris fumantibus auras
Calfacit, et morbis medicamentaria praebet
Balnea, consultus quaestoris, nomine Paulus,
Nobilitate potens Tomoreae stirpis origo, d)
Quantum Marte gravi, tantum sermone valebat,
Tutius esse ratus, fictis contendere verbis,
Quam trepida pugnare manu, tum voce sonora
Plebeos cuneos mediis consistere castris
Jussit, et incerti deponere proelia belli.
Ad quem Caesarea visi consurgere ab urna e)
Laeta Sigismundi cecinere oracula manes:
Si juvat aeterno mortem praeferre timori,
Utere praecipiti pugnae cursu, velut olim
Caesar, qui magnum imperio subjecerat orbem.
Ultimus hic conflictus erit, servilia bella
Qui peraget, claris celebrandus ubique triumphis.
Interea ingentes dupplici munimine surgunt
Nobilium fossae, socii solantur amati
Ut placidi vultu saevi certamina Martis
Pro se quique ferant, qua conditione et alendi
Armandique forent, facundo ex ore docentur.
Stellato superos iterum cogebat Olympo
Jupiter et pugnam, pugnaturasque cohortes f)
Centauris similes, similes Cyclopibus uno
Demonstrans digito, placidis sic Pallada dictis

a) Topographia. b) Chrysa fluv. c) Varadinum. d) Eximius D. Paulus Tomori. e) Sigismundi Caesaris umbra loquitur. f) Jovis opt. max. Comitia.

Convenit: o sanctae moderatrix optima pacis a)
Filia, supremis nisi mox medeare periclis
Agricolisque meis gratum latura juvamen,
Ad bellum tendas, actum est de plebe misella,
Quae mea sacrato celebrat solennia ritu,
Quae Bachum et Cererem observat, reveretur, adorat
Dixit. At hunc contra sic est affata Minerva.
Alme parens, nec si fusam fractamque viderem b)
Hanc plebem, ferrem auxilium, quod perfida nostras
Non tam contemnit, quam spernit turpiter artes.
Ante retro praeceps Athesis fluet et sine fronde c)
Hercynium stabit nemus, Argivique latinis d)
Praesidium ante ferent, quam nostra vivet opella
Rusticus asperior tribulis, fallacior undis.
Crimina nil prodest scelerosae dicere plebis, e)
Sacrilega patrata manu, nam tu omnia solus
Quae sunt, quae fuerint, venturaque singula nosti.
Finis erat dictis. Densis comitata Deorum
Juno choris tali compellat voce tonantem.
Si propriam lento pede vis agnoscere mulctam, f)
Fac habeas dignas mihi facta injuria poenas
Nam templis legata meis legere sigilla
Lampada, campanas, calices, gutturnia, mappas g)
Vexilla et pateras, et pulvinaria, lances,
Atque arae induvias et tintinabula, acerras
Summatimque uno complectar ut omnia verbo,
Nulla malam plebem nostri reverentia tangit.
Conjugis ergo preces et jussa sororia fidis
Auribus exaudi et communibus annue votis
Annue quo Tecum pugnas spectemus ab alto
Aethere, ut horrendi belli temerarius author

---

a) Ejusdem adhortatio. b) Palladis ad Jovem Apologus. c) Athesis fluv. d) Hercynia silva. e) Confirmatio. f) Junonis ad Jovem Oratio. g) Anacephaleosis.

Contemtor superum, caedisque avidissimus atrae
Rusticus his procerum levibus fundatur ab alis.
Juppiter hanc contra: Castae dulcissima tedae!
Rite mones, conjunx, neque enim lex aequior ulla est,
Quam necis artificem propria succumbere ab arte.
Ut Deus assensit, placatoque annuit ore,
Ecce Monarcha venit, venit almae Transsilvanae
Magnanimus Praesul, properantibus undique signis
Turba ruunt, castris fera belli signa ferentes
Praecones, pugnae sonitum tuba triste canora
Increpuit, tum siderea de sede supremus
Juppiter atrocis memorem Junonis ob iram
Concitus intonuit cladis portenta futurae.
Territa monstrifico signo plebs foedera pacis
Firma pacta manu servari infecta precatur.
Heu quibus insidiis, qua nos circumdedit arte a)
Perfida Nobilitas, dum falso parcere fingit
Induit hostiles animos, credibile dictu est,
Nulla viros pietas Mauortia castra sequentes
Nulla fides et nulla manet frons juris et aequi.
Pax et lex illis tam longe est, quam vaga distant
Astra solo, vel flamma freto, facere omnia saeve
His impune licet, qui cruda ad bella parati
Vulgus inerme petunt. Plebs improvisa futuri
Congressus, saevo Mavorte infausta gerebat
Praelia, et extremae justa exequialia pugnae
Praebuit, et finem posuit servilibus armis.
Tantae molis erat, patrias delere procellas.
Roscida septenis complebat cornibus orbem b)
Luna, ubi Tartesias moriens Astraea sub undas
Occidit, et ramos pomis Pomona gravatos c)
Suffulcit, furesque timens pomoeria claudit.
Ariete phryxeo nihilum provectior orta d)
Libra diem noctemque pares partitur in horas,

---

a) Cruciferorum ad semet ipsos verba. b) Impacati temporis annumeratio. c) Pomona. d) Aequinoctii autumnalis descriptio.

Cum sua ab arboribus labuntur poma recussis
Cum nova calcatis distillant praela racemis.
Tardigradus curva Saturnus falce relicta, a)
Coniferam impavido galeam deponere Marti
Svaserat, et blandis exarmat Pallada dictis
Quae persuasa suum, Divumque hominumque parentem
Pulsat, immanem Jovis iram talibus orsis
Placabat, votoque suo fruitura perorat.
O et qui coelum, O et qui cuncta gubernas b)
Praecipuum Paci Numen, te Praeside toti
Dependent mundo, lis et pax, mel velut et fel,
Pace opus est, dudum bellis servilibus arva
Ungara depopulata gemunt, sunt omnia caedis
Plena, lacus, amnes silvaeque agriqùe viaeque
Turpe cadaver habent, viciantur odoribus aurae.
Nam quacunque acies oculorum flexeris, haerent
Affixae sudibus turbae, ceu squammea apertis
Ponticus in mattis contorret monstra colonus.
Da placidam pacem, posita nam casside Mauors c)
Hanc rogat imbellis, rogat hanc Saturnus inermis.
Annuit Astripotens, variamque coloribus Irim d)
Udo de coelo descendere limite curvo
Mandat, et Hunnorum sua jussa referre per aures.
Illa agilis induta alas non segnius explet
Idaeum imperium, cujus sic nuncia defert. e)
Qui superas arces, qui mundi Regna triformis
Temperat, et sanctis moderatur legibus orbem,
Tempus adest, inquit, quoniam certamine multo
Quae paene interiit, reditura est Pannoniae res.
Pax erit et posito mitescent tempora bello
Prospera defessis nascentur secula terris.
Jam tellus communis erit, jam limite nullo
Discernetur ager, qui curvi vomeris expers

---

a) Saturni ad Martem Consultatio. b) Minervae ad Jovem. c) Ejusdem peroracio. d) Iris pacis nuncia. Antiphrasicos. e) Iridis Nuncium Somatopopejacum.

Sponte sua passim subitas producet aristas
Attica Pannonicis quercetis mella legentur,
Vina fluent, oleique lacus, stagnantia lacte
Flumina mutabunt undis albentibus Istrum
Sic ait et magnam magnae Junonis ad Aulam
Missa nube cava, croceis traducitur alis.)
Vos precor, o divi Reges et coelica Regum a)
Numina, Pannonios inter sacrata penates
Annuite, et nostris placidi subscribite votis!
Vestra stirpe sato Lodovico terreus orbis
Pareat et vasti circumflua littora ponti
Regnaque quae felix nimium Titanius ales
Incolit, et reparabilibus terit artubus, aevum,
Oceanumque ultra dominetur, transque remotas
Thetios ambages, Atlanteosque recessus.
Imberbes juvenes aequaevi Principis annis
Exultant et decrepiti sua tempora temnunt,
Et matura viris, cunctis sua displicet aetas.
At vos fatales hominum tria Numina Parcae
Ducite concordi Regalia stamina fuso.
Ferrea concesso Lachesis tum jure fruaris, b)
Quum Natura sagax mutato foedere mundum
Formet, ut arctous sitientes irriget Aphros
Odera, vel priscis refluas concursibus undas
Arte viri domitae Symphlegades elidescant, d)
Aut niger e solida glacie damnabitur Indus e)
Aut Sol occiduis inversus surgat Iberis, f)
Declivemque Polus sublimior induat Austrum.
Tandem deserto, quem temperet orbe, choruscis
Accedat stellis, faveatque precantibus absens
Plurima Nestoreae transgressus saecla senectae!

Tempus hominibus coticula.

---

a) Authoris ad divos Ungariae Reges obsecratio. b) Lachesis. c) Odera. d) Symphlega. e) Indus. f) Iberi. g) Auster. h) Nestorea senectus.

F r a g m e n t u m

libri rationarii super erogationibus aulae
Regis Hungariae Ludovici II.

de anno 1526.

1526.

Exitus pecuniarum ad facta Regie Majestatis. a)

Feria IV. proxima post festum Pentecostes Stephano *Maylath*, Dispensatori regiae Mtis ad conservationem coquinarum Mtis suae dati sunt in monetis cupreis flor. 50. qui juxta constitutionem Mtis suae et regni in bona moneta, duas cupreas pro una bona computando faciunt florenos 25.

Eodem die Stanislao Belyna, dispensatori Domini Nicolai Lypchich, oratoris serenissimi principis Dni Sigismundi Poloniae regis ad conservationem coquinae et equorum ejusdem dati sunt in cupreis monetis floreni 24. qui in bona moneta, duas cupreas pro una bona computando faciunt flor. 12.

Eodem die ad manus Emerici Nagh, vice magistri Agazonum Regiae Mtis ad emendum triginta duo quartalia avenae, mediam scilicet praebendam equis Mtis suae, et praebendariorum ejusdem, singula quartalia per denarios

a) *Nota Prayana.* Apographum hoc est ex authentico Autographo Camerae R. Posoniensis a me descriptum A. C. 1768. d. 14. Aug. *Nota Editoris.* Ex Apographo manu cel. D. Pray exarato meum exemplar accurate descriptum est. Brevitatis caussa Siglas adhibui, egr. d. c, p. u. b. c. duas cupreas pro una bona computando.

quinquaginta cupreae monetae computando dati sunt floreni 16. qui in bona moneta, d. c. pro una b. c. faciunt flor. 8.

Feria V. proxima post festum Penthecostes Stephano Maylath dispensatori Regie Mtis ad conservationem coquinarum Mtis suae dati sunt in monetis cupreis floreni 50, qui in bona moneta, d. c. p. u. b. c. faciunt flor. 25.

Eodem die Stanislao Belyna, dispensatori Dni Nicolai Lypchich, Oratoris serenissimi principis Dni Sigismundi, Pol. R. ad conservationem coquinae et equorum ejusdem dati sunt in monetis cupreis fl. 24. qui in b. m. d. c. p. u. b. c. fac. flor. 12.

Eod. die ad manús Emerici Nagh vice Magistri Agazonum Regie Mtis ad emendum triginta duo quartalia avenae, mediam scilicet praebendam equis suae Mtis et praebendariis ejusdem singula quartalia per den. 50. cupreae monetae dati sunt flor. 16. qui in b. m. d. c. p. u. b. c. faciunt flor. 8.

Feria VI. proxima ante festum Sanctae et individuae Trinitatis Stephano Maylath, dispensatori R. Mtis ad conservationem coquinarum Mtis Suae dati sunt in bona moneta per duos floreni 25.

Eodem die viginti duobus agazonibus Alemannis, undecim agazonibus Hungaris, quatuor fabris, uni seripario, quatuordecim curriferis regie Mtis, item quinque servitoribus Magistri Agazonum, tribus parafrenariis et Vice Magistro Agazonum ad duas personas, qui faciunt in toto sexaginta duas personas, pro praebenda ipsorum hebdomadali uni cuique per denarios 50. bonae monetae computando dati sunt in cupreis monetis flor. 66. qui in b. m. d. c. p. u. b. c. faciunt flor. 33.

Eodem die ad manus Emerici Nagh Vice Magistri Agazonum Regie Mtis ad emenda triginta duo quartalia avenae, mediam scilicet

praebendam equis Suae Mtis et praebendariis ejusdam dati sunt in bona moneta per duos floreni 8.

Sabbatho proximo ante festum S. Trinitatis Stephano Maylath, dispensatori R. Mtis ad conservationem coquinarum sue Mtis dedi per duos flor. 25.

Eodem die Stanislao Belyna dispensatori Dni Nic. Lypchich oratoris Regis Poloniae ad conservationem coquinae et equorum ejusdem dati sunt in bonis per duos fl. 12.

Eod. die ad manus Emerici Nagh, Vice Magistri Agazonum Regie Mtis ad emenda 32. quartalia avenae equis sue Mtis et praebendariis ejusdem dati sunt in bona moneta per duos floreni 8.

Eodem d. emere feci ad capellam R. Mtis pro una septimana lucernas 4. et candelas bajulares 8, a) singulas lucernas per denarios 33. candelas vero per den. 25. cupreae monetae et oleum olivae ad lampadem in eadem capella continue ardentem per denarios cupreae mon. 50. et dedi ad manus Alberti, Rectoris ejusdem capellae, qui faciunt in b. m. d. c. pro u. b. c. flor. 1. den. 91. b)

Eod. d. emere feci pro domibus Regie Mtis ad unam septimanam lucernas 14. et candelas mediocres similiter 14. singulas lucernas per den. 33. candelas vero per den. 10. cupreae monetae, et dedi ad manus Laurencii Rutheni Suae Mtis qui in bona moneta per duas faciunt flor. 3. d. 1.

Die Dominico in festo s. et ind. Trinitatis Stephano Maylath dispensatori R. Mtis ad conservationem coquinarum Suae Mtis dati sunt in bonis per duas fl. 25.

Eodem d. eidem Stephano Maylath pro emendis speciebus ad conservationem coqui-

---

a) Legendum baculares. b) Sic,

narum Sue Mtis ad unam septimanam dati sunt fl. 100. qui in b. m. d. c. p. u. b. c. faciunt fl. 50.

Eodem die Stanislao Belyna dispensatori Dni Nic. Lypchich oratoris R. Pol. dati sunt in bona moneta per duos fl. 12.

Eodem d. ad manus Emerici Nagh, Vice Magistri Ag. Regie Mtis ad emendum 32. quartalia avenae, mediam scilicet praebendam equis suae Mtis et praebendariis ejusdem dati sunt in bona moneta per duos fl. 8.

Eodem d. Sebastiano Fodor, adolescenti R. Mtis cum literis Mtis suae per Mtem suam ad Magnificum Dominum Franc. de Batthyan, regnorum Dalmacie, Croacie et Slavoniae Banum Sclavoniam misso, pro expensis dati sunt in bona moneta per duos fl. 16.

Eodem d. Scolasticis septem scolarum, qui regiam Mtem recordatum venerant, jussu Mtis suae dati sunt in bona moneta per duos fl. 2.

Feria II. proxima post festum S. et ind. Trinitatis Stephano Maylad dispensatori R. Mtis ad conservationem coquinarum sue Mtis dati sunt in bona moneta per duos fl. 25.

Eodem Stanislao Belyna dispensatori Dni Nic. Lypchich oratoris Regis Pol. dati sunt in bona moneta per duos fl. 12.

Eodem die emere feci duas cuppas argenteas deauratas continentes in se marcas 10. cum media, et Lottones 3. et misi jussu R. Mtis medio Martini Lezneczky, cubicularii Mtis suae Wenczeslao Mezeryczky pro munere nuptiali, singulas marcas per florenos 24 monetae cupreae, qui in bona moneta, d. c. p. u. b. c. faciunt fl. 100. den. 75.

Eodem eidem Martino Lezneczky per suam Mtem cum praescriptis cuppis ad solempnitatem nuptiarum ipsius Wenceslai Mezeryczky Wiennam misso pro expensis et solutione currus Kocsy dati sunt in bona moneta per duos fl. 75.

Eodem d. tubicinibus et fidicinibus reginalis Mtis jussu R. Mtis dati sunt in bona moneta per duos fl. 6.

Eodem d. ad manus Emerici Nagh, Vice Magistri Agazonum R. Mtis ad emendum 32. quartalia avenae equis suae Mtis et praebendariis ejusdem dati sunt in bona moneta per duos fl. 8.

Eodem d. Nicolao Ponyth, Servitori Dni Nicolai Comitis de Zrynio, qui venerat ad R. Mtem pro petendis servitiis Domini sui, remisso cum relatione pro expensis dati sunt per duos fl. 5.

Eodem d. ad manus R. Mtis medio Joannis Pook, Magistri Curiae reginalis Mtis missi sunt in bona moneta per duos fl. 6.

Eodem d. cusoribus monetarum, qui de voluntate Re Mtis Budam venerant, et deinde ad Wyssegradum jussu Mtis suae ad cudendam Monetam profecti sunt, pro expensis et solutione curruum kocsy dati sunt in bona moneta per duos fl. 15.

Feria III. proxima post festum S. et ind. Trin. Stephano Maylath, Dispensatori Regiae Mtis ad conservationem coquinarum Mtis suae dati sunt in bona moneta per duos fl. 25.

Eodem d. Stanislao Belyna, dispensatori Dni Nic. Lypchich oratoris R. P. dati sunt in bona moneta per duos fl. 15.

Eodem d. Paulichkoni aulico Huszaroni R. Mtis ad rationem servitiorum suorum dati sunt per duos fl. 5.

Eodem d. Laurentio Polyak Tubicini Re Mtis ad rationem servitiorum suorum d. s. per duos fl. 2.

Eodem ad manus Emer. Nagh, VMagistri Ag. R. Mtis ad emendum 32. quartalia avenae equis Suae Mtis et praebendariis ejusdem dati sunt in b. m. p. d. fl. 8.

Feria IV. prox. in profesto sacratissimi Corporis Christi Stephano Maylad, Dispensatori

R. Mtis ad conservationem coquinarum Sue Mtis dati sunt in b. m per duos fl. 25.

Eodem die Stanislao Belyna, dispensatori Dni N. Lypchich or. R. Pol. ad conservationem coquinae et equorum ejusdem d. s. in b. m. p. d. flor. 12.

Eodem die ad manus Emerici Nagh VM. A. R. Mtis ad emendum 32. quartalia avenae equis Mtis suae, mediam scilicet praebendam, singula quartalia per den. 50. cupreae moneta dati sunt fl. 16. qui in bona moneta d. c. p. u. b. c. faciunt flor. 8.

Eodem d. Ruthenis R. Mtis ad usum ipsorum dati sunt per duos den. 25.

Eodem d. pro reformatione unius turribuli fracti ad capellam regie Mtis de castro Budensi pertinentis cum catenis argenteis, Magistro Ladislao Aurifabro Budensi pro argento et labore soluti sunt in b. m. p. d. fl. 10.

Eodem d. emere feci de Bysso pecias duas, de sindone peciam unam, et de panno Nerembergensi brevi pecias duas, et dedi ad manus Magistri Andreae tentoriparii R. Mtis pro ornanda statione et ligandis reliquiis, quas die crastina in processione Curiales Mtis suae deferre habent, singulas pecias Byssy per fl. 6. peciam sindonis per fl. 3. singulas vero pecias panni per fl. 6. cum dimidio in bona moneta. d. c. pro u. b. c. et faciunt fl. 28.

Eodem die emere feci claviculos majores et minores pro fl. 1. et denariis 20. cupreae monetae, de funiculo vero ligaturas 10. pro denariis 50 et secures 3. per den. 75. ad pathkowerew, per den. 80. similiter cupreae monetae, et dedi ad manus Ruthenorum R. Mtis ad ordinationem et erectionem stationis, ex qua die crastina regia et reginalis Mtates processiones inspicere habent et faciunt in b. m. per duos floren. 1. den. 63.

Eodem

Eodem die ad manus R. Mtis medio Joannis Lezneczky cubicularii Mtis suae missi sunt in b. m. p. d. fl 13.

Eodem Petro Kossyth de Zawada, Pribeco, qui e Thurcia ad Mtem regiam cum certa fama ex parte Caesaris Thurcorum profugerat, pro expensis jussu Suae Mtis dati sunt in b. m. p. d. fl. 4.

Eod. die ad manus Emerici Nagh, VM Ag. R. M. pro emendo 32. quartalia avenae equis Mtis suae dati sunt in b. m. p. d. fl. 8.

Eod. die Francisco Cyosso, a) lotori vestimentorum R. Mtis ad rationem servitiorum suorum datus est in bona moneta florenus unus.

Eod. die emere feci lucernas quatuor, et dedi ad manus Aprodianorum R. Mtis pro solempnitate vesperarum in castro Budensi coram Sua Mte in manibus eorundem arsuras, singulas lucernas per den. 33. cupreae monetae, computando, qui faciunt in bona moneta per duos den. 66.

Eod. die Aprodianis R. Mtis ad usum ipsorum dati sunt per duos den. 25.

Feria V. in festo sacratissimi Corporis Christi Stephano Maylad, dispensatori R. Mtis ad cons. coqu. Mtis suae dati sunt in b. m. p. d. fl. 25.

Eod. die Stanislao Belyna, disp. Dni N. L. Or. R. Pol. ad conservationem coquinae et equorum ejusdem dati sunt in b. m. per duos fl. 12.

Eod. die emere feci lucernas 12. et dedi ad manus Aprodianorum R. Mtis in castro ad solempnitatem missae et processionis ejusdem diei, singulas lucernas per den. 33 cupreae monetae computando, qui faciunt in b. m. p. d. fl. 1. den. 98.

---

a) Legi debet: Mosso.

Eodem d. emere feci rosas ad spargendum coram Sacramento et serta ad ornandum velum et reliquias in Castro existentes et ipso die in processione educi solitas pro den. cupreae monetae 100. qui faciunt in b. m. per duos florenum medium.

Eodem d. Nicolao Proznoczky, Cubiculario R. Mtis per Suam Mtem ad Dominos Bohemos pro gentibus ad defensionem Regni dandis in Bohemiam misso pro expensis dati sunt in cupreis monetis fl. 300. qui ad rationem bonae monetae d. c. p. u. b. c. faciunt fl 150.

Eodem d. Ruthenis Suae Mtis ad usum ipsorum dati sunt per duos fl. 5. et medius.

Eodem d. Joanni Horvath de Zedlak, et Nicolao Bylethfy Banis Jayczensibus ad rationem sallariorum suorum dati sunt fl. 8.

Eodem die Petro Was, adolescenti R. Mtis per suam Mtem ad occupandam Abbatiam de Kolos Monostra et manibus Domini Emerici Cybak consignandam misso jussu Mtis suae pro expensis dati sunt in bona moneta per duos flor. 25.

Eodem d. emere feci lucernas 4. et dedi ad manus Aprodianorum Suae Mtis pro vesperis in Capellam de castro, singulas lucernas per den. 33. cupreae mon. computando, faciunt in bona moneta per duos den. 66.

Eodem d. Georgio Kaydachy cubiculario R. Mtis dati sunt ad servitia per duos fl. 10.

Eod. die ad manus E. Nagh. VM. Ag. R. Mtis ad emendum 32. quartalia avenae equis Mtis suae et praebendariis ejusd. dati sunt in b. m. p. d. fl. 8.

Feria VI. proxima post festum s. Corp. Xsti Stephano Maylad, disp. R. M. ad cons. coq. Mtis suae dati sunt in b. m. per duos fl. 25.

Eod. die Stan. Belyna, disp. Dni N. L. or. R. Pol. ad cons. coq. et equorum ipsius dati sunt in bonis per duos fl. 12.

Eodem d. emere feci equis Turcalibus R. Mtis tria bona ligatoria frena panno subducta, et dedi ad manus Emerici Nagh, VM. Ag. S. Mtis singulum frenum per den. 70. in bona moneta et fac. flor. 2. den. 10.

Eodem d. emere feci de coreo a) carmasino pro tecis capitum falconum, accipitrum et aliarum avium Suae Mtis et dedi ad manus Clementis Zenthiwanyi cubicularii Sue Mtis in b. m. p. d. fl. 1.

Eodem d. Aprodianis R. Mtis ad usum ipsorum dati sunt per duos fl. 5. et medius.

Eodem d. emere feci de Czwcaro Venetiano libras 6. de cinamomo libram unam, et dedi ad manus Joannis Lezneczky cubicularii R. Mtis pro decoquenda aqua Mti Suae singulas libras Czwcari per florenos 4. cupreae mon. qui in b. m. d. c. p. u. c. faciunt florenos 4. b)

Eodem d. agazonibus et rectoribus curruum R. Mtis ac fabro tam Hungaris quam Alemannis ad usum ipsorum pro una septimana dati sunt in cupreis monetis fl. 66. qui in bonis per duos faciunt fl. 33.

Eodem die ad manus E. Nagh. VM. Agaz. R. Mtis ad emendum 32 quartalia avenae equis Suae Mtis dati sunt in bona moneta per duos fl. 8.

Eodem d. Ruthenis Suae Mtis ad usum ipsorum dati sunt per duos den. 25.

Sabato prox. post f. s. Corp. Christi Stephano Maylad Disp. R. M. ad cons. coq. S. M. dati sunt in b. m. per d. fl. 25.

Eodem d. Stanislao Belyna, disp. D. N. L. Or. R. Pol. dati sunt in b. m. p. d. fl. 12.

N 2

---

a) Sic, loco *corio*.

b) Haud bene computatum est.

Eodem d. ad manus E. Nagh, VM. Ag. R. Mtis ad emendum 32. qu. av. equis suae Mtis d. s. in b. m. p. duos fl. 8.

Eodem d. Aprodianis R. M. dati sunt ad usum ipsorum in b. m. per d. fl. 5 et medius.

Eod. d. emere feci unum vasculum cerevisiae pro ore R. Mtis et dedi ad manus Blasii a) viniferi Mtis suae in bona moneta per duos fl. 3. et medium.

Eodem d. ad manus Joannis Rutheni R. Mtis pro emendis scopis ad purgandas domos suae Mtis per duos den. 10.

Eodem d. Magnifico Dno Petro Perenyi Comiti Themessiensi ad rationem salarii sui dati sunt in monetis cupreis fl. 600. qui per duos computando faciunt in bona moneta fl. 300.

Eodem d. emere feci lucernas 4 et candelas baculares 8. ad capellam R. Mtis pro una septimana, ac oleum olivae ad lampadem in eadem capellam continue ardentem et dedi ad manus Magistri Alberti rectoris ejusdem Capellae singulas lucernas per den. 33. candelas vero per den. 5, cupreae monetae, qui faciunt in b. m. p. d. c. fl. 1. den. 91.

Eodem d. emere feci pro domibus R. Mtis ad unam septimanam lucernas 14. et candelas similiter 14. et dedi ad manus Laurentii Rutheni Mtis suae, singulas lucernas per den. 33. candelas vero per den. 10. cupreae mon. qui faciunt in b. m. d. c. p. u. b. c. fl. 3. den. 1.

Eodem d. Ruthenis R. Mtis dati sunt ad usum ipsorum per duos fl. 5. et medius.

Eodem d. duobus pauperibus R. Mtis ad usum ipsorum dati sunt per duos fl. 5 et medius.

Die Dominico prox. post f. Sacr. Corp. Xsti Steph. Maylad, disp. R. Mtis ad cons. coq. Mtis suae dati sunt in bonis per duos fl. 25.

---

a) *Nota Prayana.* Hic Blasius in Diplomate Ferd. I. anni 1537. dicitur Borhordo, Ludovici felicis memoriae vinophorus.

Eodem d. eidem Steph. Maylad Disp. R. Mtis pro emendis speciebus ad cons. coq. Mtis suae ad unam septimanam dati sunt in b. m. per duos fl. 5. et medius.

Eodem d. Stan. Belyna, disp. D. N. L. or. R. P. ad cons. coq. et equorum ejusdem d. s. in b. m. p. d. fl. 12.

Eodem d. Stephano Déesházy pro labore et precio 80 Saykarum, quas anno superiore de commissione R. Mtis in Sclavonia penes fluvium Zawa fieri fecerat, dati sunt in cupreis monetis fl. 200. qui ad rationem bonae monetae per duos computando faciunt fl. 100.

Eodem d. JosephoMarsoczky servitori nostro cum literis regie Mtis et nostris ad vocandos cusores monetarum, Budam, ad Wyssegrad misso pro expensis datus est in bonis flor. 1.

Eodem die Joanni Zerechen cubiculario R. Mtis ad R. D. Archiepiscopum Colocensem, per Mtem Suam, ut certam famam de exitu Caesaris Thurcorum suae Mti diceret, ad Varadinum Petri misso pro expensis et solutione curruum Kocsy dati sunt in moneta cuprea fl. 300. qui per duos computando, in bona moneta faciunt fl. 150.

Eodem d. Benedicto Rutheno R. M. ad servitium datus est per duos fl. 1.

Eodem d. Aprodianis R. Mtis ad usum ipsorum dati sunt per duos den. 25.

Eodem d. Magnifico Dno Petro Perenyi Comiti Themessiensi ad rationem sallarii sui dati sunt in nova bona moneta fl. 1000.

Eodem d. Dwhek aulico R. Mtis ad rationem servitiorum suos datus est per duos fl. 1.

Eodem d. Georgio Hyndy, Aulico R. Mtis ad rationem servitiorum suorum datus est in bona moneta per duos fl. 1.

Eodem d. ad manus E. Nagh, VM. Ag. R. M. ad emendum 32 qu av. equis suae Mtis et praebendariis ejusdem dati sunt in b. m. p. d. fl. 8.

Eodem d. emere feci unam ligaturam papyri pro scribendis literis et regestis in factis R. Mtis in bona moneta per duos fl. 2. et medius.

Feria II. prox. post f. s. C. X. Stephano Maylad, disp. R. M. ad cons. coq. M. suae dati sunt in b. m. p. d. fl. 25.

Eodem d. Stan. Belyna, disp. D. N. L. or. R. Pol. ad cons. coq. et equorum ejusdem d. s. in b. m. per d. fl. 12.

Eod. d. Ruthenis suae Mtis ad usum ipsorum dati sunt in bonis denarii 25.

Eodem d. emere feci unum vas vini pro ore Regiae Mtis et dedi ad manus Georgii Clavigeri suae M. pro florenis 50 cupr. mon. qui per duos ad rationem bonae mon. computando faciunt flor. 25.

Dno Valentino Thewrek aulae R. M. familiari ad rationem servitiorum suorum dati sunt in diversis terminis in moneta cuprea floreni 100 et 65. qui in b. m. d. c. p. u. b. c. faciunt fl. 82. et medium.

Eodem d. emere feci de cera rubea et de papyro et misi ad manus R. Mtis medio Nic. Rutheni suae Mtis den. 25.

Eodem d. subscriptis Aulicis R. Mtis de Possega ad rationem servitiorum suorum distributae sunt pecuniae in bona moneta per duos computando modo subscripto:

Petro Keglewith dati sunt	Fl. 4.	dn. 15½.
Mich Thewrek - -	do.	do.
Johanni Castellanffy -	do.	do.
Emerico Bradach -	do.	do.
Ladislao Ewrdewg -	do.	do.
Johanni Thompyth -	do.	do.

Eod. d. ad manus E. Nagh VM. Ag. R. M. ad emendum 32. qu. av. equis s. M. in bona moneta dati sunt per duos fl. 8.

Eodem d. Mathiae Wyfalussy, Capitaneo Huszarorum R. Dni AEppi Strigoniensis, quem Archi Eppus Colocensis de Waradino Petri cum

Wkan, Wok, et Brwya transfugis ad R. Mtem propterea miserat, ut Mtas Sua conatum et apparatum Caesaris Thurcorum ab eis intelligeret, remisso cum eisdem transfugis dati sunt in moneta cuprea pro expensis floreni 25. qui faciunt in bona moneta fl. 12. et medium.

Eodem d. emere feci de Scarlatho ulnas 5 cum media, et dedi jussu R. Mtis eidem Mathiae Wyfalwssy pro remuneratione, singulas ulnas per fl. 5. antiquae monetae, computando faciunt fl. 27. et medium.

Eodem d. praefatis Wkan, Wok et Brwya transfugis remissis ad Dominum Golocensem, pro expensis dati sunt in moneta cuprea fl. 25. qui in bona moneta d. c. p. u. b. comp. faciunt fl. 12. et medium.

Eodem d. Aprodianis R. Mtis ad usum ipsorum dati sunt per duos denarii 25.

Eod. d. Radyth, Bossyth, Paulo Bakych, Capitaneis mille Nazadistarum R. Mtis in Waradino Petri servientium ad rationem servitiorum suorum missi sunt in cupreis monetis medio Johannis Szerechen tria millia centum et 50. floreni, qui in b. m. d. c. p. u. b. c. faciunt fl. 1575.

Eodem d. Sebastiano Fodor et Andreae Nagh, ac Simoni Capwth, nautis, qui de Wyssegrad una cum rebus cusores Monetarum huc Budam de voluntate R. Mtis deduxerunt, pro laboribus ipsorum dati sunt in bona moneta per duos fl. 3.

Eodem die Johanni Hobordanecz Aulico R. Mtis Huzaroni ad rationem servitiorum suorum deservitorum dati sunt per duos fl. 2.

Feria III. prox. post f. S. C. X. Stephano Maylad Disp. R. M. ad cons. coq. M. suae dati sunt in b. m. p. d. fl. 25.

Eodem die Georgio Kaydachy, Cubiculario R. M. per suam Mtem in Transsilvaniam ad Saxones in certis secretis negotiis suae Mtis

misso pro expensis et solutione curruum Kochy dati sunt in bona moneta fl. 127. et medius.

Eodem d. Stan. Belyna disp. Dni N. Lvpchich, or. R. Pol. dati sunt in b. m. per d. flor. 12.

Eodem die spectabili et magnifico Dno Stephano de Bathor regni Hung. Palatino ad rationem sallarii sui dati sunt in cupreis monetis 1350 fl. qui in b. m. d. c. p. u. b. c. faciunt fl 675.

Eodem d. agazonibus et vectoribus curruum R. Mtis tam Hungaris quam Alemannis, nec non procuratoribus equorum velocium, fabris et politoribus armorum M. R. ad medium annum soluti sunt medio Marci Horwath magistri stabuli S. Mtis in cuprea mon. 500. et 76 qui ad rationem bonae monetae, d. c. p. u. b. c. faciunt fl. 288.

Eodem d. ad manus E. Nagh. VM. Ag. R. Mtis ad emendum 32. quartalia av. equis S. M. et praebendariis ejusdem dati sunt in b. m. p. d. fl. 8.

Eod. die Vitali literato servitori nostro, cum literis R. M. ad cameras Zempnicensem et Bisztricziensem et alias montanas superiores pro perlustrandis et revidendis Statibus earundem Camerarum, ac requirendo cupro dissipato atque abscondito misso pro expensis et solutione curruum Kochi dati sunt in cuprea moneta fl. 50. qui per duos computando faciunt flor. 25.

Eodem d. emere feci de panno Prokanes pecias duas, singulas pecias per fl. 20. et de panno Nerembergensi longo pecias tres, singulas pecias per flor. 12. bonae monetae et dedi spect. et Magnifico Dno Stephano de Bathor ad rationem sallarii sui et faciunt flor. 76.

Eodem d. Demetrio de Azzonfalva, adolescenti Regie Mtis ad rationem servitiorum suorum datus est per duos fl. 1.

Eodem d. Francisco Mosso lotori vestimentorum Regie Mts ad servitia datus est per duos fl. 1.

Feria 4. prox. post f. s. C. X. Stephano Maylad disp. R. ad cons. coq. R. M. dati sunt in bonis per duos fl. 25.

Eodem d. Stan. Belyna disp. D. N. L. Orat. R. P. ad cons. coq. et equi ejusdem dati sunt per duos fl. 12.

Eodem d. Benedicto Kewmyes Capitaneo 100 peditum noviter conductorum ad Themeswar ad solutionem eorundem dati sunt in nova bona mon. fl 300.

Eodem d. eidem Benedicto Kewmyes ad solutionem eorundem peditum dati sunt in cuprea moneta fl. 700 qui ad rationem bonae moneta d. c. p. u. b. c. faciunt fl. 350.

Eodem d. emere feci de Thafotha roseacea ulnas 42. et dedi eidem Benedicto Kewmyes Capitaneo pro faciendis duobus vexillis singulas ulnas per denarios 30 computando faciunt in bona moneta per duos fl. 12. den. 60.

Eodem d. emere feci de pulveribus pyxidum barbatarum centenaria tria, singulum centenarium per fl. 14 bonae monetae, de pulveribus pyxidum manualium centenarium unum per fl. 25. similiter bonae monetae, duas cupreas pro una bona computando et dedi ad manus Johannis literati de Lyppa, servitoris Dni AEppi Colocensis pro defensione castri Waradino Petri, qui simul positi faciunt in b. m. per duos fl. 70.

Eodem d. Ruthenis R. Mtis ad usum ipsorum dati sunt per duos den. 25.

Eodem d. Petro Fekethe, servitori Johannis Kallay aulae Regiae familiaris, qui pro impetrandis servitiis Domini sui apud suam Mtem laborat, ut expectet relationem pro expensis dati sunt in bona moneta per duos fl. 2.

Eodem d. Magnifico Dno Sigismundo Bánffy Aulae R. Mtis familiari ad rationem servitiorum

suorum dati sunt in moneta cuprea fl. 25 qui in bona moneta per duos faciunt fl. 13. et medium.

Eodem d. universis cocis et servitoribus eorundem cocorum R. Mtis pro praebenda eorum vinali, ex quo vinum praebendum defecerat, dati sunt per duos d. 60.

Eodem d. Josepho Marsoczky servitori nostro cum literis R. Mtis et nostris una cum servitore Dni Baronis in certis negotiis Viennam misso pro expensis dati sunt per duos fl. 3.

Eodem d. ad manus Regie Mtis medio Johannis Lezneczky cubicularii suae Mtis missi sunt in moneta cuprea fl. 10 faciunt per duos fl. 5.

Eodem d. ad manus Emerici Nagh V. M. Ag. R. Mtis ad emendum 35 quartalia avenae equis S. M. ex quo plures equi Mti suae sunt aducti, dati sunt in b. m. p. d. fl. 8 den. 75.

Feria V. in octava Corp. Xsti Stephano Maylad, disp. R. M. ad cons. coq. M. suae dati sunt in bonis per duos fl. 25.

Eodem d. Stan. Belyna disp. N. L. O. R. Pol. ad cons. coq. et equorum ejusdem dati sunt in bonis per duos fl. 12.

Eodem d. ad manus Emer. Nagh. VM. Ag. R. Mtis ad solutionem Magistrorum curriparorum Budensium et Pesthiensium, qui suae Mti ad apparatum praesentis expeditionis contra Thurcos certos currus facere habuerunt, dati sunt in moneta cuprea fl. 90. qui per duos computando faciunt in b. m. fl. 45.

Eodem. d. Ruthenis Mtis ad usum ipsorum dati sunt per duos den. 25.

Eodem d. Johanni Polyak servitori nostro cum literis R. M. super inquirendo et investigando cupro abscondito confectis Bisztricziam misso pro expensis dati sunt per duos fl. 6.

Eodem d. Michaeli Koppany, Servitori Dni Colocensis, qui ad R. Mtem pro impetrando Salario antiquo Domini sui venerat, ut expectet relationem pro expensis dati sunt per duos fl. 2.

Eodem d. ad manus Philippi Waywodycz dapiferi R. Mtis pro emendis certis coloribus Mti Suae dati sunt in b. m. fl. 1. et medius.

Eodem d. Spect et Magn. Dno Stephano de Bathor Regni Hung. Palatino ad rationem salarii sui in moneta cuprea dati sunt mille et 500 fl. qui in b. m. d. c. p. u. b. c. faciunt fl. 750.

Eodem d. ad manus E. Nagh VM. Ag. Reg. Mtis ad emendum 35 quartalia avenae equis suae Mtis praebendariis ejusdem dati sunt in b. m. per duos fl. 8. den. 75.

Eodem d. Paulychkoni aulico Huzaroni R. Mtis ad rationem servitiorum suorum dati sunt in bona moneta per duos fl. 6.

Eodem d. subscriptis aulicis Mtis de Possega ad Jayczam servientibus ad rationem servitorum suorum distributae sunt pecuniae in bona moneta per duos modo subscripto.

Petro Keglewith	fl. 2.	den. 8.
Mich. Thewrek	do.	do.
Lad. Ewrdewg	do.	do.
Emer. Bradath	do.	do.
Johanni Thompisth	do.	do.
Joh. Castellanffy	do.	do.
Joh. Zempthey	do.	do.
Joh. Hobordanecz	do.	do.
Thomae Orbay	do.	do.
Georg. Bylethfy	do.	do.
Georg. Jakossyth	do.	do.
Ladisl. Orbay	do.	do.

Feria VI. prox. post festum B. Barnabae Apost. Steph. Maylad disp. R. Mtis ad cons. coq. S M. dati sunt per duos fl. 25.

Eodem d. Stan. Belyna, Disp D. N. L. Or. R. Pol. ad cons. coq. et equorum suorum dati sunt per duos fl. 12.

Eodem d. Agazonibus et vectoribus currum R. M. tum Hungaris quam Alemannis ac fabro ad usum ipsorum pro una septimana dati sunt in b. m. p. d. fl. 33.

Eodem d. Joanni Ponyth servitori R. Dni Eppi Olomucensis per eundem D. Eppum cum literis ad R. M. misso, ut expectet relationem, pro expensis dati sunt der duos fl. 2.

Eodem d. universis Cocis R. M. pro praehenda eorum vinali dati sunt per duos den. 60.

Eodem d. emere feci pro domibus R. Mtis ad unam septimanam lucernas 14. et candelas similiter 14. et dedi ad manus Laurentii Rutheni M. Suae, quae faciunt in bona moneta per duos fl. 3. den. 1.

Eodem d. Aprodianis R. Mtis ad usum ipsorum dati sunt per duos den. 25.

Eodem d. pro reformatione certarum sellarum R. Mtis soluti sunt medio Emer. Nagh VM. Agaz. Suae Mtis in b. m. p. d. fl. 2.

Eodem d. Spect. et Magn. Dno Stephano de Bathor, Regni Hung. Palatino, ad rationem Sallarii sui dati sunt in moneta cuprea fl. 200 qui in b. m. faciunt fl. 100.

Eodem d. Ruthenis R. Mtis ad usum ipsorum sunt per duos den. 25.

Eodem d. emere feci cultellos Pragenses vagenis tribus et dedi ad manus Johannis Lezneczky cubicularii R. Mtis pro usu mensae S. M. in bona moneta per duos den. 48.

Eodem d. Johanni Balaythy, servitori nostro cum novem millibus florenorum pro solutione gentium per Dominum Baronem in Moravia conductarum ad Magyarbrod misso pro expensis et solutione trium curruum Kochy dati sunt in b. m. d. c. p. u. b. c. fl. 72 et medius.

Eodem d. hospiti Dni Nicolai Lypchich oratoris sereniss. Principis Dni Sigismundi Regis Pol. pro stabulo hospitalitate et aliis parvalibus rebus soluti sunt in b. m. per duos fl. 16.

Eodem d. Valentino Thewrek aulae R. M. familiari ad rationem servitiorum suorum in moneta cuprea dati sunt floreni mille et 500 quae

ad rationem bonae monetae duas cupreas p. u. b. c. faciunt fl. 7. et medium a)

Eodem d. eidem Val. Thewrek in antiqua et bona moneta ad rationem servitiorum suorum dati sunt fl. 200.

Eodem d. Mago. Dno Johanni Dragfy ad rationem sallarii sui dati sunt in moneta cuprea fl. 100 qui in b. m. per duos computando faciunt fl. 50.

Eodem d. ad manus E. Nagh, VMagistri Ag. R. M. pro emendis 35 qu. av. equis S. Mtis et praebendariis ejusdem dati sunt in b. m. p. d. fl. 8 den. 75.

Eodem d. Demetrio Literato de Azzonfalva adolescenti R. Mtis ad servitia datus in bonis per duos fl. 1.

Eodem d. Nicolao Hyeranth, Polono, cubiculario R. Mtis in patriam redeunti ad rationem servitiorum suorum dati sunt in mon. cupreis fl. 200 et 50 qui ad rationem bonae monetae per duos faciunt fl. 125.

Eodem d. Benedicto Rutheno R. M. ad servitia datus est per duos fl. 1.

Eodem d. Aprodianis R. M. ad usum ipsorum dati sunt per duos den. 25.

Eodem d. Magistris Cocis et servitoribus eorundem pro praebenda eorum vinali dati sunt per duos den. 60.

Eodem d. Ruthenis R. Mtis dati sunt per duos den. 50.

Eodem d. R. D. Paulo de Warda, Eppo Agriensi, pro debitis suis per eum tempore offcrii sui Thesaurariatus ad facta R. Mtis confitactis in moneta cuprea dati sunt fl. 300 qui ad rationem bonae monetae d. c. p. u. b. c. faciunt fl. 150.

---

a) Error in Calculo. Videntur fuisse fl. 15. in cuprea moneta.

Eod. d. duobus pauperibus R. Mtis ad usum ipsorum dati sunt per duos den. 25.

Eod. d. Michaeli Thewrek Aulae Regiae familiari ad rationem servitiorum suorum dati sunt per duos fl. 5.

Eodem d. Alexio Chaaky, aulico R. Mtis Huzaroni ad rationem servitiorum suorum dati sunt per duos fl. 3.

Eodem d. ad manus E. Nagh, VM. Ag. R. M. pro emendis 36. qu. av. equis S. Mtis et praebendariis ejusdem, ex quo M. suae plures equos dono duxerant, dati sunt in b. m. per duos fl. 9.

Feria II. in festo B. Barnabae Apostoli Stephano Maylad dispensatori R. Mtis ad cons. coq. S. Mtis dati sunt per duos fl. 25.

Eodem d. Magistris Cocis R. Mtis pro praebenda eorum vinali dati sunt per duos den. 60.

Eodem d. utrisque Aprodianis R. M. ad usum ipsorum dati sunt per duos den. 60.

Eodem d. Petro Zalay et Valentino Lwkarith, Jayczensibus, qui per Thurcos capti et taxati ad R. Mtem pro subsidio redemptionis ipsorum venerunt, ut expectent relationem, pro expensis dati sunt in b. m. per duos fl. 4

Eodem d. Mag. Dno Sigismundo Banffy, aulae R. Mtis familiari, ad rationem servitiorum suorum dati sunt in cupreis mille et 200 flor. qui ad rationem bonae monetae d. c. p. u. b. c. faciunt fl. 600.

Eodem d. ad manus E. Nagh, VM Ag. R. Mtis pro emendo ferro ad sufferrationem curruum et equorum S. M. dati sunt per duos in bonis fl. 38.

Eodem d. Johanni Chwrzo, nuncio Spect. et Mag. Domini Waywodae Moldaviensis, qui venerat ad R. Mtem cum certis novitatibus ex parte Thurcorum ad usum mensae et equorum suorum dati sunt in diversis terminis in cu-

preis monetis fl. 32. qui in bona per duos faciunt fl. 16.

Eodem d. emere feci unam ligaturam papiri, pro scribendis literis et registris in factis R. M. in bonis per duos fl. 1. den. 25.

Eodem d. Johanni Fytchor, servitori nostro cum literis R. Mtis ad Capitulum Wesprimiense et Albense pro exigenda illa pecuniarum summa, quam eisdem Regia Mtas in praesenti necessitate solvendam imposuerat, et Magnifico Dno Sigismundo Banffy ad rationem servitiorum suorum deputaverat, cum ipso Dno Sigismundo Banffy misso pro expensis et solutione Kochy dati sunt in cupreis monetis fl. 25. qui in bona moneta per duos faciunt fl. 12. et medium.

Eodem d. Dno Johanni Statilio Praeposito Budensi cum literis R. Mtis ad Spect. et M. Dnum Georgium Comitem Scepusiensem, per suam M. misso, pro expensis et solutione curruum Kochy dati sunt in cupreis monetis fl. 75. qui in bonis per duos computando faciunt fl. 37. et medium.

Eodem d. ad manus E. Nagh, VM. Ag. R. M. pro emendis 36 q. a. equis S. M. et praebendariis ejusdem dati sunt in bonis per duosfl. 9.

Feria III. prox. post festum B. Barnabae Apost. Stephano Maylad Disp. R. M. ad cons. coq. M. S. dati sunt in bonis per duos fl. 25.

Eodem d. Lucae currifero Kochy, qui Matthaeum Pothony et Urbanum Soos visores salium Déesiensium, quos M. Regia propterea vocari huc Budam fecerat, ut experirentur, utrum in Possega sales, prout M. suae dictum erat, reperirentur, et essent, nec ne? ad Possegam duxit et reduxit, pro mercede dati sunt in bonis per duos flor. 25.

Eodem d. Gywra Servitori Ladislai Orbay, cum ipsis visoribus salium, ut comes itineris esset, et loca in quibus sales esse diceb.n-

tur, ostenderet, misso pro expensis suis et ipsorum visorum salium dati sunt in bonis monetis fl. 12. et medius.

Eodem d. Aprodianis R. M. ad usum ipsorum dati sunt per duos den. 60.

Eodem d. Thomae Nádasdy, Secretario R. Mtis cum literis Mtis suae ad illustrissimum Principem Dominum Ferdinandum ADucem Austriae et alios principes Imperii misso pro solutione kochi dati sunt in cupreis floreni 50. qui per duos computando faciunt fl. 25.

Eodem d. Valentino Chuthan Servitori reginalis Mtis cum literis R. Mtis ad Bohemiam pro sollicitanda missione gentium misso, pro expensis et solutione Kochy usque ad Wiennam, et ex quo Wiennae tandem equum emere debebit, dati sunt in cupreis fl. 75 qui per duos computati faciunt in bonis fl. 37 et medium.

Eodem die Magistris cocis R. Mtis pro praebenda eorum vinali dati sunt per duos denarii 60.

Eodem d. ad manus R. Mtis medio Johannis Lezneczky cubicularii S. M. missi sunt in b. m. d. c. p. u. b. c. flor 100.

Eod. d. universis Ruthenis R. Mtis pro subsidio dati sunt jussu S. M. in bona m. per duos fl. 10.

Eodem d. Mag. Domino Johanni Baroni Burgii, pro illis 64 fl. cupreae monetae, quos Balthassari Capitaneo pro conducendis peditibus in Moraviam misso pro expensis dederat, soluti sunt per duos ad rationem bonae monetae fl. 32.

Eodem d. Urieli de Koztholyan, Servitori Dni Nicolai Thwroczy personalis praesentiae R. M. cum literis S. M. super eo, ut ad festum visitationis B. V. Mariae ad Tholnam convenirent, conscriptis ad Comitatum Barsiensem, Trinchiniensem Thwroz Lypto et Arwa misso

pro

pro expensis dati sunt in m. c. flor. 24. qui in bonis faciunt fl. 12.

Eodem d. Nicolao Erdely, servitori Alberti Boltsa cum literis R. M. in eandem sententiam confectis ad Abbates Sexardiensem et de Batha misso pro expensis dati sunt per duos fl. 5.

Eodem d. Spect. et M. Dno Steph. de Bathor regni Hung. Palatino ad rationem Sallarii sui medio Emerici Nagh Vice Palatini a) dati sunt in monetis cupreis fl. 200. qui in b. m. d. c. p. u. b. c. faciunt fl. 100.

Eodem d. Georgio Nagh, Capitaneo 100. peditum Klissiensium, qui ad R. Mtem pro impetrando stipendio ipsorum peditum venerat, ut expectet relationem pro exp. dati sunt in bonis per duos fl. 4.

Eodem d. Petro Warday cubiculario R. M. ad rationem servitiorum suorum per duos flor. 3.

Eodem d. Dwhek Aulico R. M. ad servitia dati sunt p. d. fl. 2.

Eodem d. Georgio Hyndy Aulico R. M. ad servitia datus est p. d. fl. 1.

Eodem d. ad manus E. Nagh, VM. Agaz. R. M. ad emendum 35. q. a. equis suae M. et praebendariis ejusdem dati sunt in bonis per duos fl. 9.

Feria IV. prox. post f. b. Barnabae Ap. Steph. Maylad disp. R. M. ad cons. coq. S. M. dati sunt in cupreis fl. 50. qui faciunt ad rationem bonae monetae per duos fl. 25.

Eodem d. Sigismundo Nagh, familiari nostro Wiennam pro adducendo argento, pannis et aliis rebus ad solutionem curialium R. Mtis et finitima castra tenenda necessariis cum duo-

a) *Nota Prayana.* Itaque videtur Emericus Nagy duos Magistratus gessisse, aut utrumque cognominem fuisse.

bus Kochy misso, pro exp. et solutione eorundem Kochy dati sunt in cupreis monetis, ex quo aliquamdiu ibi tardare debebit, fl. 100. et 48. qui faciunt ad rationem bonae monetae per duos fl. 74.

Eodem d. Sigism. Nagh pro expendendis viaticis et mercede nautarum, qui pannum et alias res de Wienna Budam duxerunt, dati sunt in moneta bona fl. 41.

Eodem d. tempore pro una nave, qua de Wienna praescriptae res Budam sunt deductae, soluti sunt in b. m. fl. 12.

Eodem tempore ad manus reginalis Mtis per Sigism. Nagh medio Christophori Kraytzer missi sunt in monetis cupreis 3000 sexingenti et 72 floreni, qui ad rationem bonae monetae d. c. p. u. b. c. faciunt fl. 1836.

Eodem d. ad manus Magistri Jacobi Sartoris R. M. pro vestitura propriae personae S. M. dati sunt per Sigism. Nagh in cupr. monetis 100 et 44 fl. qui in bona moneta per duas cupreas computando faciunt fl. 72.

Eodem ad manus R. M. medio Joh. Lezneczky Cubicularii S. Maj. missi sunt in b. m. flor. 10.

Eodem d. Mag. Domino Petro Perenyi, Comiti Themessiensi ad rationem sallarii sui medio Joh. Dorozlay dati sunt in antiquis monetis fl. 500.

Eodem d. Magistris Cocis pro praebenda ipsorum vinali dati sunt per duos den. 60.

Eodem d. Aprodianis R. M. ad usum ipsorum dati sunt per duos den. 25.

Eodem d. 12. Ruthenis S. M. ad usum ipsorum dati sunt in bonis per duos fl. 2.

Eodem d. ad manus E. Nagh VM. Ag. R. M. ad emendum 39 qu. a. equis S. M. et pr. e. dati sunt per duos fl. 9.

Feria V. prox. ante festum beatorum Viti et Modesti M. M. Stephano Maylad disp. R. M. ad cons. coq. S. M. dati sunt per duos floreni 25.

Eodem d. ad manus Demetrii Dauch Cubicularii S. M. pro emendis funibus claviculis et aliis attinentiis ad tentoria S. M. necessariis dati sunt in bona moneta per duos fl. 10.

Eodem d. Magistris Cocis R. M. pro praebenda ipsorum vinali dati sunt per duos den. 60.

Eodem d. Aprodianis R. M. ad usum ipsorum d. s. p. d. den. 25.

Eodem d. emere feci unum frenum deauratum pro equo Thurcali R. M. in cupreis mon. florenis 8. et dedi ad manus E. Nagh VM. Ag. R. M. facit in b. m. per duos fl. 4.

Eodem d. Francisco Mosso, lotori vestimentorum R. M. ad rationem servitiorum suorum datus est per duos fl. 1.

Eod. d. Joanni Comiti de Hardek, aulae R. M. Familiari per M. suam pro emendis armis, et aliis apparatibus bellicis Viennam misso, dati sunt in monetis cupreis duo millia et 100 floreni, qui ad rationem b. m. d. c. p. u. b. c. faciunt fl. 1050.

Eodem d. Timotheo politori Armorum R. M. ad rationem servitiorum suorum dati sunt per duos fl. 150

Eodem. d. Alexio Chaaky aulico Huzaroni R. Mtis ad rationem servitiorum suorum dati sunt per duos fl. 2.

Eodem d. 300 peditibus Jayczensibus medio Martini Lwkarith Vaywodae, Sywko judicis, Valentini Kormos, Capitanei Matthaei Okropowyth, Juran Bylochich, Jacobi Storhyth, Istepan, Matthaei et Joan Zavahora nunciorum ipsorum peditum Jayczensium ad rationem stipendiorum eorundem peditum soluti sunt in bonis monetis fl. 900.

Eodem d. eisdem Martino Lukarith Vaywodae, Sywko, Valentino Kormos et aliis eorundem sociis remissis cum solutione pro viaticis et ad conducendum currus, quibus tam ipsimet Jayczam intrare, quam pannos ad stipendium praefatorum Jayczensium datos intro-

ducere possunt, dati sunt in cupreis monetis floreni 100 et 50 qui faciunt in b. m. per duos flor. 75.

Eisdem Martino Lwkarith Wayvodae, Sywko, Valentino Kormos et aliis sociis eorum pro illis expensis, quas iidem tempore officii Thesaurariatus Joannis Doczy divenditis equis et mutuis contractis a festo OO. SS. usque festum S. Trinitatis hic Budae stando et solutionem expectando fecissent, jussu R. M. soluti sunt in cupreis monetis 600 fl. qui in b. m. d. c. p. n. b. c. faciunt fl. 300.

Eisdem Mart. Lwkarith Waywodae, Sywko et aliis sociis eorundem a praescripto festo S. Trin. ut expectarent solutionem, dati sunt in diversis terminis pro expensis in b. m. per duos flor. 52.

Eodem d. Nicolao Somogy et Sigismundo Aprodianis S. M. pro emendis calceis dati sunt per duos den. 32.

Eodem d. emere feci unum vas vini pro ore R. Mtis et dedi ad manus Georgii Clavigeri M. S. pro fl. 50. qui in b. m. per duos faciunt flor. 25.

Eodem d. ad manus E. Nagh VM. Ag. R. M. ad emendum 36 qu. a. equis S. M. et p. e. dati sunt in bonis per duos fl. 9.

Feria VI. in festo b. Viti et Modesti MM. Stephano Maylad disp. R. M. ad cons. coq. S. M. dati sunt in bonis per duos fl. 25.

Eodem d. Johanni Wankony, adolescenti R. M. per M. suam ad Moraviam pro adducendis equis armigeris misso dati sunt in b. m. per duos fl. 25.

Eodem die subscriptis Aulicis R. M. distributae sunt pecuniae per duos ad rationem servitiorum ipsorum modo subscripto

Petro Markos dati sunt fl. 3. den. 20.
Petro Keglewith - - -
Joh. Castellanffy - - -

Mich. Thewrek dati sunt fl. 3. den. 20.
Emer. Bradach - - -
Joh. Tompyth - - -
Ladisl. Ewrdewgh - - -
Thomae Orbay - - -
Joanni Zempchey - - -

Eodem d. Dno Andreae Episcopo Tininiensi ad rationem servitiorum suorum dati sunt per duos fl. 3. den. 20.

Eodem d. Hannibali Carthaginensi, qui cum pecuniis summi Pontificis in Moraviam pro conducendis gentibus ad regni defensionem per Dnum Baronem ad Magyarbrod missus fuerat, pro solutione trium curruum Kochy, et expensis Blasii Aczél et aliorum servitorum nostrorum, qui ipsum Hannibalem comitati fuerant, dati sunt in b. m. per duos fl. 78.

Eodem d. Joanni Thomych, Aulico R. M. Huzaroni et alteri Johanni Literato Servitori nostro ad Cives Strigonienses pro petendis illis 1000 fl. quos Sua M. ipsis Civibus Strigoniensibus solvendos imposuerat, et aulicis Huzaronibus ad Jayczam sub Capitaneatu Petri Markos servientibus deputaverat, cum literis M. suae missis pro exp. et solutione currus Kochy dati sunt in b. m. per duos fl. 9.

Eodem d. Georgio Bradach aulae R. M. familiari et Dionysio Literato, Servitori nostro ad Albam regalem pro illis tribus millibus fl. quos M. regia ipsis civibus Albensibus imposuerat, et praefatis Huzaronibus aulicis deputaverat, cum literis M. suae missis pro exp. et solutione currus Kochy dati sunt in b. m. per duos fl. 10.

Eodem d. Nicolao literato de Rahotza, servitori nostro cum literis R. M. super eo, ut ad festum visitationis Mariae ad Tholnam convenirent, confectis ad Abbatem Pechwaradiensem, Capitulum Quinqueeclesiense, Comitatum de Baranya, Abbatem Symigiensem, Laurentium

Banffy, Valentinum Thewrek et relictam condam Dominam Emerici de Pereny Palatini misso pro exp. dati sunt in b. m. per duos flor. 12.

Eodem d. Johanni Atzél Servitori nostro cum literis R. Mtis super ordinandis et mittendis gentibus confectis ad Civitates Cassoviensem, Eperyes, Barthffa, Kisszybinecz, Lewchoviam misso pro exp. et sol. currus Kochy dati sunt per duos fl. 12. et medius.

Eodem die Magistris Cocis R. M. pro praebenda eorum vinali dati sunt per duos denarii 60.

Eodem d. Aprodianis R. M. ad usum ipsorum dati sunt per duos den. 25.

Eodem die Agazonibus et vectoribus curruum R. Mtis tam Hungaris quam Alemannis ad usum ipsorum ebdomadalem, ex quo duas cupreas pro una bona recipere noluerunt, sed tres cupreas sibi dari postulaverunt, dati sunt jussu R. Mtis per tres pro 33 florenis antiquae monetae in cupreis 99 fl. qui ad rationem bonae monetae d c. p. u. b. c. faciunt floren. 49. et medium.

Eodem d. Paulichkoni aulico Huzaroni R. Mtis ad rationem servitiorum suorum dati sunt in bonis per duos fl. 18.

Eod. d. Stephano Besseney adolescenti R. M. ad servitia datus est fl. 1.

Eod. d. Barthwsko cubiculario R. Mtis ad servitia dati sunt per duos fl. 3.

Eodem d. Demetrio Literato de Azzonfalva adolescenti R. Mtis ad servitia per duos dedi floren. 1.

Eodem d. ad manus E. Nagy VM. Ag. R. M. ad emendum 36 qu. av. equis S. M. et p. e. dati sunt in b. m. per duos fl. 9.

Sabbatho prox. post festum beatorum Viti et Modesti Martyrum Stephano Maylad, disp.

R. M. ad cons. coq. Suae M. dati sunt per duos floreni 25.

Eodem d. Domino Emerico Bebek, Praeposito S. Nicolai Albensi, Secretario R. Mtis ad Dnum Stephanum de Bathor Regni Hung. Palatinum, Ladislaum More, pincernarum Regalium Magistrum, Episcopum Quinqueecclesiensem, Abbates Pechwaradiensem et Sexardiensem propterea, quod cum omnibus gentibus ad R. D. AEppum Colocensem pro defensione partium inferiorum et wadi descenderent, in legatione misso pro exp. et solutione curruum kochy dati sunt in cupreis monetis centum et 84 fl. qui in b. m. d. c. p. u. b. c. faciunt fl. 92.

Eodem d. Magistris Cocis R. M. ad usum ipsorum dati sunt per duos den. 60.

Eodem d. Aprodianis R. Mtis ad usum ipsorum dati sunt per duos den. 25.

Eodem d. Johanni Zerechen, cubiculario R. M. ad D. AEppum Strigoniensem in certis secretis negotiis S. M. in legatione Strigonium misso, pro exp. et solutione curruum Kochy dati sunt in b. m. p. d. fl. 16.

Eodem d. emere feci de pulveribus pyxidum barbatarum centenarium unum pro fl. 15. bonae monetae, et de pulveribus pyxidum manualium centenarium medium similiter pro fl. 15. ejusdem m. b. item pyxides barbatas decem et septem singulas per 3 fl. in b. m. pro fl. 51 et de globis ferreis mille pro fl. 6. ac pyxides manuales 6 per fl. 12. similiter in b. m. et dedi ad manus Michaelis Kwnowyth castellani castri Baska ad defensionem et conservationem ejusdem castri, qui simul computati faciunt fl. 99.

Eodem d. Nic. Byletffy et Joh. Horvath de Zedlak, Banis Jayczensibus ad rationem Sallariorum dati sunt in cuprea moneta tria millia florenorum, qui ad rationem b. m. d. c. p. u. b. c. faciunt fl. 1500.

Eodem d. ad manus Georgii Nagh et Benedicti Farnady Capitaneorum 100 et 50 peditum noviter ad Klyssium conductorum dedi de thafotha Rasciana a) ulnas 40. pro faciendis vexillis singulas ulnas per den. 70. cupreae monetae qui ad rationem b. m. d. c. p. u. b. c. faciunt floren. 28.

Eodem d. emere feci de pulveribus pyxidum manualium centenarium unum pro fl. 30 b. m. duas pro una bona computando, et de plumbo similiter centenarium unum per fl. 10 et dedi ad manus praescriptorum Georgii Nagh et Benedicti Farnady Capitaneorum dictorum 100 et 50 peditum et faciunt in bonis per duos fl. 40.

Eodem d. Joanni Lezneczky cubiculario R. M. in Poloniam, patriam scilicet suam, redeunti dati sunt jussu R. Mtis pro expensis in cupreis fl. 100. qui faciunt in bonis per duos fl. 50.

Eodem d. ad manus Reginalis Mtis medio Joannis Hanyka, cubicularii S. M. missi sunt in cupreis monetis 300. qui ad rationem b. m. d. c. p. u. b. c. faciunt fl. 150.

Eodem d. Paulo Csech Capitaneo 100 peditum noviter ad Jayczam conductorum ad unum Quartale anni ad rationem stipendii eorundem peditum dati sunt in c. m. fl. 900. qui in b. m. d. c. p. u. b. c. faciunt fl. 450.

Eodem d. Joanni Oztrosyth provisori Jayczensi ad rationem sallarii sui dati sunt in cupreis fl. 300 qui faciunt in bonis per duos fl. 150.

Eodem d. Petro Krwssyth Castellano Castri Klyssiensis ad rationem salarii sui dati sunt in cupreis fl. 300. qui f. in b. p. d. fl. 150.

Eodem d. emere feci ad capellam R. M. ad unam septimanam lucernas 4 et candelas baculares 8. et oleum olivae ad eandem Capellam

---

a) Sic. Puto legi debere ut supra roseacea.

et dedi ad manus magistri Alberti Rectoris ejusdem capellae pro fl. 1. et 91.

Eodem d. emere feci pro domibus R. M. ad unam septimanam lucernas 14. et candelas similiter 14. et dedi ad manus Laurentii Rutheni S. M. florenis 3 den. 1.

Eodem d. Laurentio Polyak, Vincentio, Johanni Tubicinibus et alteri Johanni timpanistae ad rationem servitiorum suorum dati sunt per duos fl. 5.

Eodem d. ad manus Em. Nagh VM. Ag. R. M. ad emendum 36. qu. av. equis suae Mtis et p. e. dati sunt in bonis per duos fl. 9.

Die Dominico prox. post f. b. Viti et Modesti MM. Stephano Maylad Disp. R. M. ad coquinam suae M. dati sunt per duos fl. 25.

Eodem die eidem Stephano Maylad pro emendis speciebus ad cons. coq. S. M. dati sunt in bonis per duos fl. 50.

Eodem d. Magistris Cocis R. M. ad usum ipsorum pro praebenda dati sunt per duos den. 60.

Eodem d. utrisque Aprodianis R. M. ad usum ipsorum dati sunt per duos den. 60.

Eodem d. Emerico Kalnay Secretario R. M. ad R. D. AEppum Strigoniensem per suam Mtem cum literis misso pro exp. et sol. curruum Kochy dati sunt in b. per d. fl. 12 et medius.

Eodem d. Stephano de Naghlak, servitori nostro, qui ad Comitatum Barsiensem et Abbatem S. Martini literas R. Mtis super eo, ut ad festum visitationis beatissimae Virginis Mariae ad Tholnam convenirent, duxit, pro exp. dati sunt in b. m. p. d. fl. 4.

Eodem d. Ruthenis R. M. qui tentoria Suae M. in sepultura Judaeorum distensa dies et noctes custodiunt, ad usum ipsorum dati sunt per duos fl. 6.

Eodem d. Thomae Gwzdarowych, Pribeco, qui venerat ad R. M. pro petendo subsidio, ut

expectet relationem, pro exp. dati sunt in b. m. per d. fl. 2.

Eodem d. emere feci atramentum pro scribendis literis et Registris in factis R. M. den. 12.

Eodem d. ad manus Em. Nagh VM. Ag. R. M. ad emendum 36. qu. av. equis suae M. et p. e. dati sunt in b. p. d. fl. 9.

Feria II. prox. post f. b. Viti et Modesti MM. Stephano Maylad Disp. R. M. ad cons. coq. S. M. dati sunt in b. p. d. fl. 25.

Eodem d. Blasio Nagh servitori nostro cum literis R. M. ad Dominum Christophorum Comitem de Frangepanibus ad Croatiam, ac Dominum Simonem Episcopum Zagrab. et Capitulum ejusdem misso, ex quo in Sclavonia et Croatia usus monetae cupreae non est, dati sunt in antiqua moneta fl. 20.

Eodem d. Joh. Sáffár, servitori nostro cum literis R. Mtis ad capitulum Colocense, pro repetendis illis 400 fl. quos sua M. ad ipsum Capitulum in subsidium praesentis expeditionis contra Thurcos imposuerat, misso pro exp. et solutione currus Kochy dati sunt in b. m. p. d. floreni 10.

Eodem d. Magistris Cocis R. Mtis pro praebenda ipsorum vinali dati sunt per duos den. 60.

Eodem d. Aprodianis R. M. ad usum ipsorum dati sunt p. d. den. 60.

Eodem d. Dno Urbano de Batthyan Secretario R. M. per S. M. in certis secretis negotiis ad D. AEppum Strigoniensem misso pro exp. et sol. Kochy dati sunt in b. m. p. d. fl. 8.

Eodem d. Ladislao Pesthyeny et Ludovico Rakowczy aulicis R. Mtis ad rationem servitiorum suorum dati sunt per duos fl. 5.

Eodem d. Augustino Hispano cubiculario R. M. ad servitia dati sunt in bonis per duos fl. 20.

Eodem d. Petro Warday Cubiculario R. Mtis ad servitia dati sunt in bonis per d. floreni 2.

Eodem d. ad manus E. Nagh VM. Ag. R. M. ad emendum 36. qu. av. equis S. M. et p. e. dati sunt p. d. fl. 9.

Eodem d. duobus pauperibus R. M. ad januam Capellae S. Johannis in Castro. a)

Feria III. prox. ante festum b. Joh. Bapt. St. Maylad Disp. R. M. ad cons. coq. S. M. dati sunt p. d. fl. 25.

Eodem. d. Thomae Gwzdarowyth Pribeco, qui pro petendo subsidio ad R. M. venerat, remisso jussu S. M. dati sunt pro subsidio in b. m. p. d. fl. 20.

Eodem d. Stephano Fekethe, Servitori nostro, cum literis R. M. ad capitula Strigoniense et Vaciense pro exigendis et reportandis pecuniis in subsidium praesentis expeditionis contra Thurcos ad eosdem per S. M. impositis pro exp. dati sunt per duos fl. 5.

Eodem d. Magistris Cocis R. M. pro praebenda ipsorum vinali dati sunt per duos den. 60.

Eodem d. Petro Zalay et Walentino Lwkaryth captivis in Thurcia ad fidejussionem taxatis ac emissis, qui venerant ad R. M. pro petendo subsidio, ad eliberationem ipsorum, remissis pro expensis dati sunt per duos fl. 12. et medius.

Eodem d. Aprodianis R. M. ad usum ipsorum dati sunt per duos den. 50.

Eodem emere feci de sindone Galler pecias duas pro fl. 10. b. m. de bisso pecias tres singulam peciam per fl. 7. similiter b. m. duas cupreas pro una bona computando et dedi Johanni Pook cubiculario R. M. ad solempnitatem nuptiarum suarum, quas die dominico proxime venturo celebraturus est, et faciunt simul positi in b. m. p. d. fl. 31.

---

a) Quantitas largitionis non adnotatur.

Eodem d. Stephano Maylad, Disp. R. M. ad apparatum hastiludii, quod coram M. S. ipso die exercere habet, dati sunt in b. m. per duos fl. 5.

Jacobo Pesthy Judici et Stephano Civi de Sebes, qui venerant ad R. Mtem pro petendis gentibus et subsidio ad defensionem oppidi Karansebes, remissis cum relatione pro expensis dati sunt in diversis terminis in b. m. p. d. flor. 15.

Eodem d. Jacobo Kozmolczky, dapifero R. M. ad apparatum hastiludii, quod coram S. Mte eo die exercere habet, dati sunt per duos floreni 5.

Eodem d. Johanni Pryleczky cubiculario R. M. ad rationem servitiorum suorum dati sunt duos fl. 5.

Eodem d. Johanni Pook cubiculario R. M. ad rationem servitiorum suorum dati sunt in cupreis fl. 100 in b. p. d. faciunt fl. 50.

Eodem d. Franc. Mosso, lotori vestimentorum R. M. ad servitia dedi in bonis fl. 1.

Eodem d. Dno Casparo Somy, Aulae R. familiari ad rationem servitiorum suorum dati sunt in cupreis fl. 50. qui faciunt per duos in bonis floren. 25.

Eodem d. subscriptis Aulicis Hwzaronibus ad Jayczam servientibus ad rationem servitiorum suorum distributae sunt pecuniae per duos modo subscripto:

Petro Markos dati sunt	fl. 3.	den. 20.
Petro Keglewyth	do.	do.
Joh. Castellanffy	do.	do.
Mich. Thewrek	do.	do.
Emer. Bradach	do.	do.
Joh. Thompyth	do.	do.
Lad. Ewrdewgh	do.	do.
Thom. Orbay	do.	do.
Joh. Zempchey	do.	do.

Eodem d. Dno Andreae Episcopo Tinnini-ensi ad rationem servitiorum suorum dati sunt in b. p. d. fl. 3. d. 20.

Eodem d. Magistro Alberto directori caussarum R. M. ad rationem sallarii sui dati sunt in b. p. d. fl. 25.

Eodem d. Demetrio Literato de Azzonfalva adolescenti R. M. ad servitia per duos dedi flor. 1.

Eodem d. Alexio Chaaky aulico R. Mtis Huzaroni ad rationem servitiorum suorum in bonis per duos dedi fl. 1.

Eodem d. ad manus Em. Nagh VM. Ag. R. M. ad emendum 36. qu. av. equis M. S. et p. e. dati sunt in b. m. p. d. fl. 9.

Feria IV. prox. ante festum B. Johannis Bapt. Steph. Maylad disp. R. M. ad cons. coq. S. M. dati sunt in bonis per duos fl. 25.

Eodem d. Matthaeo, Johanni et Thomae specialibus Capellanis R. M. ad usum ipsorum dati sunt in b. p. d. fl. 3.

Eodem d. Johanni Statilio, Praeposito Budensi per R. Mtem ad R. Dnum AEppum Strigon. Strigonium misso pro solutione curruum Kochy et expensis dati sunt in b. m. p. d. flor. 9.

Eodem d. Magistris Cocis R. M. pro praebenda ipsorum vinali dati sunt in b. m. p. d. den. 60.

Eodem d. Aprodianis R. M. ad usum ipsorum dati sunt per duos den. 50.

Eodem d. Magistro Johanni pellifici R. M. pro subductura pellium hermellinarum, quam idem Johannes pellifex suae Mti fecit, soluti in cup. mon. fl. 100. et 40. qui in b. m. d. c. p. u. b. c. faciunt fl. 70.

Eodem d. emere feci unam ligaturam papyri pro scribendis literis et registris in factis R. M. in bona moneta per duos fl. 1. d. 25.

Eodem d. ad manus E. Nagh VM. Ag. R. M. ad emendum 36 qu. av. equis S. M. et p. e. dati sunt in b. p. d. fl. 9.

Feria V. prox. ante festum B. Joh. Bapt. Steph. Maylad Disp. R. M. ad cons. coq. S. M. dati sunt in b. p. d. fl. 25.

Eodem die Bernardo Baran cubiculario Regiae et reginalis Mtis per Mtes Suas in Moraviam, ut Dominos Moravos ad missionem gentium in subsidium hujus regni sollicitaret, misso pro exp. et sol. currus Kochi dati sunt in b. m. d. c. p. u. b. c. fl. 60.

Eodem d. Magistris cocis R. M. pro praebenda ipsorum vinali dati sunt per duos d. 60.

Eodem d. Aprodianis R. M. ad usum ipsorum dati sunt per duos d. 50.

Eodem die Benedicto Pyry, Sigismundo Stasko, Stephano Nezkey, Christophoro, Thomae Komyathy, Michaeli Kys Strenepl, Michaeli Mosso, Mattyoczky, Koloczky, Sigismundo Mysko et Georgio Herkowyrky Aprodianis R. Mtis pro emendis calceamentis cuilibet per den. 25. cupreae monetae dati sunt fl. 3. den. 25. qui in bonis per duos faciunt floren. 1. den. 72 et ½.

Eodem d. emere feci de cera rubea pro sigillandis literis in factis R. Mtis pro den. 10.

Eodem d. Gregorio Bessenyeyi de Chaak et alteri Gregorio de Themesvar, qui de Turcia et de exercitu Caesaris Thurcorum profugerant, et ad Mtem R. cum certis novitatibus ex parte conatus Thurci venerant, pro exp. dati sunt in b. m. p. d. fl. 8.

Eodem d. Georgio Chawycha Servitori Joannis Tompisth aulae R. Mtis familiaris, cum literis S. M. ad Cives Strigonienses, ut personaliter ad S. Mtem veniant, misso pro exp. datus est per duos fl. 1.

Eodem d. Petro Zekel et Franc. Ormos, Servitoribus Domini Emerici Czybak, aulae R.

Mtis familiaris, qui venerant ad R. Mtem pro impetrandis servitiis Domini ipsorum, ut expectent relationem, pro exp. dati sunt in b. p. d. flor. 16.

Eodem d. quinque curriferis Kochy, qui Dnum Cancellarium per M. Regiam in certis et secretis negotiis M. S. et regni ad R. AEppum Strigon. Strigonium missum duxerunt, soluti sunt in b. m. p. d. fl 25.

Eodem d. emere feci de pulveribus pyxidum manualium centenarium unum pro fl. 30. b. m. et de plumbo centenarium unum pro fl. 10. et dedi Laurentio Kewmyes Capitaneo 100. peditum noviter ad Titulium conductorum, qui in b. m. d. c. p. u. b. c. faciunt fl. 40.

Eodem d. Wlad et Nicolao Waydis Woynicorum ad Themeswar servientium, qui venerant ad R. M. pro petendis servitiis suis et aliorum Woynicorum et Waydarum ad Themesvár servientium remissis cum relatione pro exp. dati sunt in b. p. d. fl. 28.

Eisdem, ex quo hic diu relationem et solutionem expectáverunt, dati sunt pro exp. in diversis terminis per duos fl. 17.

Eodem d. Georgio Kerechenyi Cubiculario R. Mtis ad servitia datus est per duos fl. 1.

Eodem d. Alexio Chaaky, Aulico Hwzaroni R. M. ad rationem servitiorum suorum dati sunt in b. p. d. fl. 2.

Eodem d. Georgio Jakossyth aulico R. Mtis Huzaroni ad servitia dati sunt in bonis fl. 1 et ½.

Eodem d. ad manus E. Nagy VM. Ag. R. M. ad emendum 36. qu. av. equis S. M. et p. e. dati sunt in b. p. d. fl. 9.

Feria VI. prox. ante festum B. Joh. Bapt. Steph. Maylad, disp. R. M. ad cons. coq. S. Mtis dati sunt in b. m. p. d. fl. 25.

Eodem d. Dno Andreae Trepka Magistro Curiae R. Mtis per suam Mtem ad Dominos Moravos in Moraviam pro adducendis gentibus

misso pro exp. dati sunt in cupreis fl. 300. qui faciunt in bonis per duos fl. 150.

Eodem die Gasparo Psenyczky et alteri Gasparo Zamthysyth nunciis civium Klyssiensium, qui pro petendo subsidio ad R. Mtem venerant, remissis cum relatione pro exp. et subsidio dati sunt in b. m. p. d. fl 26.

Eisdem pro exp. quousque hic steterunt et relationem expectaverunt, dati sunt in diversis terminis per duos fl. 4.

Eodem die Ladislao Secretario R. M. per suam M. iterum ad Dominum Palatinum, Ladislaum More, Abbatem Pechwaradiensem et alios dominos, propterea, ut cum omnibus gentibus ad partes inferiores descenderent, in legatione misso, pro exp. et sol. currus Kochi dati sunt in b. m. p. d. fl. 50.

Eodem d. agazonibus et vectoribus curruum ac fabro R. M. tam Hungaris quam Alemannis ad usum ipsorum pro una septimana dati sunt per duos fl. 49. et ½.

Eodem d. 12. Ruthenis R. M. ad usum ipsorum dati sunt per duos fl. 2.

Eodem d. utrisque Aprodianis R. M. majoribus scilicet et minoribus ad usum ipsorum dati sunt per duos den. 75.

Eodem d. Magistris Cocis R. M. pro praebenda ipsorum vinali dati sunt per duos d. 60.

Eodem d. R. Dno Andreae Episcopo Tininiensi per R. Mtem ad D. Georgium Comitem Scepusiensem in legatione misso pro exp. et sol. curruum Kochy dati sunt in b. m. p. d. flor. 75.

Eodem d. Gregorio Litterato de Zegedino, qui ad Comitatus de Bekes et Byhoriensem, ad R. Dnum Eppum et Capitulum Varadiense, et Stephanum de Chaak literas Regias, ut ad festum visitationis beatissimae V. M. ad Tholnam convenirent, duxit, pro exp. dati sunt in b. m. p. d. fl. 5.

Eodem

Eodem die Dionysio Pogran Servitori Blasii Farkas, qui literas R. Mtis in eandem sententiam confectas ad D. Eppum et Capitulum ac Comitatum Nitriensem duxit, pro exp. d. s. in b. m. p. d. fl. 3.

Eodem d. ad manus E. Nagh VM. Ag. R. M. ad emendum 36. qu. av. pro equis S. M. et p. e. dati sunt in b. m. p. d. fl. 9.

Sabbatho prox. ante festum Joh. Bapt. Stephano Maylad Disp. R. M. ad cons. coq. S. M. d. s. in b. m. p. d. fl. 25.

Eodem d. Thomae Zophka adolescenti R. M. ad Cottus Strigoniensem, Trintsiniensem, Zoliensem, Thuroczensem, Arvensem et Lyptho et Capitulum Strigoniense cum literis S. M. secundo ad Dominos et Comitatus expeditis et in hand sententiam, ut statim visis literis ipsis Comes cruentatum gladium circumferri faciat, et universi movere se debeant, confectis misso pro exp. d. s. in b. p. d. fl. 20.

Eodem die Sebastiano Fodor adolescenti R. M. ad Cottus Scepusiensem, Abba-Wywariensem, de Saaros, Zempliniensem, Wngh et ad Dominos Anthonium Paloczy, Franc. Homonnay, Nic. Thartzay cum literis S. M. in eandem sententiam confectis misso pro exp. d. s. in b. per d. fl. 20.

Eodem die Blasio Kwrthessy, officiali magnificorum Francisci et Emerici Orzagh, ex quo iter ad Abbatem S. Martini habuit, et ad eundem, ad Dominum Episcopum ac Capitulum Jauriense literas R. M. in eandem sententiam confectas duxit, pro exp. dati sunt in b. m. p. d. flor. 4.

Eodem d. Magistris Cocis R. M. p. p. i. vinali d. s. p. d. den. 60.

Eodem d. Valentino Literato de Zala servitori nostro, qui ad Comitatus Neogradiensem, Hontensem et Barsiensem, ac Dnos Sigism. Révay, Franc. Horwath, Anthonium de Los-

soncz, Franc. Balassa, Episcopum et Capitulum Vaciense literas R. Mtis in eandem sententiam confectas duxit, pro exp. dati sunt in b. m. p. d. fl. 16.

Eodem d. Georgio Szentiwanyi adolescenti R. Mtis, qui literas S. M. ad Comitatus Zaladiensem, Castriferrei ac Dominos Johannem Hampo de Chaaktornya, Petrum Erdewdy, relictam condam Dominam Ladislai Kanysay detulit, pro exp. d. s. in b. m. p. d. fl. 25.

Eodem d. Michaeli Wethessy, adolescenti R. M. qui literas S. M. in eandem sententiam confectas ad Comitatum Zathmariensem, de Beregh, Crazna, Zolnok mediocrem, Wgocsa et Maramarusiensem ac Dominum Gabrielem Perényi detulit, pro exp. ex quo ad istas partes usus cupreae monetae cessavit, dati sunt in nova bona moneta fl. 25.

Eodem die Anthonio Bosnyak adolescenti R. Mtis, qui literas S. M. ad Cottus Gewmeriensem, Thorna, Borsodiensem et Hewesiensem, ac Dominos Johannem Bebek et Capitulum Agriense duxit, pro exp. d. s. in b. m. p. d. fl. 25.

Eodem die Gregorio Thapolchany, adolescenti R. M. cum literis S. M. similibus ad Dnos Franc. de Batthyan, banum regni Croatiae, Johannem Thahy, alterum Johannem Banffy, ex quo in Sclavonia, et partibus illi regno vicinis usus cuprearum monetarum non est, dati sunt in nova bona moneta fl. 32.

E. d. Stephano Besseny ey adolescenti cum literis R. M. similibus ad Cottus de Bodrogh, Bachiensem, de Walko, ad D. Episcopum Bosnensem et Capitulum Bachiense misso pro exp. et sol. currus Kochy dati sunt, ex quo in illis partibus cuprea moneta dicitur in usu non esse, fl. 26.

Eodem die utrisque Aprodianis R. M. ad usum ipsorum d. s. p. d. den. 75.

Eodem d. Blasio Literato Wyzy Servitori nostro, qui literas S. M. ad Comitatum Simigiensem et Dominam relictam condam Moysis Buzlay detulit, pro exp. et sol. currus Kochy d. s. in b. m. p. d. fl 14.

Eodem d. Thomae Komyathy adolescenti Regiae Mtis a) ad Dominos Gasparem Czobor, Petrum Korlathkewy, Ambrosium Sarkan, ad Lednyche, Comites de S. Georgio et de Bozyn duxit, d. s. p. exp. in b. m. per duos fl. 20.

Eodem d. Sigismundo Bey, adolescenti R. Mtis, qui literas S. M. ad Comitatus Posoniensem Moson. et Sopron. duxit, pro exp. d. s. in b. m. p. d. fl. 16.

Eodem d. Franc. Andorko, Servitori Dni Bani Jayczensis, qui literas similes ad Cottum de Possega ac Dominos Ladislaum More et Stephanum Berizlo, regni Rasciae Despotum duxit, pro exp. d. s. in b. m. fl. 15.

Eodem d. Magistris Cocis R. M. pro praebenda ipsorum vinali dati sunt in bonis per duos den. 60.

Eodem d. Hieronymo Byerzman, qui a Domino Duce Casimiro literas R. Mti duxerat, remisso cum literis super conducendis et demittendis gentibus ad praesentem expeditionem conductis pro exp. d. s. in b. m. per duos fl. 20.

Eodem die ad manus R. Mtis medio Franc. Zekel missi sunt in bonis per duos fl. 2.

Eod. die Franc. Literato de Kysseryen, qui ad Cottus Chongradiensem, de Zabowch, Chanadiensem, Thoronthalensem, Orodiensem, Zolnok exteriorem et de Zarand, et ad Dnos Episcopum Chanadiensem, Andream de Bathor, Joh. et Andream Zokoly literas R. M. similes misit b) dati sunt pro exp. in b. m. p. d. fl. 20.

P 2

---

a) Deest: qui literas S. Mtis.
b) Lege: portavit.

Eodem d. Francisco Nagh servitori Thomae Monyachyth Capitanei mille Nazadistarum R. Mtis in Waradino Petri servientium, per quem idem Thomas unum Thurcum Regiae Mti miserat, pro remuneratione et expensis dati sunt jussu S. M. in b. m. p. d. fl. 20.

Eidem d. Franc. Nagh, ex quo hic Budae diu stetit, laborando apud R. Mtem pro Salario ipsius Thomae Monyachyth domini sui, dati sunt in diversis terminis pro exp. in bona moneta p. d. fl. 16.

Eodem d. emere feci pro Capella R. Mtis ad unam septimanam lucernas 4 et candelas baculares 8. ac oleum olivae ad lampadem in eadem capella continue ardentem, singulas lucernas per den. cupr. mon. 33. candelas sero per den. 25 ejusdem mon. et dedi ad manus Magistri Alberti Rectoris ejusdem Capellae, qui ad rationem bonae monetae faciunt p. d. fl. 1. den. 91.

Eodem d. emere feci pro domibus Regie Mtis ad unam septimanam lucernas 14. candelas minores similiter 14. et dedi ad manus Laurentii Rutheni suae M. singulas lucernas per den. c. m. 33. candelas vero den. 10. ejusdem m. qui in b. m. d. c. p. u. b. c. faciunt fl. 3. den. 1.

Eodem d. emere feci unum vas vini pro ore R. Mtis et dedi ad manus Georgii Clavigeri S. M. et facit in b. m. per duos fl. 27 et ½.

Eodem d. Stephano Zewgy servitori nostro cum literis R. M. ad Dnum Emer. Czybak et Nic. Abrahamffy Banum Tituliensem Titulium misso, pro exp. dati sunt in b. m. per duos fl. 25.

Eodem d. Johanni timpanistae R. M. ad servitia sua dati sunt per duos fl. 6.

Eodem Dwhek Aulico R. M. ad servitia d. s. in b. p. d. fl. 1. et ½.

Eodem die Franc. Mosso lotori vestimentorum R. M ad servitia dedi per duos fl. 1 et ½.

Eodem d. ad manus E. Nagh VM. Ag. R. M. ad emendum 36. qu. av. equis S. M. et p. e. d. s. in b. m. p. d. fl. 9.

Die Dominico in festo b. Joh. Bapt. Steph. Maylad, Disp. R. M. ad cons. coq. S. M. dati sunt in b. p. d. fl. 25.

Eodem d. eidem St. M. pro emendis speciebus ad coquinam S. M. ad unam septimanam d. s. in b p. d. fl. 50.

Eodem d. ad manus ejusdem St. M. disp. R. M. pro apparando convivio ad celebrationem nuptiarum Johannis Pook cubicularii S. M. d. s. in b. m. p. d. fl. 50.

Eodem d. Iwan Olah de Pekretz in confinibus Regni Croatiae servienti, qui pro petendo subsidio ad R. M. venerat, dati sunt jussu S. M. in c. m. fl. 100 qui in b. m. p. d. faciunt fl. 50.

Eodem d. eidem dati sunt in nova b. m. fl. 40.

Eodem d. emere feci in castro lucernas 4. et dedi ad manus Aprodianorum R. M. ut in magna Missa in manibus ardentes teneant, et facit in b. m. p. d. den. 66.

Eodem d. 12. Ruthenis R. M. ad usum ipsorum d. s. p. d. fl. 4.

Eodem d. Dno Eppo Agriensi pro debitis suis ad facta R. Mtis tempore officii Thesaurariatus contractis soluti sunt per Sigism. Nagh 300 fl. qui in b. m. p. d. faciunt fl. 150.

Eodem d. utrisque Aprodianis R. M. ad usum ipsorum d. s. p. d. den. 75.

Eodem d. Magistris Cocis R. M. pro praebenda ipsorum vinali d. s. p. d. den. 60.

Eodem d. duobus pauperibus R. M. ad usum ipsorum d. s. p. d. den. 25.

Eodem d. ad manus E. Nagh VM. Ag. R. M. ad emendum 36. qu. av. equis S. M. d. s. in b. per d. fl. 9.

Feria II. prox. post festum B. Joh. Bapt. Stephano Maylad, disp. R. M. ad cons. coq. S. M. d. s. in b. m. p. d. fl. 25.

Eodem d. Emerico Kalnay Secretario R. M. per S. M. pro excipiendis rebus argenteriis in dioecesi Ecclesiarum Colocensi et Bachiensi existentibus misso pro exp. et solutione currus Kochy d. s. in b. m. per d. 2 fl. 5.

Eodem d. Aprodianis R. M. ad usum ipsorum d. s. in b. p. d. den. 75.

Eodem d. Johanni Zalanczy Servitori Dni Waywodae Transalpinensis, qui venerat ad R. M. in certis secretis negotiis Dni sui, remisso cum relatione pro exp. d. s. in cupreis 96 fl. qui in b. m. d. c. p. u. b. c. faciunt fl. 48.

Eodem die Dno Nuncio Dni Vaywodae Moldaviensis, qui cum literis Dni sui ad R. M. venerat, remisso cum relatione pro exp. d. s. in cupreis 75 fl. qui faciunt in b. m. per duos computando fl. 37 et ½.

Eodem d. emere feci sex libros auri, et argenti libros duos et dedi ad manus Magistr. Jacobi Pictoris R. M. pro depingendis vexillis S. M. singulum auri librum per fl. 5. b. m. et argenti per fl. 1. computando faciunt fl. 42.

Eodem d. Magistris Cocis R. M. pro praebenda eorum vinali dati sunt per duos den. 60.

Eodem d. ad manus R. M. medio Joh. Pryleczky cubicularii S. M. missi sunt in b. m. p. d. fl. 20.

Eodem d. Johanni Matthyoczky dapifero R. M. ad servitia d. s. per duos fl. 10.

Eodem d. Philippo Waywodycz dapifero R. M. ad servitia dedi per duos fl. 15.

Eodem d. ad manus Em. Nagh VM. Ag. Reg. M. ad emendum 36. qu. av. eq. S. M. et praeb. ej. d. s. p. d. fl. 9.

Feria III. prox. post f. b. Joh. B. St. Mayllad. Disp. R. M. ad cons. coq. S. M. dati sunt p. d. fl. 25.

Eodem d. Mich. Chaaky, Cubiculario et Gaspar Seredy, Secretario R. M. per M. suam pro argenteriis Ecclesiarum Dioecesis Varadiensis

missis pro exp. et sol. trium curruum Kochi d. s. in cupreis 80 fl. qui faciunt in bonis p. d. fl. 40.

Eodem d. eisdem Mich. Chaaky et Gaspar Seredy, ex quo ultra Titiam cuprea moneta expendi non potest, dati sunt in antiqua moneta floreni 12.

Eodem d. Aprodianis R. M. majoribus et minoribus ad usum ipsorum d. s. per d. den 75.

Eodem d. Magistris Cocis R. M. pro praebenda ipsorum vinali dati sunt per duos den. 60.

Eodem d. emere feci de bisso pecias 2. et dedi ad manus Joh. Megyery Capitanei 300. peditum ad Wylak missorum pro faciendis vexillis singulas pecias per fl. 7. b. m. computando fl. 21.

Eodem d. emere feci de Thafotha Rasciana ulnas 40. et dedi ad manus Laurentii Kewmyes de Felhewyz Capitanei 100. peditum ad Titulium expeditorum singulas ulnas per den. 30. b. m. computando, florenis 12.

Eodem d. emere feci de attramento pro scribendis literis et Registris in factis R. M. necessariis den. 10.

Eodem d. Gregorio Zopchyth antecessori ferculorum R. M. per M. suam ad R. Dominum AEppum Strigoniensem Strigonium in certis rebus et negotiis S. M. misso pro exp. et sol. currus Kochy d. s. in b. m. p. d. fl. 10.

Eodem d. Gregorio Horwath aulico R. M. ad servitia d. s p. d. fl. 1 et ½.

Eodem d. Petro Warday cubiculario R. M. ad servitia d. s. p. d. fl. 1. et ½.

Eodem d. Alexio Chaaky aulico Huzaroni R. M. ad servitia d. s. p. d. fl. 1.

Eodem d. Demetrio Literato de Azzonfalva adolescenti R. M. ad servitia dedi per duos fl. 1.

Eodem d. ad manus Em. Nagh VM. Ag. R. M. ad emendum 36 qu. av. eq. S. M. d. s. p. d. fl. 9.

Feria IV. in festo B. Ladislai Regis Stephano Maylad, Disp. R. M. ad cons. coq. S. M. d. s. in b. m. p. d. fl. 25.

Eodem d. Michaeli Petherdy servitori Johannis Lewkes de Kallo Aulae R. Mtis familiaris ad Albam Regalem misso pro accipiendo argento ibidem de rebus Ecclesiae ad rationem servitiorum suorum deputato pro exp. d. s. in b. m p. d. fl. 6.

Eodem d. utrisque Aprodianis R. M. ad usum ipsorum d. s. p. d. den. 75.

Eodem d. Matthaeo, Blasio, Johanni et Thomae specialibus Capellanis S. M. ad usum ipsorum d. s. in b. m. p. d. fl. 1 et ½.

Eodem d. Magistris Cocis R. M. pro p. i. v. d. s. in b. m. p. d. den. 60.

Eodem d. 12 Ruthenis M. ad usum ipsorum datus est p. d. in bonis fl. 1.

Eodem d. Johanni Saffar, servitori nostro cum literis R. Mtis pro revidendis Salibus in Camera de Zolnok existentibus pro expensis, ex quo aliquos dies ibi tardare habebit; et sol. Kochy d. s. in b. m. p. d. fl. 12.

Eodem d. Gregorio Zankowyth de Ostrosyth et Johanni Gobecz castellanis, ac Johanni Literato Servitori nostro cum eisdem castellanis pro accipiendo argento de rebus Ecclesiarum ad sallaria eorundem deputato Strigonium missis pro exp. et solutione currus Kochy dasi sunt in bonis per duos fl 9.

Eodem d. Alberto Boltsa aulico R. M. ad servitia datus est per duos fl. 1.

Eodem d. ad manus Em. Nagh V-Mag. Ag. R. M. ad emendum 36. qu. av. equis S. M. d. s. in b. per d. fl. 9.

Feria V. in vigilia beatorum Petri et Pauli App. Steph. Maylad, Disp. R. M. ad cons. coq. S. M. d. s. in b. p. d. fl. 25.

Eodem d. Andreae Swanczar, Servitori Dni Stephani de Bathor Regni Hung. Palatini, qui venerat ad R. Mtem pro petendo Sallario Dni sui, ut expectet Relationem pro exp. d. s. p. d. floreni 2.

Eodem d. utrisque Aprodianis R. M. ad usum ipsorum d. s. p. d. den. 75.

Eodem d. dapiferis R. M. pro praebenda eorum vinali, ex quo vinum ipsorum defecerat, ad 36. pintas vini singulas pintas per den. 4. b. m. computando dati sunt fl. 1. et den. 44.

Eodem d. Georgio Sapka, Secretario R. M. pro sollicitandis Dnis Bohemis et Civitatibus Bohemiae ad missionem gentium, in Bohemiam misso d. s. pro exp. in c. m. fl. 100 et 60, qui in b. m. d. c. p. u. b. c. faciunt fl. 80.

Eodem d. Magistris Cocis R. M. pro praebenda ipsorum vinali d. s. p. d. in b. den. 60.

Eodem d. ad manus R. Mtis medio Clementis Zent-Iwany cubicularii S. M. missi sunt in b. p. d. fl. 4.

Eodem d. Petro Was adolescenti R. M. per S. M. cum literis S. M. ad R. D. AEppum Coloc. misso pro exp. et solutione currus Kochy dati sunt in b. m. per duos fl. 28.

Eodem d. emere feci duas pecias de tela nigra ad fenestram Domus, ubi banderia suae M. depinguntur, et misi ad manus Magistri Jacobi, pictoris, medio Benedicti Klenoczky, cubicularii S. M. et facit in b. m. fl. 5.

Eodem d. Gaspar Bwzyth, et Matthaeo Horwath servitoribus Domini Johannis Torquati, alias Bani Regni Croatiae, qui venerant ad R. Mtem pro repetendis sallariis de servitiis Dni ipsorum, ex quo diu hic solutionem expectaverunt, remissis pro exp. d. s. in b. m. p. d. fl. 25.

Eodem d. Clementi Zent Iwany Cubiculario R. M. ad servitia in bonis per duos fl. 4.

Eodem d. Vincentio Tubicinatori R. M. ad servitia datus est in bonis per duos fl. 1.

Eodem d. subscriptis Aulicis R. M. ad rationem servitiorum suorum distributae sunt pecuniae per duos modo infra scripto.

Ladislao Pesthyeny dati sunt fl. 3.

Marchinkony dati sunt fl. 1 et ½.

Mart. Horwath dati sunt fl. 1 et ½.

Eodem d. pro uno equo, quem Dnus Mich. Fekethe Mti suae emit, soluti sunt per Sigism. Nagh in cupreis m. fl. 100. et 35. qui in b. m. p. d. faciunt fl. 67 ½.

Eodem d. ad manus E. Nagh. VM. Ag. R. M. ad emendum 36. qu. av. equis S. M. et p. e. d. s. in bonis fl. 9.

Feria IV. in festo b. Petri et Pauli App. Steph. Maylad Disp. R. M. ad cons. coq. S. M. d. s. fl. 25.

Eodem d. Stephano Hentes, Petro Ratz et Gregorio Kathary Waywodis mille Nazadistarum in Waradino Petri servientium ad Albam Regalem pro accipienda solutione de rebus Ecclesiae Albensis ita missis, ut inde certo itinere, cum solutione ad reliquos Nazadistas irent, pro exp. et sol. currus Kochy d. s. in b. m. p. d. floreni 28.

Eisdem pro expensis, ex quo diu hic Budae steterunt, et solutionem expectaverunt, dati sunt in diversis terminis in b. m. per duos fl. 13.

Eodem d. Petro Zekel, Servitori Dni Emerici Czybak, qui literas Regias ad Dominum suum et Benedictum Zekel ac Nic. Abramffy, Banos Titulienses detulit pro exp. d. s. in b. m. per d. fl. 8.

Eodem utrisque Aprodianis R. M. ad usum ipsorum d. s. p. d. den. 75.

Eodem d. Georgio Kradyth, Servitori Dni Christophori de Frangepanibus, qui venerat ad R. Mtem pro petendis servitiis Dni sui remisso cum relatione pro exp. d. s. in b. m. p. d. fl. 8.

Eodem d. Magistris Cocis R. M. pro praebenda ipsorum vinali d. s. p. d. den. 60.

Eodem d. 12. Ruthenis R. M. qui tentoria S. M. custodiunt, ad usum datus est per duos fl. 1.

Eodem emere feci unum vas vini pro mensa R. M. et dedi ad manus Georgii Clavigeri S. M. in b. m. per duos fl. 30.

Eodem d. Agazonibus et vectoribus curruum R. M. tam Hungaris quam Alemannis et fabro ad usum ipsorum ad unam septimanam d. s. in b. m. p. d. fl. 49 $\frac{1}{2}$.

Eodem d. ad manus Em. Nagh VMag. Ag. R. M. ad emendum 36 qu. av. equis S. M. et p. e. d. s. in b. m. p. d. fl. 9.

Sabbatho proximo post festum b. Petri et Pauli App. Stephano Maylad, disp. R. M. ad conservationem coq. S. M. d. s. p. d. fl. 25.

Eodem d. Valentino Literato de Zala Servitori nostro cum literis R. M. ad Albam Regalem ad vocandum Praepositum Albensem et potiores de Capitulo ad S. M. ut dicerent caussam, cur argenteria Ecclesiarum revidere non permissisent, pro exp. d. s. in b. m. fl. 3.

Eodem d. Matthaeo Othoni et Urbano Soós, visoribus Salium de Dées, quos R. M. pro perquirendis salibus Posegam miserat, remissis ad Dées pro exp. d. s. in b. m. p. d. fl. 10.

Eodem d. emere feci pro Capella R. M. ad unam septimanam lucernas 8. et candelas 8. et oleum olivae ad lampadem in eadem Capella M. suae, et dedi ad manus Magistri Alberti Rectoris ejusdem Capellae, et faciunt p. d. fl. 1. den. 91.

Eodem d. emere feci pro domibus R. M. ad unam septimanam lucernas 14. candelas similiter 14. et dedi ad manus Laurentii Rutheni S. M. et faciunt in b. m. p. d. fl. 3 den. 1.

Eodem d. ad manus E. Nagh. VM. Agaz R. M. ad emendum 36. qu. av. equis S. M. et p. e. d. s. p. d. fl. 9.

Die dominico in profesto Visitationis beatissimae Virg. Mariae Stephano Maylad. disp. R. M. ad cons. coq. S. M. dati sunt in b. m. per duos fl. 25.

Eodem d. eidem Stephano Maylad. Disp. R. M. pro emendis speciebus ad cons. coq. S. M. dati sunt in bonis per duos fl. 50.

Eodem d. Ruthenis R. M. ad usum ipsorum d. s. p. d. fl. 2.

Eodem d. utrisque Aprodianis R. M. ad usum ipsorum d. s. p. d. den. 75.

Eodem d. Magistris Cocis R. M. pro praebenda ipsorum vinali dati sunt per duos denarii 60.

Eodem d. Dapiferis R. M. pro praeb. ipsorum vin. datus est p. d. fl. 1.

Eodem. d. duobus pauperibus R. M. ad usum ipsorum dati sunt in cupreis den. 50 qui faciunt in bonis denarios 25 a)

---

a) *Nota Prayana.* Hucusque pertinet id Ms.

Casparis Böjthini

Pannonii

de rebus gestis magni

Gabrielis Bethlen

Serenissimi Potentissimique Sacri Romani Imperii Transylvaniaeque Principis, Partium Regni Hungariae Domini, Siculorum Comitis, ac Opuliae Ratiboriaeque Ducis etc. etc. etc.

Domini Domini 'sui clementissimi librorum duodecim inchoatorum

Libri tres

Ex publicis Regnorum Hungariae et Transilvaniae Actis, variis Procerum Epistolis, et fide dignis relationibus, rerumque eventibus, eruti.

Anno Domini 1624.

Casparis Böjthini Pannonii de rebus M. Gabrielis Bethlen liber primus.

Aggredior res fortiter praeclareque a) gestas Gabrielis Bethlen, gloriosissimi Transilvanorum principis, memoriae posteritatis committere. Verum in vestibulo operis, operae pretium me facturum esse arbitror, si illustrem prosapiae ejus originem non ex ipsa Noë arca, aut mendacibus Graecorum monumentis, regum suorum primaevam originem ad Deos nescio quos scelere omni et impuritate contaminatos referentibus, petiero, sed ex Archivis vetustissimis et Grammatophylaciis nondum temporum injuria deletis, aut incuriosa vetustatis teredine obesis eruero. Nam cum Rex Regi, princeps principi, tempora temporibus continua succedant successione; non potest recte et ordine actorum vel temporum ratio digeri, nisi pariter clarissimorum ducum, et inclitarum familiarum series cognoscatur. Quarum rerum obscuritate Ungarorum Annales, sive ob scriptorum imperitiam, sive invidiam, et alienum a nostris animum vehementer laborant. Quos ego ut merito carpendos esse semper cen-

a) Propositio totius operis.

sui, cum absurdum sit scribere, et cujus acta, dictaque, quove tempore fuerint? ignorare: ita a meo nequaquam alienum esse officio judicavi, si illustrem Bethlenorum prosapiam, ex ipsius virtutis stirpe progenitam, quae quidem mihi assequi ex tribus litteris et litteralibus Instrumentis grammathophylacii Capituli Albensis authentici pervium fuit, ad Gabrielem usque principem, dominum meum et patronum clementissimum, cujus principatus ob generis obscuritatem ab exteris sugillatur, optima fide hoc quidem primo libro deduxero. Is enim liber debet omnia, quae ad stemma generis pertinent, continere, qui inducit principem, de quo plura dicenda sunt.

Ac hujus quidem antiquitatem et clarissimum nomen vel illud olim oppidi Bethlenosii a) cognomen in regione Zarandiana arguit. Certum enim est, antiquitus oppida ab iis, qui dignitate, aut authoritate caeteris antecellebant, denominationem suam esse sortita. Ea propter et Alba Julia a Jula Capitaneo, Buda a Buda fratre Attilae, Szabolts a Szaboltso Capitaneo, Szolnok a Szolnok Magnate Scytha nomina sua invenerunt, et apud Romanos Via Flaminia a C. Flaminio, Via Trajana, Ulpianum Trajanum a Trajano, Via Appia ab Appio Claudio denominationem acceperunt, Alexandria ab Alexandro Macedone, Constantinopolis a Constantino, Bathorinum a clara Bathoreorum Familia, Bethlenosium nostrum, a prisco aliquo et inclytis virtutum ornamentis conspicuo Bethleno cognominatum est. Certo nihilominus ordine nunquam interruptam Familiae Bethlenianae seriem ab annis 244. ex litteris, diplomatibus regum et principum roboratis, recensebo. b) Nam radi-

a) Antiquitas Familiae Bethlen. b) Genealogia.

radicem ante omnes jam inclytae familiae deprehendo fuisse Joannem Bethlen circa annum Domini 1380, nobilem et fortem virum, qui peritia utendi arcu fertur duos anseres ambos collotenus trajecisse, eosque ad regem et Imperatorem Sigismundum delatos insignia gentilitia accepisse, et promeruisse. Hujus filius Gregorius (aperte enim in litteris privilegialibus Gregorius Bethlen filius Joannis nuncupatur:) miles Sigismundi regis et Imperatoris aulicus, ob commendatas animi corporisque dotes, et fortitudinem militarem in villa Olmis possessione S. Nicolai in Comitatu de Küküllö feria quarta proxima ante festum beati Archangeli anno Domini 1390. donativi nomine à rege cohonestatur. Idem Gregorius ob nobiliores virtutes et fidelissima officia regi exhibita, Budae, ipso die festo beat. Fabiani et Sebastiani Martyrum anno Domini 1393. oppido Kapolna in eodem Comitatu de Küküllö donatur. Hujus filius Joannes amisso genitore Gregorio cum post luctuosissimum conflictum ad Nicopolim Bulgariae seu Moesiae oppidum cum Bajazethe Turcarum Tyranno, anno Domini 1396. infeliciter admodum initum, deperditis ibidem sigillis Regiis, nobiles omnes confirmationem privilegiorum suorum sub sigillis recenter fabricatis impetrare necesse haberent, in praedicta possessione S. Nicolai 1406. Budae XV. Calend. Aprilis procul dubio praeclarorum genitoris meritorum respectu ab eodem rege confirmationem obtinuit. Hic genuit Dominicum Bethlen, qui circa annum Domini 1452. Vajvoda Transylvanus fuisse perhibetur. Qui genuit Gregorium Bethlen circa annum Domini 1480. magnum Praefectum Budensem, qui genuit Nicolaum Bethlen, qui Ursulam, comitis Perenyi filiam, consortem autem Francisci Balassa de Gyarmath, ratione nonnullarum portionum possessionariarum coram Stephano Zapolja Vajvoda Transylvano et Sicu-

lorum Comite contentam reddidit, ipso die Conversionis b. Pauli Apostoli Anno Domini 1515. Qui genuit Lupum Bethlen, et Gregorium Bethlen. Lupus Bethlen concambium celebravit cum Capitulo Albensis ecclesiae pro Buno pago in Comitatu de Küküllö, datis portionibus Peterfalva, Panad, Szaszvölgye, in festo circumcisionis Domini coram Stephano Majlad Vajvoda Transylvaniae et Siculorum Comite anno Domini 1535. Gregorius autem Bethlen genuit Gregorium, qui fuit Banus Szöreniensis anno Domini 1561 et Lupum Bethlen, qui ex Drusiana a) consorte sua Gabrielem Bethlen, principum nostri saeculi decus, et Stephanum Bethlen, gubernatorem regni hujus Transylvaniae, singulare pietatis et modestiae exemplar progeneravit.

Hic fuit Lupus ille Bethlen genitor principis Gabrielis, et Stephani gubernatoris, militari fortitudine b) et industria spectatissimus, qui primum Tribunus Equestris Gyulae militium ordines duxit, deinde cum ea arx arctissima a Passa purpurato Solymanni premeretur obsidione, et nefaria Ladislai Keretséni, Germanicique praesidii proditione, repugnantibus et frustra reclamantibus Lupo Bethlen, Joanne Getzio, c) et Andreae Kapio, nobilibus equestris ordinis Tribunis III. nonarum Septembris anno Domini 1566. potestati orientalis Tyranni turpiter addiceretur, et sequenti die, in egressu a perfido Mahumetanorum exercitu miles Christianus adversus fidem praestandae incolumitatis carperetur, ferro viam sibi inter densissimas innumerabilium hostium cohortes, suos cohortatus aperuit, et multis interemtis, sau-

---

a) Codex unus addit: Lazar. b) Genitor principis vir fortis. c) Joannes Gotzius, vel Getzius fuit is, qui subSigismundo principe gubernator fuit Transilvaniae.

ciatisque barbaris, cum collegis fortissimis viris Getzio et Kapio, saucius et ipse, aliquot pro patria acceptis vulneribus martii instar lupi erupit, et cum a recenter succenturiatis hostium turmis continue infestaretur, amisso equo praesentis fortunae necessitati paruit, atque in proxime sibi objectum arundinetum, uligine multa et palustribus cannis obsitum se conferens, ad meliora vitam tempora, et urgentiorem patriae necessitatem reservavit. Fertur aliquot dies, donec hostium furor concidisset, in limosis istis arundinetis instar C. Marii, qui septies Consul in urbe fuit, in Minturnensium paludibus delitescentis vitam tolerasse, attritoque militari cothurno, quo pedes ab aculeatis arundinum cuspidinibus defendebat, opera unius famuli, quem fatalium calamitatum comitem fortuna ei adjunxerat, abscissis coccineis tunicae alis plantisque propriis pedum adaptatis, periculum evasit, et post non mediocres errores oppidum patrium Bethlenosium, deinde Jenöinum appulit. Rerum eo tempore Transylvanicarum potiebatur Joannes Sigismundus Regulus, Joannis Regis ex Isabella, Sigismundi Regis Poloniae filia primogenitus filius, qui audita eximia Lupi a virtute commendatissimi fortitudine, hominem in aulam accersitum praesenti honestae conditionis oblatione consolatur, et regalibus cohonestatum donariis, ad excellentiora virtutis munia obeunda excitat atque inflammat. Caeterum Regulo immatura fati severitate abrepto, Lupus Bethlen, Stephani Bathorei, qui primus et ultimus regium nomen in familiam suam intulit, aulam secutus, ea apud principem gratia, et favore valuit, ut adversus Casparem Bekesium rebellem non sine singulari nominis sui gloria, supremus exercitus rorariorum Capitaneus declararetur, et ob navatam fortiter operam castro *Ilye*, et possessionibus aliis divitibus anno Domini 1575. publice donare-

tur, et per omnem vitam, foecundiore apud omnes mortales fama frueretur Hic principibus quatuor, Joanni Sigismundo, Stephano, Christophoro, Sigismundo Bathoreis charus, singulari decore excelsi corporis fuit, manu strenuus, animo imperterritus, verae gloriae appetens, et in ea assequenda industrius, qui LX. aetatis excedens annum in bona senectute e viventium numero abiit anno 1590. et in sacello Ilyeiano a se constructo honorificentissime conditus est. Reliquit autem haeredes non duntaxat bonorum, verum etiam virtutis Gabrielem et Stephanum filios, qui ab Andrea Lazaro Dynasta Siculico avunculo, viro austero et feroci, in exquisita Siculorum disciplina enutriti, et liberalioribus etiam disciplinis a) mediocriter imbuti diversa vitae genera excusso permolesto iuventuti tutorii patrocinii freno, elegerunt. Nam Stephanus lenitate, et moderata animi simplicitate conspicuus, a primis adolescentiae temporibus in pago Karkoviano (ubi aedes ducta uxore Christina Csakiana, b) Gabrielis Csáki Miháliensis ex Clara Bánffiana filia, mediocriter excultas habebat, et opulentissima possidebat ladifundia) rebus familiaribus intentus, quieti ac tranquillitati operam dedit; nec prius ad rempublicam accessit, quam a Deo, industria Gabrielis principis fratris mediante, honoribus et opibus auctus, ad tantum dignitatis fastigium eveheretur.

At Gabriel altiores ab ineunte aetate gerens spiritus, juvenis eloquens, audax, confidens, et nihil non spe praeconcipiens c), militaribus studiis se totum addixit, ideoque se in aulam Sigismundi Báthorei, fatalis regni hujus Transylvaniae ruinarum architecti se conferens,

---

a) Educatio Gabrielis, et Stephani Bethleniorum. b) Stephani indoles. c) Gabrielis indoles.

calamitates omnes, seditiones, cruentissimas pugnas, exterorum dominium et tyrannidem non duntaxat otiosis spectavit oculis; verum etiam iis omnibus bellis, quae pro restitutione libertatis et jurium patriae, et depellendo cervicibus civium inusitato exterorum dominio, suscipiebantur, distractis et impignoratis omnibus fere opibus, interfuit, imo celeberrimo cum nominis sui honore praefuit. Nam cum nostri principes quovis Oreste aut Atlante furiosiores, spreta concordia, quae regnum hoc continuis obnoxium casibus sustentabat, pro innata quadam mentis caligine furores cogitationum suarum secuti non animadverterunt, quam firmum societatis publicae stabilimentum sit pax, publicam miseris populis quietem, orbi autem salutem inviderunt, ac divina omnia humanaque jura contemnentes, et ad privatum commodum, foedo ad omnem posteritatem flagitio cauponantes, diris cladibus regnum universum obruerunt atque involverunt, et magistratus omnes, honores, munia publica, et quidquid ad virtutem comparandam ac bene beateque vivendum opportunum erat, ipsamque adeo rempublicam exitio dederunt.

Gabriel a) noster impositam sibi inevitabili fatorum iniquitate belligerationem, arma principis Sigismundi secutus, minime declinavit, per id enim tempus Sigismundus princeps bellum in Transalpinam Valachiam antiquis Romanis Daciam ripensem dictam, quod ejus confinia ripam danubii attingerent, magno nisu adversus Turcam parabat, ei provinciae, quam sui juris et dominii dicebat, tempestivam laturus opem. Eodem siquidem tempore Michael Vajvoda se totum, provinciamque Transalpi-

a) Gabriel bello Sinano tyrocinium militiae exercet.

nam, in fidem et clientelam Sigismundi principis, certis inter se initis firmatisque pactis dederat. Quae inter ambos principes inita foedera, communicataque inter se consilia minime Turcarum Tyrannum latuerunt. Eapropter Sinanum purpuratum sanctioris Consilii, quod Divanum nuncupant, primae notae Vezirium, senem cruentum et astutum, ingentibus Orientis atque Europae viribus accinctum, Transalpinam Valachiam, provinciam sibi rebellem adoriri jubet. Nec impigre atque imperite Sinanus, quod mandatum erat, obivit, innumerabilibusque copiis Valachiam late obruit. Hic Sigismundus Michaeli clienti suo in ereptae pene provinciae finibus latitanti suppetias trahens, tempestive advenit, omnemque Transylvanicae Nobilitatis Rempublicam crudeli Tyranno felicibus objecit auspiciis. Sinanus enim, homo aetate atque astutia vetus, dux adversus Christianum nomen veteranus, tum vero Asiae Africae, atque Europae trophaeis gravis, tyronis hostis adventum minime sustinere potuit, micantes ante ora gladios coram intueri non voluit, nec orbis] terrarum onustum exercitum in certamen committere ausus est, victus, fugatus, profligatus non modo exercitum in Valachia, sed et vitam, potioremque vita dignitatem multis obitorum bellorum sudoribus collectam paucis post diebus Bizantii amisit. Haec victoria fuit ultimus Transylvaniae flos, in quo fortuna colophonem extremis ejus conatibus imposuit, ac tanquam morituram hac corona merito ornavit, ne scilicet supremo ejus funeri solamen praeclari alicujus facti et gloriae deesset. In hoc bello Gabriel viginti quinque annorum adolescens, armatis equitibus publicam salutem adjuvit, partasque praeclara genitoris virtute opes in militiae munia, militesque libenter impendit, paratus, si ita necessitas tulisset, non solum fortunam, sed etiam vitam pro patria ponere.

Quo quidem tempore, magnorum laborum, multarumque vigiliarum fructum cepit hinc vel maximum, quod a Sigismundo principe succenturiatisque aliis ducibus eximiam praeclarae indolis laudem retulit, et ad majores honorum gradus viam sibi in posterum patefecit.

Girgio Turcarum arx, in citeriore Danubii ripa, veluti compedes Daciae ripensi imposita, cum in eodem bello Casparis Kornisii, et Alberti Királyi opera provinciae addenda esset, Gabriel Bethlen non solum factam impressionem praesentia sua, fortibusque ausis promovit, sed etiam compluribus e nobilitate tyrocinia militiae, ac tanquam incunabula virtutis in illis ipsis castris ponentibus, ad obeundos militae labores auctor, admonitorque exstitit, cujus virtutem cum summo primorum quorumcunque ducum testimonio conjunctam, alia quoque praelia in Transylvania et Hungaria gesta testantur. Quibus tametsi non omnibus praefuit, neque enim illud aetas illa ejus patiebatur, omnibus certe laudabili interfuit effectu. Nam et Borbeliano bello cum Solimannus purpuratus Tömösváriensis octo millibus armatorum instructus ad solvendam obsidionem Fatziadi accurrisset, communem cum caeteris magnatibus operam in profligandum hostem contulit, unde Borbelus, duobus saltem millibus instructus, purpuratum late fusum, non solum Tömösvárum refugere, sed et intra suam cuticulam diu manere coëgit, nec sane postea barbarus Officialis fines Transylvaniae attrectare est ausus. Et in expugnatione arcium Lippae et Jenö, optimi patriae filii officio, et strenui militis munere perfunctus est. Sicut autem in secundis patriae, rebus nunquam suo defuit officio, ita et in adversis summa cura, attentione animi, vigilantia, et labore effecit, ne quid majoribus suis indignum, aut a propria virtute indoleque alie-

num committeret. Andreae ergo Cardinali, a) etiamsi resignatum a Sigismundo principatum non ea cura et diligentia, quam fluctantis regni conditio requirebat, administranti fideliter adhaesit; in eo siquidem rerum statu, id in primis in rem patriae conducere arbitrabatur, si Christianus et Ungarus princeps Transsylvaniae praeesset. Sed fatalis illa annorum climax, quae non solum in hominibus, sed et regnorum conversionibus septenariis et novenariis in sese ductis, nunquam sine ingenti aliquo periculo et clade advenire solet, etiam huic regno jam ingruerat; cujus fati vim ipsi nostri principes inconsiderantissima ac dementissima temeritate ad exitium suum ac reipublicae maturaverant. Quamobrem principis Sigismundi quovis Vertumno et Polypo inconstantioris furoribus non nihil liberatus regni status, Michaeli Vayvodae Valacho vaferrimo in praedam cessit. Ille enim non obscure subodoratus mutabilem subinde regni hujus principatum prae vertiginoso inconstantis juvenis consilio, novis vicissitudinibus laborare; suis rationibus quam maxime proficuum esse duxit, si constantiore regimine ipse eum firmaret. Jam enim Transylvania furiosi Orestis Sigismundi gladio caesis optimatibus debilitata viribus et consilio, casus suos non videbat, et tanquam occasui suo proximus phreneticus et potestate mentis exutus, dolores suos non sentiebat. Aggreditur igitur Annibal Valachus non Scipionem, aut Fabium dictatorem, b) sed sacerdotem, devotionibus deditum, ac veluti ruituram sua mole columnam, et male materiatum aedificium facile est delere; ita robustus latro contemplationibus vacantem sacer-

---

a) Andreae Cardinali contra Valachum adhaeret. b) Hic voces circiter 8. a Censura Budensi deletae sunt. Nota Ed.

dotem non difficile potuit insidiis occupare. Cliens paulo ante pedem ubi poneret, nisi Transylvanorum beneficio, non habens, regnum parentem suae fortunae hostiliter invadit, nec tamen spes erat voti compotem illum futurum, ni fraudem Lysandrinam Valachus viribus integris addidisset, ovemque simulans, vulpem simul et lupum egisset. Hic Andreas Cardinalis conspicuis animi corporisque dotibus insignis, et copiosa humaniorum artium supellectile dives, ne videretur olenti a capris et haedis Valacho cedere, militarem quam conflare potuit nobilitatis manum, ut in re inopinata, illi ad Cibinium objecit. Sed non poterat inevitabilis fatorum lex humana providentia mutari. Jam dudum aetatem ruinamque minitans regnum tandem ruit, et vindicta innoxii sangvinis effusi etiam familiam tacitis subsequitur passibus. a) Ergo Cardinalis b) nobilis, quo honestius periret, tantique casus solamen aliquod in ipsa morte haberet, non a caprariis opilionibus, et subulcis Valachis, sed a suis gentibus, Siculis nimirum et Ungaris, quos obsequio sibi obligatos esse rebatur, et fusus, et caesus est. Exercitum, vitam, ac regnum, una, eademque clade amisit. Enim vero sicut Actaeon non a lupis et leonibus, sed a suis canibus laceratus est, ita complures domini a servis suis saepius quam a juratis hostibus perierunt. In hac communi omnium regnicolarum ruina, quia non erat unius juvenis, quantumvis bellicosi, fatalem cladem a cervice patriae avertere; Gabriel ea animi excelsi magnitudine et robore se gessit, ut accepto vulnere, dimidium vitae in acie reliquerit, reliquum autem sangvinis ad meliora patriae tempora reservarit. Sed oppressis licet hoc mo-

a) Alter Cod. habet: sangvinis etiam familiam effundentis. b) Andreas Cardinalis occumbit.

do rebus Transylvanicis, cum jam Valachus insolentissimus latro, omnium vitae et fortunis insidiaretur, et digito coelum contingere sibi videretur, non defuit probis patriae civibus propitia fortuna, quae nefarium et pestilentissimum Tyrannum, trium regnorum titulo non minus sceleratum, quam ambitiose tumentum ex non opinato supplantaret. In ipsis enim regni visceribus duce et authore Stephano Csákio conspiratione ab universa nobilitate facta, exitialis Valachus veluti sidere afflatus, omnium simul regnorum possessione, una eademque accepta clade exutus est, multaque Valachorum, Siculorum, Thracum, Polonorum et promiscuorum latronum millia in acervos congesta aeternum suae ruinae monumentum apud Miriszló pagum ad ripam Marusii reliquit. Hic quoque Gabriel eas partes, eamque causam secutus est, in quam tota patria, ipsaque adeo pietas et honestas una consenserant; quo in praelio bene fundatus videri poterat Transylvaniae status, nisi constantia et fides eos potissimum deseruisset, penes quos servandae et fidei, et patriae potestas sita erat. Verum fatis non tantum consentientibus, sed omnino trahentibus traditur clavus regni Sigismundo Báthori, Palinuro furenti rursus regendus, non ita pridem gubernaculis excusso, et ne nunc quidem in officio diu permansuro. Qua in re non minus spes ipsos proceres, qui authores ejus e Moldavia reducendi erant, dereliquit, quam ipsi fidem paulo ante Germanico Caesari Rudolpho datam deseruerant. Et jam pendebat ad ruinam regnum, veluti gemmea matutini roris gutta vix summis herbae apicibus conglobato in se orbe inhaerens, qui cum vix suos ipse casus sustineat, attamen involare non veretur vicinum humorem, cujus accessione mox suam gravitatem praecipitet. Jocatum hactenus, lusumque cladibus videri poterat prae hac, quam Deus immortalis, acerrimus perfidiae nostrorum

procerum ultor, Georgio Basta operante Transylvanorum capitibus inflixit, prorsus, ut non in artus regni exsangves, sed in ipsa vitalia, in quibus summa vitae consistit, telum adegerit. Sed enimvero ad fatalem regni conversionem, furore principis nefario accedente, diutius durare Transylvania non poterat, et quia ultima obitus et occasus sui tempora advenerant, eo etiam debiliores habebat ad sustinendum casum suum virtutes, non secus atque capularis senex victus, edentulus, exsangvis, et inermis, ab aetate tandem potius, quam a morbo prosternitur. Ergo male propitiata Minerva, imo palladio, sapientia, et prudentia e medio Transylvaniae interemtis, superioribus temporibus consultissimis regni senatoribus sublatis, vesanus princeps ad devotionem Turcici Tyranni, quem paulo ante etiam caede procerum optimorum indigna, et aerarii expilatione inconsulte deseruerat, veluti sus ad coenum, impudenter regreditur, et omnibus sanis consiliis, atque adeo ipso Deo a salute Transylvaniae averso, exercitum nobilitatis delectum, qui ante Sinano in Transalpina Valachia, et Valacho Tyranno oppositus erat, adversus Caesaris Romanorum Rudolphi, parentis et protectoris sui copias, atque adeo adversus nomen Christianum in regione Szilágyiensi ad fatalem pagum Gorószló ducit. Sed hic quoque infelix infelicis navigii gubernator, regendi imperitus, tempestatibus cedens, a) iterum puppi excutitur, stratus ingenti procella exercitus, et vix ubi ejus reliquiae a clade respirarent, latebras in Transylvania invenerunt. Ipse Gabriel, omni suo satellitio, quod 50 equitibus constabat, amisso, e foeda popularium suorum caede, non sine divina providentia elabitur, nempe ne deesset, qui publicam ruinam fulci-

a) Clades Transylvanorum ad Gorószló.

mento aliquo postmodum sublevaret. Itaque quod Deus, quod necessitas, quod fortuna suggerebat, desperatis fere rebus Coronam se cum suo principe recepit, ubi Sigismundus degeneri perculsus metu, et ad cujuslibet venti flatum pallium obvertere asvetus, perfidiae perfidiam addere, a Turca deficere, atque ad idem foedus, easdemque pacis conditiones, quas superioribus paulo annis cum Rudolpho Caesare pepigerat, penitus se aggregare constituit. Nec destituisset voluntatem eventus, nisi Moyses Siculus summum honoris locum apud Sigismundum hunc adeptus, et a Germanicis factionibus plurimum aversus, haec molienti, atque secum agitanti Sigismundo, summa contentione intercessisset. Nihilominus postea Sigismundus in certas inducias cum Basta convenit, quibus non tantopere pax incepta, quam cessatum a bello aliquantum videbatur. Utque consilia ad tradendum Germano regnum magis procederent, ea clam senatores esse Sigismundus voluit, ac nunc ad Germanum, nunc ad Turcam ancipitibus cogitationibus spem extendere occepit. Nec veritus est eodem simul tempore inconstantissimus Acastor, alios ad Germanorum imperatorem, alios autem ad summum Turcarum Vezirium Hazanem cognomento Gienischi a) e numero novitiorum senatorum amandare, ut quorum corpora nondum in civili laniena amiserat, conscientia eorum ad turpem et nefarium quaestum abuteretur. Itaque ut palam ostenderet, se deinceps cum imperatore Orientis minime fucatam colere velle amicitiam, ab Hazane vezirio notabilem auri vim emungit, et ex publicis miseriis privatum quaestum patriae parricida exercet. Ex adverso autem Moysen Siculum, in cujus contubernium se Gabriel Bethlen insinuaverat, Ge-

a) Alter Cod. habet: Keniiski.

orgio Bastae, qui ex clancularia compositione jam Transylvania potitus erat, cum reliquiis Nobilitatis opponit. Ergo Moyses a) et Bethlen astutia veteratoris Sigismundi decepti, cum 1300. Equitibus exercitatissimis, Germanici Imperatoris copiis ad Vivarium b) Alba Julianum occurrunt, et licet intrepida fortissimaque facta impressione, dubio aliquamdiu Marte ex utraque parte pugnatum esset, numero tamen Moysiani, non virtute victi, circumventi sunt, adeo ut non praelio, sed jam bello infamis Sigismundi inconstantia victa esse videretur: ideoque regnum per manus, uti inter eos clam convenerat, Sigismundus Georgio Basta c) in arce Devana tradit, et ipse in designatum, ubi vitam degeret, locum discessit; seque totum Imperatoris Rudolphi fidei ac clientelae submittit. Hic fuit finis Principatus Vertumni Sigismundi Báthorei, qui tam clarae familiae opprobrium, et notabile dedecus, Regni Transylvaniae lumina, quorum ope et sapientia ipse, et Respublica stabant, pene ad unum omnia exstinxit, cujus parem crudelitatem a condito Imperii Transylvanici aevo nullam unquam reperio. Ejus atrocitas nihil a Syllana et Mariana differt, praeterquam numero, clade sane et pernicie major. Iis sublatis in Turcarum bellum se furentis instar belluae ingurgitans, cum non haberet, unde alimenta profusioni, promiscuae libidini et bello tanquam vastanti incendio suppeditaret, patriam Germano mancipavit, ac per vices illi subtraxit: altum interea oscitantibus, et levitati furorique ejus suffragantibus minorum gentium, qui cladibus supererant, proceribus. Hic furor oceanum malorum toti regno superfudit. Nam

---

a) Bello Moysiano Gabriel adversus Germanos. b) Alter Codex habet: Vjvarium. c) Sigismundus regnum Bastae tradit, et fugit.

Moyses Siculus et Gabriel Bethlen, postquam e Sigismundi Maeandris cum praesenti vitae periculo conjunctis eluctati sunt, a Sigismundo jam captivo, remissionem juramenti et obedientiae obtinentes, simulque advertentes, in Comitiis armatis Devensibus Bastam indignantem, praesentem nobilitati caedem, qui se armis ejus opposuerant, intentare, rapinas, latrocinia, et foedam inusitatamque Caesariani exercitus licentiam aversantes, quod perpenderent, amissa semel libertate, nihil esse quod amplius sperent, se se magno nobilitatis numero adjuncto, sub patrocinium Orientalis imperatoris receperunt. Moyses a) enim et Gabriel, longe a Sigismundi rationibus remotiores, Codros, Brutos, Decios, Horatios sibi exemplo proponere constituerant, qui pro Patria a servitute vindicanda atque conservanda, non solum operam, sed etiam vitam ponere non dubitaverunt. Alta enim mentis indagine pensitantes, quanta in exterorum Dominio inesset atrocitas, viri graves, fortis et constantis animi non sunt in rebus asperis perturbati, nec de gradu dignitatis dejici se passi sunt, verum praesentis animi usi consilio, pulchrum et honestum esse duxerunt, si quod omni animantium generi a natura tributum est, ut se vitam corpusque tueatur, declinetque ea, quae nocitura videntur, omniaque, quaecunque ad vivendum sunt necessaria, inquirat et praeparet, ut pastum et latibula, eo sibi in rebus difficillimis remedio esset utendum. Tametsi enim negandum non est, in maximis animis splendidissimisque ingeniis plerumque exsistere honoris, imperii, potentiae, et gloriae cupiditates, nihilominus

---

a) Moyses Siculus et Gabriel Bethlen se Bastae opponunt.

sepositis iis affectibus, tanta a natura Moysi et Gabrieli etiam privatis fuit adsignata gravitas, eamque ipsi perpetua in omnibus bellicis expeditionibus constantia adeo roborarunt, ut semper in proposito susceptoque consilio permanerent, et mori potius, quam sceleratissimi Hispani Tyranni vultum aspicere vellent. Lugebant orbitatem patriae, quae ab ipso Deo, hominumque patrocinio derelicta esse videbatur. Ideoque Moyses necessitatem urgentem in arduis rebus reginam secutus, Turcica auxilia coegit et Begum purpuratum Tömösváriensem in societatem malis avibus inchoatae expeditionis trahens, videbatur non ignaviter extremam manum bello Transylvanico impositurus, nisi in nassam, unde, et a quo minime putaverat, ex nec opinato, una cum suis omnibus praecipitatus fuisset. Deo enim immortali reluctante, et fatalem calamitatem, poenam praecedentium peccatorum nostrorum, cervicibus nostris immittente, frustra actiones, sententias, conatusque nostros, ad eum exitum, qui a nobis propositus est, trahere contendimus. Fallunt nos saepe numero consilia nostra, quantumvis accuratis deliberationibus inita, nec quidquam est tam ab animis nostris remotum, quam certa praenotio futuri.

Quare Moyses a) a Valacho Radulone, qui interposita arctissima juris jurandi religione socium se adversus Bastae Tyrannidem futurum spoponderat, ex nec opinato proditus apud Coronam, fususque est; et non tantum vitam suam, quam naturae debuit, humanae sorti reddidit, sed et omnes suos, universum Nobilitatis Transylvanicae florem, totamque adeo patriam pene in ipso limine infelicis expeditionis pessum dedit. Hic ad ipsum provinciae cor exoticum

---

a) Proditio Moysis Siculi et caedes.

penetravit ferrum, nec tantum vulnera, ut saepe alias, sed extremum accepit exitium, cui ne salus quidem ipsa auxilii aliquid adferre posse videbatur.

Gabriel autem ne eadem belli voragine hauriretur, amica fati vis intercessit, quae talem virum, Deo atque hominibus acceptissimum patriae suae, quae vix jam animum trahebat, superstitem conservavit. In ipso enim praelii ardore, cum animadverteret exercitum proditum et circumventum, cohortans centuriones suos, globo facto erupit, et instantissima cogente necessitate, cum plurimis aliis nobilibus viris luctuosissimae cladis reliquiis Tömösvárum se contulit, et ab exercitu, qui cladi supererat Generalis Capitaneus declaratus est; a nobilitate autem Transylvanica, unico repugnante Balthasare scilicet Szilvásio, a) cum quo ei veteres intercedebant inimicitiae, princeps Transylvaniae juvenili non obstante aetate salutatus est. Tametsi autem in militari licentia raram esse modestiam, juvenili praecipue fervore instigante constet; nihilominus ea animi moderatione delato sibi honore usus est, ut numquam principis titulum admitteret, nedum absque singulari Dei nutu atque moderamine ad Reipublicae habenas moderandas accederet. Et licet Botskaio Provinciam repetenti adeo charus atque gratus esset, ut ipsius opera in conciliandis Turcarum animis non duntaxat uteretur, verum etiam provinciae regimen ultro eidem offerret; Bethlen tamen pluris modesti animi commendationem, quam inusitatam patriaeque exitiosam ambitionem faciens, maluit providentiae Divinae, et inevitabili Divinae mentis voluntati se commodiori in tempore committere; quam

civi-

---

a) Gabriel Bethlen princeps Transylvaniae salutatur.

civilibus discordiis et intestinis seditionibus patriam pene exanimem metu involvere, semet autem nondum aetate consilioque maturum, auctoritati duntaxat militari, quae quovis Polypo et angvilla mutabilior est, innixum, in fatale et inevitabile discrimen praecipitare.

Ergo communicato duntaxat cum Botskaio, Heroe sibi ab omnibus virtutibus commendatissimo, consilio, author fuit adversus Germanicam tyrannidem arma ultricia sumendi, et patriam sub duro alienigenarum dominio gementem, imo extremum trahentem spiritum repetendi. Delatos autem sibi honores non veritus est Botskaio, qui in regione Bihariensi arces et opulentissima possidebat latifundia, recommendare; ideoque apud Vezirium Budensem, eum a fidelitate et charitate in patriam, et militaris disciplinae tractatione, infensoque in Germanorum crudelitatem odio, commendare non cessabat, tanta dicendi libertate, ut eos in societatem susceptae a Botskaio expeditionis traheret. Quo autem opportunius clam inita confoederatio procederet, scriptis ad Botskaium litteris, quid fieri vellet, ostendit; nimirum: ut conscripto de repente ex omni Natione Pannonica, quae reformatam ex verbo Dei Religionem sequeretur, exercitu, confisus de divini auxilii praesentia audacter infestis signis, adversus Joannem Jacobum Barbianum, qui ad persequendum nomen Christianum, quod a Romana Ecclesia dissentiret, venire nunciaretur, moveret. Ipse alia via cum Becta, purpurato Tömösváriensi, arcem Lippam, aut vi, aut deditione, quam procedere magis rebatur, occuparet, et viam sibi in Transylvaniam aperiret.

Erat eo temporis Lippae praesidii Germanici Praefectus Henricus Düvallus Comes Dampieriensis, Lotharingus, Hungarici autem Ludovicus Rákótzius, duces domi militiaeque cla-

rissimi, qui summa animorum concordia, sub auspiciis Rudolphi Imperatoris rem militarem administrabant, et studio intentissimo, ne quid detrimenti Respublica Transylvanica a finitimis Turcis acciperet, curabant. Hi minime vano subintelligentes rumore, Gabrielem Bethlen et Bectam purpuratum prope suburbia Temesiensia, cis fluvium Temesum cum exercitu consedisse, et aut Lippam obsidione cingere, aut Transylvaniam invadere in animo habere; communicato cum Centurionibus consilio, Blasium Lippaium peditum Tribunum nominanter compellaverunt, eique in mandatis dederunt, ut prima noctis vigilia, cum suis imperium expectaret. Is autem ad quinque millia sub suis signis habebat, et equites etiam accessere satis valido numero. Igitur idoneis viae ducibus usi intempesta nocte ad locum, ubi Bectes et Bethlen castra metati fuerant, perveniunt, et eos inprimis, qui excubias parum diligenter obibant, caedunt, tergisque fugientium inhaerentes, effuso in ipsa castra feruntur cursu, ubi ingentem omnium animis a) injicientes trepidationem, et militarem inconditumque variis in locis attollentes clamorem, promovente negotium coeca noctis caligine, caedibus omnia fere tentoria repleverunt. Bethlen autem et Bectes seminudi, et semisomnes, arrepto singulo gladio, Temesium fluvium natando superarunt, et in tutiorem locum, exercitum cladibus Caesareanorum relinquendo, se receperunt. Post acceptam autem cladem, cum dives Bethlenii suppellex in tentorio reperta, sub voce praeconis auctionarii veniret, et simul vestis interior purpurea publicaretur, forte in marsupio ejusdem inventae sunt litterae, quae mutuam Botskaii et Bethlenii cointelligentiam continebant, eaeque illico

---

a) Gabriel Bethlen ad Tömösvárum profligatur.

per idoneos tabellarios ad Barbianum missae sunt.

At Bethlen adversa hac fortuna, quae reliquum vitae tempus nobiliori industria transigendum esse informaret, minime animo fractus Botskaium quidem, qua occasione fraudulentis Caesareanorum technis, litteras mutuorum consiliorum conscias amisisset, admonuit, et ut eo majori intentiorique vigilantia conceptam expeditionem pro Religione, et Patriae libertate susciperet, serio cohortatus est; cui cum omnia ex animi cessissent sententia, Bethlen cum 400. equitibus, ducibus Francisco Rhédeio, et Andrea Csomagozio primum relicto Tömösváro Kerekviam venit, deinde aliquot dierum spatium quieti sociorum veluti ex naufragio receptorum concedens, ad Stephanum Botskaium, rerum jam Transylvanicarum et partium Hungariae potitum Cassoviam pervenit, anno Domini 1605. mense Aprili, apud quem eximium obtinens honoris locum, multis opibus et fructuosis latifundiis cohonestatur, et perpetuus Comes Comitatus Hunyadiensis, a) quem Johannes ille Corvinus Hunyadinus athleta Christi fortissimus, et Matthias Corvinus filius ejus Hungariae et Bohemiae Rex gloriosae reminiscentiae natale solum habuerunt, creatus est, et ut magnanimi juvenis generosum animum nobiliori aliquo posset sibi obnoxium reddere beneficii specimine, Susannam Carolianam b) Ladislai ex Clara Zrinyi c) filiam, spectatae venustatis, et integerrimae pudicitiae dotibus redimitam virginem, sibi autem etiam sangvinis necessitudine junctam eidem in conjugem dare

R 2

a) Gabriel Bethlen Comes de Hunyad. b) Sic Cod. Nempe Susannam Károlyi. c) Alter Codex habet: Syni.

operae pretium esse duxit. Et quoniam beneficiorum et honorum amplitudo non duntaxat servilia, verum etiam ingenuae, et exquisitae virtutis commendatione clarissima ingenia ad strictiorem fidelitatem et rés fortiter praeclareque gerendas incitare solet; omnibus Botskaii bellicis expeditionibus non interfuit solum, verum etiam foecundiori nominis sui gloria praeesse non dubitavit. Nam et in pugna ad Edelenum Praefectus Rorariorum adeo pertinaciter cum hoste Georgio Basta callido magis, quam pugnace duce conflixit, ut nisi nebulis oculorum aciem fallentibus versutus dux fraudes bellicas obtexisset, iisque nostrorum pugnandi ardorem extinxisset; vel unius Bethlenii ad retundendam Germanicam superbiam nati virtute, laetissima Botskaius victoria potitus fuisset. Ideoque eum et in legationibus ad purpuratos finitimos, et ad Portam Orientalis Imperatoris fulgidissimam saepe adhibuit, et ardua Regni negotia exploratae ipsius fidei ea concredidit confidentia, ut merito pacis et concordiae inter duos potentissimos Orientis et Occidentis Imperatores caduceator summus et interpres nuncupari posset. Missus etiam ab eodem Botskaio cum sex hastatorum millibus ad opem Jeremiae Vojvodae Moldaviae ferendam. Cum enim is a popularibus rebellibus, et finitimis Polonis in quieto provinciae suae statu molestaretur, et jure foederis recenter initi copias auxiliares a Botskaio flagitaret, solus Gabriel Bethlen juvenis agilis et expertus repertus, qui ad feritatem et immanitatem illam rebellium barbarorum domandam amandaretur. Qui ideoneis acceptis itineris ducibus solo nominis terrore barbaros in officio continuit, et a Vajvoda praesenti exemto periculo, multo auro, regalibusque est cohonestatus donariis. Ipso vero ex Moldavia redeunte, paucis post diebus nefario Michaelis

Kátai toxico Stephanus Botskaius a) (qui antequam moreretur, Sigismundum Rákótzium, virum bello Turcico, et praefectura Agriensi nobilem, Transylvaniae titulo Gubernatoris praefecerat) e medio sublatus est. Cujus mortem Gabriel, ut acerbo ferebat animo, ita alienum a Transylvania virum, utpote: morum, rituum, legumque patriarum expertem, et cujus manus et pedes ministerio proprio instar trunci destituti essent, sibi in regni gubernatione esse praelatum, qui alias unum Botskaium suae virtuti praetulisset, indignum facinus esse rebatur. Igitur alienum semper a Rákótzio gerens animum, honesto sub praetextu, quasi parum ab eodem pro dignitate et virtute sua tractaretur, publice petita venia, ad Gabrielem Báthoreum, qui in arce sua Etsedina partarum ab avis, proavisque innumerabilium opum haeres late dominabatur, aemulum et competitorem Rákótzii se contulit.

Erat Gabriel Báthoreus Stephani Báthorei Somlyaiani, qui temporibus Sigismundi Principis b) metu imminentis, et indigni supplicii in Pannoniam transfugerat, ex Margaretha Majlád filius, qui in tenera aetate, utroque orbatus parente, in spem et haeredem amplissimarum et regalium opum a Stephano Báthoreo avunculo, liberorum utriusque sexus solatio destituto in liberalibus artibus, et exquisita morum disciplina educatus fuerat, a quo etiam postremo disponente haeres tantarum opum, quantae tertiam Hungariae partem aequarent, ex asse nuncupatus erat. Is in aula Botskaii, juvenis ferox, inquietus, et versatilis ingenii, in familiaritatem et contubernium Bethlenii, aliorumque nonnullorum, quorum opera ad regnum se pervenire posse confidebat, se insinuaverat. Largi-

---

a) Mors Stephani Botskai. b) Gabrielis Báthori parentes.

tionibus multis, et profusa conviviorum licentia, quam sicophantae aulici perperam liberalitatis velamine obtegunt, adeo omnium praefectorum et tribunorum militarium animos sibi obnoxios reddiderat, ut eum per factionem regnaturum etiam agricolae vociferarentur. Ad eum igitur Bethlen fortunae suae adsertorem perveniens, liberali vultu, et incredibili laetitiae significatione exceptus est, copiis aulicis praefectus, et pro singulari benevolentiae significatione oppido Aranyas-Medgyes, donativo jure investitus. Certa enim spes Báthoreum alebat, aut hunc, aut neminem alium Sigismundum Rákótzium, quem stipitem principem, novarum rerum avidi vocitabant, regimine Transylvaniae excussurum. Ergo communicato cum Joanne Imrefio, et Andrea, cognomento Magno, consilio, placuit, ut Imrefius, veteranus Báthoreorum alumnus, Rákótzium, modis, et rationibus omnibus eo perduceret, ut habita propriae infirmitatis ratione, sponte se regno abdicaret, et arces duas Sárosium et Szathmárium a) in remunerationem laboris hactenus in administrationem impensi acciperet, Andreas autem Magnus Hajdones, milites, ex promiscua hominum colluvie nuper inauctoratos, ad fidem Báthoreo praestandam compelleret, Gabriel vero Bethlen officii causa in Transylvaniam penetrans, distributis proceribus litteris Báthorei, cum multa officiorum et clementiae commendatione exaratis, daret operam, ut eorum animi et voluntates cum propensa benevolentiae declaratione in potestate essent. Quae omnia praestita, sed diverso eventu. Nam Gabriel Bethlen summa in Báthoreum animi propensione, et benevolentia ductus, quod re-

a) Alter Codex habet: Magnoviza et Szádvara. Alibi rectius: Sárosium et Szadvara.

minisceretur a Báthoreis principibus genitorem suum summo semper loco habitum, difficiliorem acquirendi principatus modum, in se haud gravatim adsumens, in notabile se se conjecit vitae discrimen. Scriptis enim ad unumquemque etiam ex minorum gentium proceribus nomine Báthorei literis, grandem literarum cumulum Claudiopolim, ubi eo temporis Comitia Regni celebrabantur, attulit; quas quidem literas, proceribus in ardua Regni necessitate praesentibus, non duntaxat distribuere ausus est, verum etiam unumquemque prensare, et nominanter multa clementiae et largitionis Báthorei oblatione, amplissimis compellare verbis, non reformidavit. Imo palam confessus est, indignum facinus esse, effoetum et viribus omnibus exhaustum senem, utpote cujus nec manus nec pedes officio suo fungerentur, stipitis instar, tam nobili Provinciae praeesse. Transylvaniam alium Dominum, vigilantem, liberalem et regnicolis acceptissimum requirere; solum autem esse Gabrielem Báthoreum, prisca majorum suorum, qui toties sangvinem pro patria fuderant, sede dignum, solum ex Regia stirpe, et priorum Principum familia oriundum, provinciam jure quodam proprio successorio merito repetere. Quod si in statu Regni tranquillo non consequeretur, id ipsum primum apud Portam fulgentem obtineret, deinde amicorum copiis, quas frequentes extra Regnum haberet, Regni habenas jure sibi debitas apprehenderet. His similia cum gravi verborum apparatu privatim Bethlen procerum animis multa instillaret, eosque a novis rebus et excludendo Rákótzio, utpote qui omnes pene beneficiarii Báthoreorum Principum fuissent, non omnino alienos animadvertisset, e Comitiis se subduxit, et ad eos ad partes Báthorei trahendos, qui absentes erant, maxime ad Siculorum proceres novarum plerumque rerum studiosos pergere

instituit. Eo ex itinere Thordam nobile Salis-fodinae oppidum, reficiendi sui, suorumque gratia divertit. Quae res simulac ad aures Rákótzii senis, natura meticulosi et suspicacis, per idoneum rerum suarum administratorem Stephanum Barnach, a) cujus ministerio aurum omne et proventus Regni in propriam transmittebat ditionem, pervenit; misso exercitu Gabrielem Bethlen Thordae b) commorantem, deprehendit, eumque sub fideli custodia Claudiopolim deducendum curans, in catenas et compedes conjecit, ita tamen, ut in liberaliori palatio sejunctim custoditum, alias pro dignitate tractaret. c) Ita dum de alieno sollicitus est honore, ipsemet in praesentissimum incurrit vitae discrimen. Nam plurimis litterarum fasciculis apud eum deprehensis, cum non haberet, unde purgationis suae argumenta depromeret, praeterquam quod authoritate Báthorei venisset, et nonnullorum, qui ad Báthoreum clanculariis nunciis usi fuissent, Regni procerum instigatione et invitatione eo audaciae processisset; Rákótzius Centumvirali judicio (capitis eum, laesaeque Majestatis reum peragente Joanne quodam Horváth rabula forensi) statuit de eo supplicium sumere. Verum consultissimus senex redarguens inpraesentiarum juvenilem Bethleni temeritatem, quod praevideret eum in arduis patriae necessitatibus bonum patriae civem et defensorem futurum, maxime autem Gabrielis Báthorei, et consangvineorum Bethleni, Siculorumque procerum, ad seditionem fere spectantium intercessione motus, maluit pertinaciae eorum cedere, quam postremum aetatis et principatus sui terminum nobili florentissimi juvenis sangvine claudere. Ergo vinculis exemtum,

---

a) Alter Cod. rectius Bernát. b) Gabriel Bethlen Thordae capitur. c) Periclitatur.

libere dimisit, dimissum autem in publicis regni comitiis, pium, et bonum patriae civem, vita comite futurum spondere coëgit.

Dum haec ita geruntur, senex Sigismundus Rákótzius a) vir maturioris judicii et consilii, minime vanis ex conjecturis subodoratus, animum non solum Gabrielis Bethleni, verum etiam omnium pene procerum a se se aversum, factionem autem Báthorei in dies subinde majores acquirere vires, et quod intelligeret, se viribus exhaustum, bello, cum juvene vigente ac florente minime contendere posse, potissimum autem nollet in hac senili et morti proxima aetate sua, provinciam afflictam, intestino magis adfligere bello, et momentaneum suum dominium sangvine provincialium stabilire, statuit regno sponte abdicato, ad aedes proprias, quas Szerentsini magnificas et excultas habebat, quietioris vitae desiderio tactus, acceptis in remunerationem laboris sui arcibus Sárosio et Szathmáro, b) concedere.

Quod Gabrieli Bethlen ad secundiorem rerum suarum successum non exiguum conciliavit momentum. Is enim collato cum regni proceribus consilio, Gabrielem Báthoreum ultimum familiae suae decus, sub cujus regimine adflictus tot bellorum tempestatibus provinciae status reviviscere, et reflorescere putabatur, velluti puerum Junonium, ex arce sua Etsedia, publica authoritate evocat, c) venienti cum delectis provincialium cohortibus, et exquisita gratulationis et officii contestatione, obviam progreditur, et multo cum honore solemniter Claudiopolim introductum, votis caeterorum etiam procerum consentientibus, principem Transylva-

---

a) Sigismundus Rákótzius Ppatu se abdicat. b) Alii Codd. rectius: Sárosio et Szádvara. c) Gabriel Báthori principatum Transylvaniae apprehendit.

niae salutat, a quo vicissim trium sedium Siculicalium, Csik, Gyergyó et Kászon capitaneus supremus declaratur.

Verum enimvero ut temporis in profundo Oceano serenitatem, saepe nubes, procellae, adversae tempestates, et aestus, ab imo arenam excientes, subsequuntur, qui navigantibus non modo paucorum dierum moram, sed etiam praesentissimum solent conciliare naufragium, ita laeta, et cupidius excepta mortalium expectatio, funestiori plerumque solet claudi catastrophe. Junonius namque puer, a quo tanta Reipublicae salus sperabatur, derepente in Bachum a) et Priapum venereum novo atque inusitato metamorphoseos genere transmutatus, nobili meretrici, cui Catharina Török nomen erat, b) se totum addixit, et dies noctesque proventus principales pergraecando, regni negotia foedae cupiditati, libidinibusque nefandis non duntaxat postposuit, verum etiam primum omnium seposito Dei, hominumque timore, provincialium, quorum cubicula nocturno perreptabat tempore, conjuges virginesque impudice contrectabat, aut sceleratissimo opprimebat animo, sibi infensissimos reddidit; deinde ad caedem furentis instar Orestis conversus, alios gladio, multos exilio mulctabat, plurimos autem turpi Hajducorum severitate, qui ruptis legum, honestatisque repagulis, effreni licentia, ad omnia scelera ruebant, atrociter coercebat. Quae atrocitas ut commodius procederet, non veritus est clarissimorum virorum officiis abuti, unde alios ad Matthiam II., Romanorum imperatorem, alios ad Sigismundum Poloniae regem, regiminis et principatus sui prosperitatem nunciantes amandaret. Gabrielem autem Bethlen spectatissimum consilio et experientia virum ad Turcarum impe-

a) Gabrielis Báthori excessus. b) Alter Cod. habet: Cath. Ifiú.

ratorem Ahmed Sultanum a) oratorem ablegarat, qui principatus sui felicitatem, non saltem nudis extolleret verbis, sed etiam populorum omnium Transylvaniae eam in se declararet propensionem, qua principem legitimum prosequi, agnoscere et tueri deberent, simulque in mandatis dedit, ut clavum et vexillum indubitatae benevolentiae Ottomannicae signa, cum literis Athname nuncupatis impetraret. Quae omnia non minori fide, quam industria Bethlen confecit. Cui postea in Comitiis regni Bistriciensibus, anno Domini 1610 celebratis, publice gratiae amplissimis verbis actae sunt: pecuniae grandis summa ex publico numerata, arx autem Dévana in remunerationem laboris adjecta est.

Sed dum rerum istarum Bethlen pro firmiori patriae incolumitate satagit, domi Báthoreus b) indomitae instar belluae, lasciviaequae suae neque modum neque finem ponens, procerum nonnullorum Stephani Kendii Cancellarii, et Balthasaris Kórnisii, viri facie liberali, et disciplina militari, artiumque honestarum scientia, quam in Italiae luce acquisiverat, conspicui, conjuges, matronas honestissimas impudice aggressus, pudicitiam earum, non vulgari violati matrimonii suspicione contaminavit. Ideoque atrox in eum exarsit conjuratio, deliberatumque a Kendio et Kornisio est, ut magno reipublicae emolumento effrenis Tyrannus e medio tolleretur, Verumenimvero longanimitas divina, quae peccatores ad poenitentiam, prorogata non exigui temporis usura, invitat, licet demum tarditatem poenae, supplicii gravitate compenset, hic sese non tantum exeruit; sed etiam percussorum manus ad caedem extentas mirabiliter

a) Gabriel Bethlen ad Portam legatus. b) Conjuratio Kendii in Báthoreum.

prohibuit. Nam cum ei a civitate Claudiopoli comitiorum caussa proficiscendum esset Bistricium, et ex itinere ad Székum, oppidum salisfodina satis nobile, frequenti Stephani Kendii Cancellarii sui interpellatione motus, divertisset, lautumque omnibus Kendius convivium exhibuisset, et vinum etiam non petentibus aulicis quibusvis, quo minori negotio Tyrannum occuparet, subministrasset; Joannem cognomento Turcum, stabuli sui magistrum, virum intrepidum et manu promptum subornat, qui intempesta nocte, ad eum tanquam ardui quidpiam ex voluntate sua nunciaturus ingressus, ibidem verbis suis intentum, mucrone trajiceret. Verum Joannes sive conscientia facinoris territus, sive liberalitatem, (qua unica virtute militum animos sibi obnoxios reddiderat) Báthorei aucupans; sive quod magis credibile est, ab innoxii sangvinis effusione, quae lege divina severe interdicta esset, manus suas temperare volens, maluit in re turpi et dedecorosa, fidem hero suo promissam fallere, quam vel flagitiosi hominis caede se contaminare. Ergo ad Báthoreum impetrata a janitoribus venia, in cubiculum se se recipiens, postquam a) incolumitatem capiti et fortunis conciliasset, Kendii et Kornisiorum fratrum meditatum adversus eum facinus aperit; et se ministrum patrandi sceleris fuisse sacramento adactum, palam confitetur. Joannes bene sperare, et in praesentiarum tacere jussus, a suis autem complicibus, diu, multumque cum laetiori et optatissimo rei eventu expectatus, simulata diuturniori absentia, conjuratorum spem fefellit, et acrem in eisdem mora sua conscientiae stimulum excitavit. Kendius b) quidem re infecta detectum facinus, non obscuris colli-

---

a) Joannes Turcus conjurationem detegit. b) Fuga Kendianorum.

gens rationibus, Szamosujvárum versus flexis equi habenis movit: Balthasar autem et Georgius Kornisii a) dum cunctantur, a militibus Báthorei supervenientibus opprimuntur. Georgius juvenis elegans et facundus, et ea fortuna penitus indignus, in tumultu fugae simili, a Francisco Stépan sagitta primum ictus interficitur. Balthasar autem aulicae militiae Báthorei praefectus, et Siculicae nobilitatis generalis capitaneus, vivus in potestatem Báthoream perveniens, occultis Joannis Imreffi, senis versutissimi inimicitiis et dolis, caussa cadens, ad gemonias in civitate Claudiopoli scalas tractus, decollatus est. At Stephanus Kendius, Sigismundus Kornisius, Pancratius Szennyeius, Sigismundus Sarmaságius, qui conscii conjurationis, b) et fautores fuisse deprehensi sunt, quod se se cum charioribus supellectilibus ad Germanorum imperatoris partes clanculum transtulissent, publico decreto Bistricii proscripti sunt, et bona eorundem in fiscum primum redacta, benemeritis de patria collata sunt.

Gabriel interea Bethlen in dies opibus et potentia crescens, quamquam immodicas Báthorei largitiones, et profusam c) in meretrices et aulicos parasytas prodigalitatem carperet, censebat tamen principi etiam in tyrannidem propenso cum patriae tranquillitate parere potius, quam dominium ejus per rebellionem, et universalem patriae ruinam excutere. Ergo eodem tempore a fulgentissima Porta, cum eximia virtutis et fidelitatis suae commendatione reversus, supremus aulicae militiae praefectus in locum Balthasaris Kornisii suffectus est. Quo

---

a) Balthasar et Georgius Kornisii interficiuntur, reliqui Conjuratores fuga sibi consulunt. b) Conjuratores proscribuntur. c) Gabriel Bethlen supremus aulicae militiae praefectus.

magistratu ea animi moderatione, et sapientia usus est, ut semper principi suo fidelis, reipublicae utilis, apud omnes acceptissimus esse videretur.

Ideoque quantum consilio et prudentia valebat, pacem et concordiam svadere non intermittebat, et praescia animi consideratione intelligens, quantum ad tranquillum domesticarum rerum statum emolumenti adferret, cum potentioribus circum circa principibus et regibus amicam colere vicinitatem, domi autem subditis cum honore praeesse; author erat, ut duorum potentissimorem Orientis et Occidentis imperatorum tam arctissimum sibi conciliaret favorem, a quo copiosa etiam malevolorum garrulitate, et virulenta insidiatorum obtrectatione minime avelli posset. Subditis parceret, inusitatas et indignas militum rapinas compesceret; jura autem et libertates nationi Saxonicae restitueret. Sed enimvero velut phraeneticus, subita hepatis et cerebri inflammatione in furorem versus, tantopere e potestate mentis exit, ut nisi a prudentibus validis coerceatur vinculis, parum pensi habeat, utrum proximos consangvineos, aut etiam parentes, vel inimicos scelarata mactet manu, vel semet ipsum etiam in diram conjiciat perniciem: ita juvenis princeps fatali suo approximans exitio, foedae libidinis, et superbiae incendiis inflammatus, spretis inprimis sanioribus consiliis, quae sola principes viros in tuto collocant, primum domi Tyrannus, deinde apud exteros pessimus vicinorum regum et principum amicus, quae duo celerrimum ei attulerunt exitium, deprehensus est. Ad quintum enim iduum Decembris anni 1611 a) occupato per singularem Joannis Imreffi fraudem Cibinio, b) loco, ubi et adversus imminentes

---

a) Alter Codex rectius 1610. b) Bathoreus Cibinium occupat.

undique hostes pedem figere, et turpi diffluere luxuria posset, satis munito, quietem pro otio, pacem pro socordia, tranquillitatem pro inertia reputabat. Ergo crescente in dies dominandi libidine, postquam indomitae mentis elationem ambitio crudelis regnorum hostis tota occupavit: ad occupandas et clientelae suae subjiciendas ambas Valachorum regulorum ditiones primum omnium animum adjecit. Praeerat Valachiae Transalpinae Radulo quidam, cognomento Serbán; Moldaviae autem Constantinus, Stephani Reguli filius a rege Poloniae Palatinus cum authoritate dictus; verum occasio gerendae rei deerat. Commodum vero accidit, ut duo in Polonia summates Stadnitzkius et Oppolnitzkius eodem tempore, a) ob unicum in venatione occisum canem acerrimo mutuo flagrarent odio, et impetrata a rege licentia, pro more gentis mutua induerent arma. Et Stadnitzkius quidem promptus manu et alacris vir, intelligens, quantum in bello adversus magnum Moscorum Caesarem, duce Stephano rege gesto, Pannonica gens gloriae, et honoris adepta fuerit, evocatis duobus Hayducorum millibus, qui sub suis belli ductoribus, Petro et Alberto Fabriciis, Paulo Polaio, et Caspare Prémesio campestrem exercebant militiam, injuriae Oppolnitzkii canem interficientis, totis se voluit viribus opponere. Verum dum se nostri milites armant, et longinquitatem itineris emetiuntur, Stadnitzkius in insidias praecipitatus, a militibus Oppolnitzkii caesus est. Quo audito Haydones Patrono orbati, et stipendiis defraudati, populabundi per fines Poloniae in patriam reversi sunt, eamque ob caussam, quod crederentur milites fuisse Báthoreani, ab Andrea Dotzi Caesareano capitaneo Szathmáriensi, et Andrea Lónaio pub-

a) Ludicra belli occasio.

lice persequebantur. Poloni etiam Transylvaniae infensi, certo rumore audiebantur exercitum conscribere, et per Moldaviam instigante eorum audaciam Stephano Kendio in fines Transylvaniae irruptionem meditari; Stephanum Kendium Transylvaniae, Marcum Cercel Petri filium Moldaviae authoritate Romani imperatoris praeficere velle; Radulonem autem studiis Romanorum regis ad palatinatum Valachiae Transalpinae promotum et consiliorum Kendianorum Polonicorumque conscium, et occultum promotorem collegam expeditionis adjungere, junctisque viribus, oppresso primum Transylvano, arma in gentem Ottomanicam convertere decrevisse. Quae res simulac sive per idoneos nuncios, sive per simulatum quendam praetextum ad Báthoreum pervenit, maturandum sibi ratus, a) Stephanum Kakonium a primis adolescentiae suae temporibus Báthoreae domus alumnum modicis virum parentibus natum, sed fidum in omnibus, et divini, humanique juris tenacissimum, Cibinio cum imperio praefecit. Ipse exercitum ex hybernis educens, magnis itineribus via ostearia trans alpes duxit, et praemisso cum delectis equitum turmis Gabriele Bethlen, Radulonem rebus suis intentum, ex nec opinato adortus est. Qui tamen opinione celerius a suis de praesenti admonitus periculo, collectis aureis argenteisque vasis, et pretiosis supellectilibus, cum ingenti auri pondere, quod in tumultuaria evasione viri principes comitem fortunae suae adhibere solent, in unum congesto ad Moldaviae regulum Constantinum se contulit. Nostri tamen matrem Radulonis regalibus divitem gazis, auro, lapidibus pretiosis gravem in fuga assequuti, ex itinere retraxerunt. At

---

a) Báthoreus Transalpinam adgreditur.

At Bethlen ad Poliam a) usque urbem Radulonem insequutus, re infecta rediit, et ad Danubii usque ripas alia via cum justo progressus exercitu, subditos Radulonis fugam meditantes in officio continuit, repugnantes militari coërcuit industria. Báthoreus autem victorem subsequutus exercitum, Tergovistam sedem Palatinalem occupavit, et misso cum grandi criminationum pondere ad Portam Andrea Keresztesio, quem Banum Lugosi, et Karánsebesi nuncupabat, edocuit: Radulonem, quemadmodum et praedecessores ejus, apertam meditatum fuisse rebellionem; imo quemadmodum Michael Vajvoda Andream Báthoreum patruelem suum, et ipsemet Moysen Siculum, fideles Ottomanicae Portae clientes oppressissent: non minori perfidia illum, cum nonnullis transfugis et Polonis cladestina miscentem consilia, nunc facere decrevisse, nisi vigili sua cura, indefessis studiis, et multis expensis provincia exactus, consilium cum fortuna mutare coactus fuisset. Cujus rei luculentum vel eo ipso exhibuisset documentum, quod se non ad Portam fulgentem, sed ad Germanorum regem, cujus partes non obscure fovisset, contulisset. b) Orare itaque duo; primum, ut se clava et vexillo imperiali dignum Palatinatu judicaret; deinde si constaret, Radulonem in finibus Poloniae aut Moldaviae, adversus se exercitum colligere, mandaret Beglerbego Silistriensi, et Tartarorum cis flumina Boristhenem et Tyram commorantium Hano Ossoviensi, ut provinciam Moldaviae e manibus Polonorum assererent, efficerentque, ne Poloni adversus provinciam Moldaviae manus extendere auderent; se enim ideo Cibinium occupasse, ut ex eo provinciam posset defendere. Quae legatio tametsi rationabilibus niteretur causis, parum

a) Alter Codex habet: Pelyam. b) Báthori Palatinatum Valachiae frustra affectat.

tamen prospere cessit. Nam Radulo primum ad Caesarem Romanorum profectus, fertur per Caesarem Gallum, hominem versutum, Ali-Passam purpuratum Budensem, et Hazan Tömösváriensem Beglerbegum multo auro corrupisse, et coram iisdem in suam sententiam pertractis enumerasse: quibus artibus a Báthoreo circumventus, oppressus, et provincia exclusus fuisset. Qui omnia aliter per celeres Csauzios, quam internuncius Báthorei proposuerat, apud Portam enucleantes, et in tyrannidem, libidinem, et atrocem Saxonicae Nationis oppressionem, acri invehentes contentione, evicerunt, ne legatio ejus procederet; imo rei, ut putabatur, indignitate moti, quo facilius exercitum ejus ad suos lares et penates tuendos retrahere possent, junctis viribus et consiliis, non contemnendam Turcarum manum cogunt, et confinia Hajducorum ingressi, ea late populantur, incendiis et rapinis omnia complent, et libera utriusque sexus capita in servitutem adserunt. Quae res simulac per idoneos nuncios ad Hajducos pervenit, ductoribus Andrea cognomento Magno, et Joanne Szilasio, cum omnibus copiis ad conjuges et liberos protegendos in patriam redierunt, et praedia villasque Caesareanorum circa Szathmárum et Kallonem involantes, quod putarent, injurias finibus suis a Turcis illatas consilio eorum, qui Romanorum Imperatoris partibus adhaererent, patratas fuisse, non contemnendum rebus miseri populi familiaribus detrimentum inconsulti latrones intulerant. Coacto deinde rustico ad Nádudvarum concilio, decreverunt, per virtutem potius, et strenuam dimicationem viritim occumbere, quam vitam per dedecus et summam ignominiam servituti immanium Christiani nominis hostium infami subjicere. Quod nihilominus consilium effectu omni caruit. Báthoreus enim datis ad Imperatorem Turcicum litteris,

postquam de violatione foederis, et injuria militibus suis illata, multo conquestus fuisset sermone, obtinuit, ut Purpuratus Tömösváriensis, medio Vezirii Budensis, officio privaretur, atque ad reddendam facti sui rationem Byzantium amandaretur. Ita nimirum Barbarorum consilio promptissimi, larvam insipienti pro Mercurio monstrantes, et degenerem canem coram leone plagis (quod dicitur) afficientes, facile intellexerunt, furenti puero, si quo modo ad meliorem rediret frugem, subtrahendum esse ad tempus flagellum, ne integer disciplinae et institutionis ordo turbaretur. Tametsi enim is adversus tam potentem Orientis Monarcham propriis nihil posset perficere viribus, incredibilium tamen motuum, quibus divina cum humanis miscerentur, litterae Athname nuncupatae violarentur, authoritas Domus Ottomannicae labefactaretur, quod auctor et coryphaeus esse posset, non obscure hariolabantur. Non enim est difficile uni insipienti tantum incendii moliri, quanto aliquot sapientes restingvendo non sunt. Interea princeps utraque aure assentatorum aulicorum nugis oppleta, Tergovistae flagitiosis indulgens amoribus, non cessabat et aliena usurpare, et litteris largitionibusque purpuratos, qui Consistorio Imperali (quod Divanum Barbari vocant) praesident, onerare, instantissimeque postulare, ut se clava et vexillo ornatum, dignum Palatinatu judicarent. Quod ut magis obtinere posset, in litteris ad Eunuchum Gurczi Mehemetum Passam, virum aetate confectum, sed judicio acrem, et in consiliis dandis accipiendisque versatum, enumerat familiae suae claritatem, quae unica ex tot antiquissimorum Procerum, Regumque Hungariae familiis superesset, cui provinciae coronae Hungaricae subjectae, potiori jure magis, quam aliis extraneis, fidelitatem et obsequium praestare deberent: eandem unicam superesse, quae

a centum propemodum annis potentissimo Imperatori candidissima exhibuisset officia, et allegat Andream, Stephanum, Christophorum, Stephanum parentem suum, qui ob fidelitatem Imperatori praestitam exilium passus esset, Balthasarem, et Andream Cardinalem Báthoreos, qui continua serie, a fulgidissima Porta dependentem auctoritatem, et principatum obtinentes, semper se fideles praestitissent, et ab omnibus Imperatoribus gravissimis fuissent cumulati, et ornati honoribus. Subjungit praeterea, se, clientem et famulum Germanici Regis, rerum autem Ottomannicarum manifestum proditorem provincia exegisse: ideoque habita fidelitatis, et multarum expensarum, sufficientiaeque suae ratione, dignissimum esse, ut ipse Raduloni anteponeretur. Quae rationes, etsi maxima ex parte fuerunt vero consentaneae, nihilominus tamen purpuratorum nonnullorum favor, et frequentes Saxonum, quos in urbe Cibinio, armis et fortunis omnibus spolians, domesticis laribus hostilem in modum extorres fecerat, querimoniae, plus apud Portam roboris, et gratiae, quam ipsius studium invenerat, ut quos Deus immortalis, et patria exosos habent, eorum multominus apud indomitos barbaros, ullus locus habeatur. Ideoque Ibrahimus Csausius a Porta Calendis Febr. Tergovistam venit, qui spem ejus de novi honoris accessione, si non verbis, re ipsa certe irritam reddidit, exploratoque bellico inprimis ejus apparatu, simul ac animadvertit, Hajducos, potiorem exercitus Transylvanici partem, Duce Andrea Magno in patriam rediisse, postulavit, manifestiores et apertiores esse apud Portam reddendas rationes, quibus inductus Radulonem magistratu privasset. Cui cum praeter objectam Raduloni proditionem, minime satisfacere posset, longis duntaxat cum Porta expostulavit querimoniis, objiciens, quod vigore confoederationum cum po-

tentissimo Imperatore celebratarum, Passae et Begler-Begi limites Hungaricos cum praesidio tenentes, ad nutum suum singuli cum militibus suis parati esse debuissent. Quibus tametsi regni Transylvaniae statum turbulentum, et nova Radulonis rebellis, Polonorumque studia mature significasset, nullum nihilominus equitem in auxilium submisissent, sed blandis duntaxat, mellitisque verbis, de die in diem propositum differentes, regni salutem in discrimen conjecissent. Cum vero maturo consilio periculum omne antevertendum, post ruinam autem suppetias ferre aegerrimum et nimis praeposterum sit: orat principem purpuratorum, ut Passas et Beglerbegos cis-Danubianos, Tartarosque Osspovienses admoneat; qui expediti absque ulla tergiversatione, necessario tempore, auxilio esse possint; Constantinus autem Moldavus, serio admoneatur, ut se intra suos limites contineat; Radulonem neque opibus, neque copiis juvet. Orat demum, ut conscius finium Polonicorum Csauzius ad Polonos mittatur, qui Imperatoria authoritate svadeat officialibus Poloniae Regis, qui in finibus Moscoviae bellum gerere nunciaretur, ut ab injuriis, et solitis abstinerent depraedationibus: Radulonem autem, neque opibus, neque consilio, multominus copiis juvarent.

Eodem tempore et Joannes Imrefius, qui uxorem suam principi prostituerat, et a cujus ore juvenis immaturus, tanquam a sacro Delphici Apollinis Oraculo, totus dependebat, caussam eandem principi purpuratorum, non sine ementitis principis sui laudibus adulatorie commendabat: quod sit sapiens, validus, rei militaris peritus, ad defensionem regnorum sufficiens, ingenio autem subtili, ratione perfectissima, fortitudine, et mentis acumine omnibus praedecessoribus suis praeponendus, in omnibus rebus suis inceptis, vel incipiendis promptus et expeditus, in foro gravis supra aetatem

Senator, in regimine aequus et liberalis, in adversis magnanimus, periculorum contemptor, ut qui saepissime usurpare soleret: Viro forti moriendum uno die per virtutem esse, a) quam mille annos vivere, et quotidie in metu stare. Cordatus, praesaga, et sagaci praeditus mente, qui simulac hostium praecognoscat consilia, nihil dissimulatione pejus esse arbitretur, verum aperto illico Marte in adversos leonis instar insiliat hostes, consilia vero viribus semper ac fortitudini praemittat. Affirmat demum, neminem in fulgidissima Porta imperatori potentissimo esse fideliorem, ideoque si omnis honor et auctoritas eidem conferretur, id e re Reipublicae Ottomannicae esse videretur.

Quae commendatio, quod ex stolida persvasione delirantis, et assentatoris senis (qui publicis patriae commodis posthabitis, privatae duntaxat indulgebat utilitati) promanasset, magis barbarorum purpuratorum, qui non ad nasum et mentum usque duntaxat sapiunt, animos offendit, quam movit. Natura enim ita apud Barbaros, maximos militarium virtutum aemulatores, comparata est, ut qui regiis et heroicis laudibus apud eos extolluntur, iidem in invidiam et occultum eorum, neminem magis, quam par est, opibus et potentia crescere sinentium rapiantur odium, et qui levi impulsus ambitione, grandi se officio gerendo parem esse arbitratur, apud eosdem censeatur indignissimus. Eam ob caussam consistorii imperialis purpurati, neglecto Báthoreo, Radulonem alterum Michniae filium, jam diu apud Portam expectatione gratiae subnixum, nunquam ea tempestate, tam nobili obstante competitore, tale quidpiam sperantem, Valachiae transalpinae, vexillo sceptroque ornatum cum imperio prae-

---

a) Báthorei Symbolum.

ficiunt, et per Ibrahimum Csauzium, cum justo exercitu Tergovistam deducendum curant.

Báthoreus spe omni dejectus, novum Palatinum sine tumultu admisit. Caeterum V. Idus Martii litteras minarum et expostulationum plenas, Tergovista ad Portam dedit, indignissime ferens, Valachum agrestem sibi, ex regum et principum familia oriundo, esse praelatum. Unde aperte multa verborum contentione accusans judicii purpuratorum iniquitatem, objecit, Michaeli olim Vajvodae latroni publico, qui cum gente ottomannica cruentis saepe signis conflixisset, provinciasque ejusdem oppressisset, et Raduloni Serban pari perfidia saepius laboranti, plus fidei et gratiae fuisse attributum; quam nunc sibi fideli et devoto Imperatoris clienti attribueretur: protestatusque est, se nolle infortunii Andreae Báthorei Cardinalis, Moysis Siculi, et Sigismundi Báthorei, quorum duo ob fidelitatem Ottomannicae domui praestitam, destituti auxiliis, indigna occubuissent morte, alter vero etiam nunc in vinculis detineretur, participem fore. Quae inconsiderata juvenis principis temeritas animos purpuratorum, alioquin etiam eidem ob immodicas laudes invidentes, et ob oppressionem Nationis Saxonicae infensos, magis exasperavit, adeo ut ipsum in suo malo volutari, et perire communi quasi decreto sinerent.

Eodem tempore Vajvoda Kioviae exercituum Poloniorum generalis capitaneus feliciter adversus magnum Moscoviae ducem Czarem S-vitzki a) pugnat; fratrem enim ejus Demetrium Sivitzki centum millibus praefectum profligat, auxiliares Germanorum, Hispanorum, Flandrorumque copias in deditionem accipiens, cum singulis vestimentis inermes dimittit, Moscos in urbem compulsos, fortissima cingit obsidione. Cum vero mutata fortuna, animi etiam mor-

a) Sic. Lege: Czarem Sahuiskoi.

talium mutentur, viribus Moschorum oppressis, imminere infortunii sui exordium intelligentes, conspiratione facta, praesidiarii comprehendunt ducem magnum Czarem Sivitzkium, cum duobus fratribus, et capitibus servilem in modum detonsis, primo eos in Monasterium ablegant, deinde Polono per manus assignant; Uladislaum autem principem Sigismundi regis filium, dominum ac imperatorem regnorum Moschoviae salutant. Ducibus autem Moschoviticis cum filiis filiabusque deportatis, in locum residentiae, fortalitium Marienberg assignatum est.

Sed ut ad Báthoreum revertar: is Provincia Valachiae Transalpinae excedens, usurpativum minime deponens titulum, uno eodemque tempore, omnium fere Europae Nationum animos sibi infensos reddidit. a) Ab oriente enim imperatoris Constantinopolitani favorem omnem extinxerat, minis inanibus, gravissimis Saxonicae nationis querimoniis, in contemptum purpurpuratorum venerat. Radulo Serban cum Constantino Moldavo apertos se hostes profitebantur. Poloniae Rex eum ob affectatum regium imperium totus aversabatur. Ab occidente Romanorum imperator ob stolidam et juvenilem praesumptionem, qua impulsus, neminem se superiorem agnoscebat, sed titulum serenissimi principis, invito eo, contra morem majorum usurpabat, et varios excessus, insolentiasque per Hajducos, adversus omne aequum et fas patrabat, incredibili odio prosequebatur, eumque in ordinem redigere jam dudum in animo habebat. Domi vero quae odia! quam incredibilis ordinum Saxonicorum abalienatio! quam vehemens nobilium, ob vexatam matronarum honestissimarum pudicitiam, et virginum corruptelam indignatio! quam frequentes profugorum apud exteros in eum invectiva opprobria, et

a) Hostes Báthorei.

profligatae vitae exaggerationes! Ita uno eodemque tempore adparebat, inconsultum juvenem non modo ad supplicium deposci, sed etiam undique trahi. Ergo initium miseriarum a Radulone Serban, quem gravissimis affectum incommodis provincia exegerat, dignitate privarat, opibus exhauserat, factum est. Is adulto jam vere, auro argentoque, quae in tumultuaria evasione, fortunae suae subsidia adhibere poterat, in milites large erogato, non mediocres Kozakorum, et indigenarum Valachorum copias collegerat. Quem Constantinus Moldavus non solum liberali fovebat hospitio, sed etiam memor humanae sortis, quae unum eundemque perpetuo beatum non sineret esse, consilio, opibus, et copiis juvabat, et cum expeditis Kozakorum aliquot cohortibus auxilio se eidem futurum promiserat. Ergo Radulo justo conflato exercitu e finibus Moldaviae in Valachiam Transalpinam movit, oppressoque Radulone Michaelis filio, atque in suam traducto sententiam, boerones imperata facere coegit, et majoribus undique collectis copiis, ad invadendum in Transylvania Báthoreum, animum adjecit. Quarum rerum Báthoreus minime ignarus, exercitum nuper reductum vicissim conscribit, et nobilitatem omnem, quod in re trepida, ac pene desperata usu venire solitum est, sedibus suis viritim educit, Hayducos quoque ex singulis oppidis, severo promulgato edicto magno numero evocat, Siculorum legiones adesse jubet, et auxiliorum contrahendorum gratia Martinum Deák, ad Juszuphum Passam, purpuratorum in porta principem mature III. Calend. Junii mittit, gravi expostulans contentione, proditores Radulonem Serban, et Constantinum Moldaviae Palatinum, non solum novis in dies magis magisque studere rebus, verum etiam Valachiam Transalpinam infestis armis in praejudicium et vilipendium imperatoris

occupasse, vias omnes interclusisse, et dies, noctesque in id unice incumbere, quomodo Transylvaniam etiam Imperio Polonico subjicientes, totis adversus nomen Turcicum viribus movere possint; cui malo, ut tempestivum adhiberi possit remedium, oraret purpuratum, ut quantocyus Turcorum, Tartarorumque amandaret copias, quibus scelerata rebellium studia coerceri, et in herba quasi sopiri possent. Quae legatio, quod purpuratorum animi a rebus Báthorei, profusis Radulonis, et Saxonum largitionibus essent aversi, parum prospere cessit. Mandatum nihilominus levi sub intimatione purpurato Budensi est, ut necessitate exigente, rebus Báthorei periclitantibus succurreret. Eodem enim tempore universitas Saxònica, et cives potissimum Coronenses, ob interceptum Cibinium, praetorium et armamentarium populi Saxonici, ab obedientia Báthorei desciverant; qui sufficienti defectionis suae apud ambos Orientis et Occidentis imperatores reddita ratione, ad rem ex animi sententia gerendam, Raduloni plurimum attulerunt momenti. Erat enim in urbe Coronensi Praetor Michael cognomento Albus, cui hospitium cum Radulone, et vetus intercesserat familiaritas. Is communi nationis suae calamitate motus, author fuit, ut opportuna hac occasione, Radulonem adversus tyrannidem Báthorei justa induentem arma, sequerentur, et ob occupatum direptumque Cibinium, sangvinem etiam, si ita ludens in rebus humanis fortuna ferret, profundere minime dubitarent. Atque hoc quidem primum inter primores urbis Joannem Herselum, Joannem Bengnerum, Joannem Drauthium, et Joannem Christophorum jactatum, mox ad senatum centumviralem relatum est, ubi Michael a) consurgens, in hanc sententiam disseruisse fertur.

a) Oratio Michaelis Albi.

Quodsi patres conscripti! privato duntaxat odio, aut injuria tactus, apud vos verba facere decrevissem, temeritas me, et stolida quaedam praesumtio, jure optimo publice reum peragerent; Reipublicae enim tranquillitatem, Magistratus authoritatem convellere, ex minima scintilla ingens excitare incendium viderer. Nunc autem cum publicis Universitatis Saxonicae calamitatibus, et intolerabilibus injuriis, quarum non sine lacrymis recordari queo, nobis consultandum sit, ab optimi patriae civis, meoque non opinor esse alienum officio, si ea, quae ad communem reipublicae salutem facerent, in medium consuluero. Ereptum vobis est caput, armamentarium, et dives populi Saxonici aerarium Cibinium, a principe Báthoreo jurium et legum vestrarum eversore fraudulenter occupatum, hostiliter direptum. Veluti enim decennali obsidione ab extraneo et sangvinario hoste si pressum fuisset, mox occupatum avaritia militum in praedas et rapinam cederet, ita a domestico principe, vestris sumptibus educato, et ad culmen tanti honoris suffragiis vestris evecto urbs florentissima, libidini et avaritiae militari hostilem in modum exposita est, arma civibus adempta, auri quidquid argentique habuere, in praedam militis avarissimi conversum, virgines, et honestae matronae ab intemperantissimo latrone ad stupra raptae, quidquid juris humani, quidquid divini fuit, per summum scelus contaminatum, ac, quo ne hostilis quidem furor processisset, cives omnes, cum uxoribus, et parvis liberis, saeviente acerbae hyemis gelu, in exilium a patriae penatibus, et domesticis laribus, cum singulis ignominiose pulsi sunt vestimentis. Ex quo intelligitis, universitatem Saxonicam, quae a fundato Cibinio per CCCCL. annos florentissima semper fuit, eo discriminis devenisse, ut nisi consilio, authoritate, et fortitudine vestra hisce eripiatur

aerumnis, rempublicam propediem nullam habituri sitis. Ea propter antequam universae Nationis vestrae adpropinquet excidium, armis adversus armatum Tyrannum standum, et honesta potius semel occumbendum morte, quam per omnem vitam in metu et dedecore vivendum. Neque enim putabitis illum clementius vobiscum acturum, non fraus, non temeritas, non superbia, non libido illius, quidquam apud vos sancti et honesti reliqui facient. Deus immortalis, cujus ope hactenus, inter medios hostes respublica vestra stetit, agmina ista exulum, quorum consangvinei, et propinqui, in ipsa Cibinii porta, in conspectu uxorum, parentum et liberorum, a sangvinario milite trucidati sunt, et quae cum uxoribus et parvulis liberis, manus ad coelum inprimis, deinde ad praetorium vestrum tendunt, non alio huc direxit fine, quam ut vos vindices implorent, quorum consilio et armis, templa Dei immortalis, sepulchra majorum, aurea gentis vestrae libertas, pristino restituantur nitori. Habemus innocentissimae causae nostrae adstipulatores, duos orbis monarchas, quos Tyrannus iste jam pridem inbellibus minis et foeda praesumptione, nostraeque gentis oppressione tam infensos sibi reddidit, ut ad eum e medio tollendum, idoneam duntaxat praestolentur occasionem. Poloniae rex, cui supplantari voluit, eum acerbo insectatur odio, regnicolae aversantur; ambo autem provinciarum reguli, quos immanem in modum adflixit, non duntaxat se nobis jungent, verum etiam duces et auctores praeclari facinoris erunt.

In cujus sententiam cum vario certamine pedibus itum fuisset, placuit Joahnem Bengnerum cum duobus sociis ad Radulonem amandare. Qui cum decreta senatus apud Valachum recitassent, et mutuam fidem dedissent, accepissentque, duces itinerum, locorum et semitarum peritos apud eum reliquerunt, qui totum exercitum

sine omni impedimento, ad Coronam usque civitatem ducerent. Báthoreus a Cibinio cum omnibus copiis, et quatuor tormentis mediocris magnitudinis movens, tribus castris Fagarasum pervenit; ubi dum de belli ratione consilia confert, et militem reficit: insperato audivit, Andream Magnum, cum universa Hajducorum, qui rorarii erant, progenie, multo civium Coronensium auro corruptum retrocessisse, atque directum in Hungariam iter dies noctesque continuare.

Qua perfidi latronis desertione minime territus, quod putaret copias suas triplo exercitum agrestis Valachi excedere, maturandum sibi ratus duobus castris apud oppidum Prásmárum ditionis Coronensis consedit. Unde ad angustias viarum Moldaviensium tuendas Stephanum cognomento Turcum et Gregorium Moschovium cum sexcentis, Cosmum autem Delium Thracem cum octingentis militibus levis armaturae, versus viam osteariam praemittit. Verum Valachus versutissimus utramque declinans, ducibus itinerum monstrantibus, tertiam, quae Franga nuncupatur, tenuit, eaque via duo millia sagittariorum praemittens, ipse postero die 7. Junii subsequutus opinione citius in conspectu nostrorum apparuit. Cum quibus Stephanus Turcus, Moschovius, et Gregorius Fólthius, veterani duces, acerrimam ineuntes pugnam, postquam ex suis XVIII. desiderati essent, et inter eos Michael Belérius primariae notae centurio equestris cecidisset, ex hostibus pariter multi occubuissent, et capti fuissent, numero hostium non virtute oppressi, retrocedendum sibi esse operae pretium duxerunt. Confestimque Fólthius ad Báthoreum, uno milliari in castris remotum, concitatissimo a collegis missus cursu, exercituum Radulonis propinquitatem, captivis quibusdam, et abscissis Valachorum capitibus edocuit, auctorque fuit, ut cum omnibus progressus copiis Valachi

insolentiam prius infringeret, quam is integris viribus in provinciam transiret. Verum eo tempore, quo praesenti opus erat celeritate, potior militum manus in agros dilapsi, alii ad rapinas, et depraedationes mansvetorum Saxonum conversi, adversus militiae leges, et majorum disciplinam, effusis vagabantur habenis, non princeps duci, non dux centurioni, non centurio militi imperitare poterat: quo nullum evidentius futurae cladis signum est. Sed et Euro-Auster eodem momento tam vehementi in castra nostra delatus est impetu, ut casas omnes militares, tuguria, papiliones, et tentoria horrendum in modum everterit, signa militaria dilaceraverit, creberrima incendia excitaverit, a) et magnum supellectilium numerum, tanta secum extra castra rapuerit vehementia, ut omnes intelligerent, laevo sub auspicio, exercitum ad miserabilem trahi lanienam. b)

---

a) Prodigium. b) „Septima die Junii mensis fertur per occultas vias in Transylvaniam venisse Radulonem cum octo millibus delectis, cui Báthoreus obviam cum 32000 suorum armis vetustis Cibiniensium instructis iverat. Magno cum gaudio huc profecti Hungari, quasi nuptiales futurae essent epulae, ad villam sancti Petri in Barcia castra metati sunt. Circa 8vam e montibus Valachiae prodiit in campum Valachus ante Coronam, et aciem suam in 33 turmas divisit, 3000 vero in insidias ad molam papyri collocavit: irrisit Báthoreus Valachum, circa undecimam pugna coepit. Báthorei centrum, ex duodecim millibus constans, vicit primum Valachos, 2000 Valachorum hic caesi. Hac visa victoria Báthoreus clamat: *Kezünkbe adta Isten.* Ergo ad praedam ejus conversi milites, quod dum cernerent illi, quos in insidiis reliquerat Valachus, eo progressi, hastas (Kopias nostri vocant) nostri frangunt, ut Báthoreus clamaret: *Fuss ha ki futhattz.* Interfecti Hungarorum 2785 qui in acervum congesti, praeter eos, qui in fuga perierunt, inter quos fuit Joannes Imreffius, proditor, et auctor omnis mali, in coeno apud dictam Villam S. Petri, a propriis militibus conculcatus.

Postero die, qui erat Cathedrae b. Petri sacer, Valachus cum VII Equitum exercitatissimorum millibus et MD peditibus Coronam tempestive a) ingressus, militem refecit, et largo destillati ad ignem vini, quod cives administrabant, usu, ardorem in eis ad dimicandum accendit. Ipse etiam lauto sumpto prandio, ad praelium se composuit, et ut statuto adesset tempore, exercitui edixit.

Báthoreus ex adverso copias omnes, quae ad XII equitum, III autem peditum millia excreverant, castris educit tyro adversus veteranum latronem, instructaque acie, b) dextrum cornu Gabrieli Bethlenio, cum legione aulica, et residua Hajducorum, qui cum capitaneo Joanne Alexio in fide perstiterant, parte, et delectissimis nobilium cohortibus, quas Balthasar Ördögius ductabat, curandum tradit; sinistrum autem Georgio Thraci, viro militari disciplina claro, sed perfido, et ad cujuslibet venti flatum pallium obvertere edocto, cum legionibus Siculis, quas Stephanus Bedö, Stephanus Begröli, c) Clemens Béldius, Michael Danielis, et Andreas Gerébus, moderabantur, assignat. Ipse autem inter selectissimas procerum cohortes ita consistit, ut in omnes partes vigilare posset, laborantibusque subvenire, atque ignavos castigare, peditum cohortes in medio, cum 4 mediocris magnitudinis tormentis collocat.

Radulo victoria potitus ex equo prosiliit, nec se victoriae auctorem, sed Deum ejus causam veneratur, qui superbiam Bathorei ultus sit, cumque vulnerati et fessi ejus ut plurimum essent milites, hostes ulterius non fuit prosequutus.“ Excerptum ex scripto Germanico in duobus Codd. additum.

a) Radulo Coronam ingreditur. b) Acies Báthorei. c) In alio Cod. Bako.

Erat locus ab ea campi parte, quae pagum D. Petri respicit, incultus, spinis, senticetis, et lacunosis tuberculis oppletus, qui praeter naturalia impedimenta ingenti fossa erat divisus. a) Quo cum lento fuisset progressus exercitus Gabrielis Bethlen gradu, perspecta loci iniquitate, salubri intercessit consilio, ne exercitus ad eum locum, in quo plus cum obviis impedimentis, quam cum hoste luctandum esset, temere duceretur; verum Joannis Imreffii fatui senis sententia obtinuit; ut sive dimicandum, sive castra metandum esset, a loco, naturae beneficio circumsepto ne recederetur. Multo vero jam die, cum a mane ad primam usque horam sub signis, equis inhaerens, exercitus stetisset, et sole vehementer aestuante, miles sub galea maneret, equi autem pabulum poscerent, omnium opinione creditum est, hostem eo die pugnae potestatem minime facturum, ideoque censuerunt castra metandum esse. b) Verum eodem tempore apparuit, Valachum agmina sua sensim extra Coronam veterem (Ó Brassó dicitur) ducere, atque versus molam papyraceam, quod papyrus scriptoria in ea signetur dictam, instructa contendere acie, ita ut sinistrum cornu Poloni, sagittarii, et sclopetarii cum cohortibus Valachiae Transalpinae et duabus Hungarorum vexillationibus, quas Stephanus Halmágyius, et Kendius transfuga ducebat; dextrum autem Poloni hastati, cum sagittariis Moldavis, immixtis Tartaris obtinerent; medio in loco Radulo, cum delectis equitum, et Boeronum turmis, et peditum vexillationibus, cum tribus currulibus tormentis versatilibus, quae Coronenses cives ei accomodaverant, procederet.

No-

---

a) Locus pugnae. b) Acies Raduloni.

Nostri denuo a), ordines jam fere turbatos, ex nec opinato restituere, et aciem tumultuarie instruere coeperunt: tum Báthoreus suos cohortatus: Adest (inquit) tempus, commilitones! quo et virtutis, et fidelitatis suae, quilibet vestrum luculentum in conspectu principis sui edere possit testimonium. Radulo enim perfidus nominis Pannonici hostis, qui nihil potest, nisi quod perfidia potest, cum conductitiis et indigenis suis latronibus, agrestibus opilionibus, et suum custodibus, multum in civitate ista rebelli ambigens, utrum pugnet an fugiat? tandem e caverna prosiluit, praedonum profecto more, qui cum aperte non audent congredi, ex insidiis viatores securos adoriuntur. Verum vos vestra illa virtus inveterata et celeberima nominis Pannonici recordatio admoneant, ut in praedones hosce servos, et mancipia vestra, qui conspectum vestrum nunquam tulerunt, et tamen instigatione rebellium, in patriam hanc, vita nobis chariorem, penetrare ausi sunt, ferro hodierna die Dei optimi maximi beneficio animadvertatis. Dominium, imo Tyrannidem asper et rudis Valachus cum caprariis hisce venatur servitiis, quod opinor vos ne honeste quidem audire, nedum ferre possetis, cum generosa et dominio adsveta pannonica indoles, mori per virtutem centies velit, quam alienigenae vultum Tyranni intueri. His similia clara proferens oratione, et praemium C. colonos, qui Radulonem vivum, aut mortuum in potestatem redegisset, statuens, qui autem fortiter se gessisset, gregariis quidem nobilitaria insignia, nobilibus autem agros, et latifundia liberaliter promittens, promoveri signa jussit, atque in hostem ferri adversum.

---

a) Oratio Báthorei ad milites.

Radulo contra ordines a) suos obequitans, multo cohortabatur sermone: Non esse (inquiens) in multitudine sitam victoriam, sed in caussae bonitate et Dei immortalis beneficio, neque metuendos esse magnopere auro argentoque corruscantes milites, sed ferro chalibeque obtectos: meminissent illos esse, qui patriam Valachiam infestis armis perreptassent, caedibus, incendiis, et rapinis omnia complevissent, principem et vajvodam eorum sedibus ejecissent, nullumque crudelitatis, et impietatis specimen praetermissisent. Meminissent loci Hungaris fatalis; quem sub auspicio suo cruentissima Moysis Siculi clade, in toto orbe memorabilem fecissent; invocatoque tutelari D. Petri nomine efficerent, ut campi Barcenses, indelebile victoriae Valachicae monumentum, venturae in perpetuum posteritati ostenderent, cum nulla uspiam in fuga, sed in sola virtute salutis spes sit collocata. Haec vociferans canere signa jussit, et illico utrinque tormenta semel atque iterum displosa sunt. Tum invocato a nostris salutari salvatoris Jesu nomine, ingenti animorum ardore processum est.

Peditum in primis caeruleatorum, b) et Siculorum legio in adversos Valachi pedites delata puncto temporis hostes in fugam conjecit, et ad veterem usque Coronam, cominus gladio rem fortiter gerens, peditatum hostium internecione delevit, tanta celeritate, ut Radulo de victoria desperans, ad furcam usque Coronensem effusis equi habenis fugerit: nostri autem pedites locum, quo hostes steterant, occupantes, victoriam penes nos esse arbitrati, lassi ex praelio, apud molam papyraceam consederint. Verum equestres copiae contrario plane eventu, sive proditione procerum, sive ducum ignavia rem gessere. Coorto enim cruentissimo

a) Oratio Radulonis ad milites. b) Conflictus.

et atrocissimo praelio, postquam diu multumque in utroque cornu pugnatum fuisset, et Gabriel Bethlen a) in dextro cornu rem pro virtutis suae commendatione praeclare fortiterque administraret, initium fugae in sinistro cornu a legione Siculica, quam Stephanus Bedö ducebat, annuente (ut dicunt) Georgio Thrace factum est: quod simulac Raduloni nunciatum est, animum recolligere coepit, et propitiam sibi suisque fortunam adesse clamitans, victoriam in manibus esse vociferabatur, ideoque Polonicas cohortes cohortatus, signa in praetorianos, et triariam Báthorei cohortem ferri jussit. Tum vero undique effuse fugiunt, quos Poloni, et equites Valachi (quos Quartanos dicunt) effuso insecuti cursu, incredibilem nostrorum stragem ad milliare unum edidere. Ipse princeps, qui eo die conum galeae albis gruum pennis in fasciculum opere phrigio contortis, ornatus apparuerat, praelio excedens primum demitti labrum jussit, deinde pennis istis, ne cognosci posset, abjectis, coenosam lacunam laricibus, et multa oppletam uligine versus D. Petri pagum ponte transiit, ubi multorum equi, palustri coeno, et densis juncorum radicibus impliciti, sessores excusserant, qui ab hostibus oppressi momento jugulati sunt. Joannes autem Imreffius tuba et fax totius hujus cladis, coeno quidem illo magna vi eluctatus, cum equum haberet adeo atrociter vulneratum, ut amplius usui non esset, ad proximae arboris radicem, a cruento superveniente hoste trucidatus est, ibidemque post pugnam cadaver inventum, absque omni libitina, et sepulturae honore sub quercu quadam tumulatum est.

---

a) Fuga nostrorum.

At peditum nostrorum cohortes, quae post navatam praeclare fortiterque operam, certa spe victoriae ductae, se refecturae consederant, a retrocedente a caede equitum hostium multitudine circumventae paucis exceptis a) ducibus, qui equorum beneficio evaserunt, protracta diuturna et atroci pugna, donec pulvis pyrius, et plumbeae suppetierunt glandes, internecione deletae sunt. Caesa eo die ex nostro exercitu ad sex millia capitum, ex hostibus autem quatuor millia plus minus, capti ex nostris in fuga plurimi: signa militaria 120; perierunt in eo praelio, et in fuga praeter Joannem Imrefium, ex Baronibus Georgius Varcus, Georgius Thrax, qui tamen vivus in potestatem hostium perveniens in foro Coronensium jussu Radulonis decollatus est. Ex nobilibus Balthasar Ördögius, Joannes Alexius, Nicolaus Kapius, Caspar Simandius, Georgius Károlius, Nicolaus Szegedinus, et plures alii, quos brevitas historiae commemorare nunc non permittit. Capti Michael Danielis, Andreas Gerébus, et Petrus Kerekes, qui postea magno aere fuerunt redemti. Post pugnam dira tempestas, et vehemens nimbus, mixtus grandine, coelo delapsus est. Radulo autem conquisitis undequaque cadaveribus, ea in acervum egesta terra permixtum, ubi pugnatum erat, congessit ac deauratam crucem, barbaricis litteris, belli causas continentem, cum imagine Salvatoris, perpetuum ut sperabat victoriae suae monumentum, in culmine erexit, quam postea milites Báthorei, in frusta concisam dejecerunt.

Deinde Radulo collectis mancipiis, et partita inter milites praeda, nihil cunctatus in patriam reversus est, indeque nobiliora XL.

---

a) Caedes peditum miserabilis.

signa militaria navatae gnaviter operae specimina, et fidelitatis obsequiique symbola ad Turcarum Imperatorem, et XXXII. ad Caesarem Romanorum misit.

Princeps autem Báthoreus postero die. cum paucis fugae fortunaeque suae comitibus ad oppidum Köhalom divertit, ubi a Davide Weyrauch lauto exceptus convivio; Fagarasum, deinde Cibinium pervenit.

Quoniam vero ea humani ingenii est fragilitas, ut prosperitatis, secundaeque fortunae, exporrecto vultu se profiteatur esse participem, imo eam sibi vindicare minime erubescat, calamitatis autem et adversae sortis alios semper esse authores, et architectos fingat, neque in ea quidquam se juris, et particulae habere autumet, imo ad se nullatenus pertinere arbitretur; ideo qui se praeclaros principi familiares, inter pocula, comessationes, et ludicras saltationes exhibuerant, et sese promtos et alacres, ad utramque subeundam promiserant fortunam, tum demum novercante primum fortuna, singuli latebras derelicto principe quaesivere. Inter alios autem pessimam rependit gratiam Georgius quidam Hidius, e sordibus, et pulvere scholastico ab illustri Báthoreorum familia exemtus, postea a principe, claudus licet pedibus, Mephiboseti instar, utrinque latifundiis cohonestatus, et ad summos Cancellariatus honores promotus. Abjecta enim fidelitate, et humana reverentia timoreque divino violatis, non veritus est ingratissimus tenebrio Germanicae adhaerere factioni, ubi nullo habitus in loco, vitam infamem et obscuram egit, denique nemine relicto haerede, conscientiae morsu urgente, diuturno contabescens moerore, parum ab Achitophelis, Judaeque facinore recepit. a)

---

a) Alter Cod. habet: recessit.

Liber secundus.

Derelictus ab omnibus pene Báthoreus, posteaquam clade accepta Barcensi, cum paucis fugae fortunaeque suae sociis, nulla laetitiae, solemnitatisque significatione ingressus Cibinium fuisset, quaestione de proditoribus, a) cruentae cladis authoribus habita, cum caeteri in ferventi praelii ardore cecidissent, Stephanum Bedönem Siculum, qui profusis Radulonis largitionibus corruptus, exercitum ad iniqua duxerat loca, et cum suis turmis infamis fugae, nullo exhibito fidelitatis munere, initium fecerat, in vincula rapuit, et ad gemonias usque protractum scalas, capitis supplicio affecit.

Verum enim vero, ut nullum malum solum provinciae b) cuique ingruere solet, ita eodem tempore, atrox et funesta via duplici invasit provinciam calamitas. Nam et cives Coronenses, quod malum initio clam foverant, secundo rerum Radulonis successu confirmati, totis rebellarunt viribus, et apertos se hostes, duce Andrea Gitzio, quem militiae equestri praefecerant, homine perfido et temerario profitebantur.

Is Andreas, a primis juventutis suae temporibus, familiae Mágotsianae alumnus, opinione virtutis, opibusque in tantum creverat, ut Magistratus arcis Munkátsiensis a Francisco Mágotsio, fidei et industriae ejus committeretur. Quem homo natura crudelis cum per aliquot annos superbe, et avare administrasset, et nefarias innoxio miserorum civium sangvine contaminasset manus, imo totum pagum Derchén, c) in comitatu Beregiensi situm ferali absumpsisset incendio,

---

a) Stephanus Bedö capite plectitur. b) Coronenses apertam fovent rebellionem duce Andrea Gitzio. c) Canonicus quidam ab Andrea Gitzio trucidatur.

eo tandem insolentiae nobilis latro processit: ut canonicum quendam, ecclesiae S. Crucis de Lelesz sacerdotem Deo sacratum, virum pium ac doctum, et expediendis regni negotiis vacantem in ipsa via regia hostiliter invaderet, et nihil tale quidpiam meritum, crudeliter trucidaret. Quam ob causam, cum a Matthia Secundo rege et imperatore, ei aqua ignique per summum ludibrium interdictum fuisset, diu apud necessarios suos exilium toleravit, deinde in aulam principis Báthorei per mollem irrepens adulationem, ad honores et divitias non multo tempore pervenit. Legatus tandem arduo plane et urgentissimo Byzantium missus tempore, immemor beneficiorum, seposita fidelitate, et Dei hominumque timore abjecto, cum res principis modis omnibus promovere debuisset, donaria omnia suo et Saxonicae nationis nominibus, purpuratis Consistorii imperialis distribuit. Postea in Báthoreum benefactorem suum, cui honores, opes, et vitam ipsam debebat, conversus, inauditarum plaustris eum querelarum mendaciis copiose permixtarum damnare, a) et per summum scelus solio excutere voluit. Ideoque a Porta, expectativa quadam purpuratorum subnixus gratia, reversus, Coronam civitatem refractariam ingressus est, et se caput et coriphaeum rebellibus exhibuit civibus. Ex altera autem parte Mathias b) Rex Austriacus, Calendis sextilibus, publicum promulgavit edictum, in quo Báthoreum publicae pacis, et concordiae, quae cum omnibus circum finitimis regnis et provinciis inita fuisset, declaravit esse turbatorem, ideoque eum justo in ordinem redigendum esse bello, non solum aequum, verum etiam oppido

---

a) Alter Codex habet: onerare. b) Báthoreus a Matthia imperatore publicae pacis turbator declaratur.

necessarium esse censuit, ob rationes firmas et veras, numero duodecim.

1) Quod princeps Báthoreus pluribus articulis, punctis, et clausulis transactionis Cassoviensis, mutuo consensu et approbatione commissariorum utriusque partis celebratae, et confirmatae, contravenire attentaverit, ac non solum plerisque in locis, gravisque momenti partibus quaedam mutaverit, et inverterit, verum etiam nonnulla ademerit, quaedam pro lubitu addiderit. 2) Quod idem contra apertos praedictae transactionis articulos in praejudicium et derogamen Majestatis Regiae, et jurium sacrae regni Hungariae Coronae, inconsulto rege, provinciam Valachiae Transalpinae invaserit, cuncta ferro flammaque miscuerit, Vajvodamque, quem Rex Hungariae ei provinciae praefecerat, ejecerit. Item 3. Quod titulo principis ejusdem provinciae, sine praescitu, et consensu regis, quod in auctoritatis regiaeque dignitatis derogamen, et vilipendium vergeret, se intitulare non fuerit veritus. 4) Quod idem regem et regnum Poloniae, clancularii practicis invadere, et se in regem ejusdem regni eligi, et constitui voluerit, hacque ratione contra antiqua pacta et foedera cum regno Hungariae inita, et regnum occupare, et se regem ibidem fieri conatus fuerit. 5. Quod idem in praesentiarum cum Turcis perniciosa et exitialia molimina tractare, et concludere niteretur, ut tam Hajduci ab obsequio et fidelitate, Sacrae Regiae Hungaricae Coronae debitis per defectionem abscederent, quam ipsemet iisdem Turcis, contra vicina regna et provincias, atque adeo contra universum Christianum nomen, se cum omnibus jungens copiis, extrema quaevis et damnosa tentaret. Item quod idem 6. In manifestum praelibatae conclusionis Cassoviensis derogamen, in ditionibus sacrae Coronae Hungaricae subjectis, publicis et regiis in viis, potentialiter armataque

manu, per suos emissarios, fideles regis adoriri fecerit, occiderit, vinctosque alios et captivos abduxerit. 7, Quod idem e regno Hungariae concitatis passim regnicolis regiis, eosdemque a fidelitate et obsequio regio abducens, pansis vexillis copias et gentes militares evocaverit, et ab omnis generis et conditionis hominibus homagium sibi praestari fecerit. 8) Imo per nuncios, et ablegatos suos in porta Ottomannica, commentitia licet, talia tamen, ob quae regna et provinciae in praesentissimum incurrerent discrimen, divulgare non fuisset veritus, puta: quod a partibus regiis summopere in eo laboraretur, quomodo pax foedusque cum Turcis initum rumperentur, cujus rei purpuratus Budensis non levia edidisset indicia, cum ei suppetias ferens, copias militares frequenti submisisset numero, et cum exquisita officiorum oblatione spem occupandi adipiscendique regni Hungariae promisisset. Deinde quod idem 9) Magnates et alios praecipuos Transylvaniae provinciales, quos e patriis eorum sedibus non sine ignominia exulare fecerat, juxta articulos Cassoviensis transactionis ad necessarias compositionum conditiones minime admiserit, quin imo 10. Legatos et nuntios regios, non sine dedecore ad lubitum ac tamdiu detinuerit, usquedum exactius innotuit, quonam successus rerum suarum tenderent, et quid de auxiliariis exterorum copiis certi atque explorari habere posset. Ad haec 11. Non attenta conclusione Cassoviensi, per enormem latrocinio adsvetam Hajducorum progeniem regios fideles certorum comitatuum regni Hungariae invadere, domos, curiasque nobilitares expilare, incinerare, et gravi cum regnicolarum detrimento Hajducos aliquoties ad insurgendum excitare, et inermes colonos rusticamque plebem a Dominis eorum terrestribus abducere non intermiserit. 12. Tandem vero in perniciem provin-

ciae Transylvanicae, olim florentis et opimae, foeda sua gubernatione, et administratione, vicinarum provinciarum arma et bellicas expeditiones irritaverit, ac in talem desolationem, deformemque constitutionem eam adduxerit, ut nisi Deo authore, tanto malo in dies majorem in modum gliscenti provideretur, provincia extremam ruinam, et fatalem calamitatum suarum periodum, ut nunc tandem consequeretur, omnino necessarium esset.

Quae rationes partim verae, partim autem confictae, sed sub specie veritatis, plurimum a zelosis in Aula imperatoria exaggeratae, eo animum Matthiae deduxerunt, ut extemplo Sigismundo Forgátsio, a) qui regia authoritate Cassoviae praesidebat, serio ediceret, quatenus conscripto, quam fieri posset numeroso exercitu, primo quoque tempore in Transylvaniam duceret, et Gabrielem Báthoreum refractarium et immorigerum Sacrae Regni Coronae Vasallum, vix a clade Valachi respirantem, vivum, mortuum in ordinem redigeret.

Sigismundus maximus Religionis Catholicae zelota, conquisitis undique ducibus, et comitatus Hungariae omnes, militesque praesidiarios sedibus suis exciens, exercitum ad XII. equitum et IV. peditum millia contraxit, trajectoque Tibisco, Andream Magnum, qui nuper a Báthorei rebus defecerat, cum universo Hajducorum equitatu in potestate habuit. Praeerat exercitui regia plane potestate ipsemet Forgátsius; vicariam autem eidem operam praestabat Andreas Docius summae vir authoritatis, quibus caeteri proceres, partim sponte sua, studio propagandae Catholicae Religionis, partim jussu Regis Matthiae, militabant. Hi erant: Comes Stephanus Pálfius, Comes Georgius Drugeth de Homonna, Michael Czoborius, Michael

a) Sigismundi Forgáts in Transylvaniam expeditio.

Károlius, Stephanus Lónaius, Petrus et Georgius Melith, Franciscus, Georgius, et Gabriel Perényi, Ludovicus Rákotzius, Andreas Lónaius, alii autem minorum gentium proceres plures, quam ut eorum cathalogum hoc loco texere possem. a) Favebat inprimis secunda incepto fortuna, nam Andreas Magnus Generalis Hajducorum praefectus, quod Nicolaum Szennyeium, virum Agriensi militia celeberrimum, scelerata obtruncasset manu, spe consequendae impunitatis tactus, non solum ab obedientia principis sui desciverat, verum etiam alios quosvis minores Hajducorum Belli Ductores, ad deficiendum frequenti in dies compellabat numero, adeo ut nemesis quaedam perfidiae eos omnes, praeter Franciscum Rhédeium, qui constanter Arcem Varadinam sub auspicio Báthorei tuebatur, invasisse videretur. Nam et Stephanus Agriensis, vir alioquin sociis fidus, ea se labe infecit, ductoque hostili ad Váradinum diripiendum exercitu, a Francisco Rhédeio parva manu profligatus est, quo simul et veterem existimationem, et domesticos lares, quos in oppido Szalonta habebat, publico postmodum edicto proscriptus amittens, funestae militiae proemium dedecus accepit. Andreas autem Magnus ex subulco, per omnes gradus militarium honorum, insignem magnificentiae dignitatem, purpuramque consecutus, homo perfidus, et versatilis ingenii, postquam in campo Károliensi, ubi eo tempore exercitus Forgatsianus consederat, non levi, ut putabat, a Proceribus Hungaricis notatus est infamia, quod ei publico in convivio

a) *Nota Codicis unius*: Forgácsium exercitum 25,000 adduxisse refertur in scripto Germanico utpote libro nigro Frankiano temporum illorum; milites autem ejus magis praedae, quam militiae caussa huc venisse.

ignobilitas et anteactae vitae sordes objectae essent, a) simulque a quo ad tantos honores evectus esset, in memoriam rejectum fuisset, mutata de repente mente, eadem facilitate, qua se Caesareanis junxerat, ab iisdem descivit, ductisque ad oppidum Diószegum copiis, exercitum Stephani Pálfii illico invasit, et plurimis interfectis, duobus eximiae pulchritudinis vexillis, insignibus domini nostri Jesu Christi Salvatoris, et Beatissimae Virginis conspicuis potitus est, quae postea in gratiam Báthorei rediens, eidem inter reliquas obtulit manubias. Qua nihilominus perfidi latronis temeritate minime Forgátsius territus, majoribus undique contractis copiis, nemine plane se objiciente, via coementaria, b) totis viribus in Transylvaniam duxit, admotisque primum muro Claudiopolitano (cives enim ei portas occluserant) aliquot falconibus, c) postquam quaedam duntaxat domorum tecta, tegulasque dejecisset, tertium post diem a senatu et populo patentibus intra moenia acceptus est portis. Deinde Albam Juliam sedem principalem occupans, universam Transylvaniam pene in ipso expeditionis limine in potestatem suam redegit. Universa enim Siculorum natio, tum quod natura novarum rerum sit cupida, cum vero quod multum Religioni Catholicae, quam plerique ore profitentur, factis autem negant, tribuat, non obscure ei favebat. Saxones autem ob ereptum Nationi suae Cibinium, quemlibet potius quam Báthoreum, dominum ac principem ferre volebant. Repugnabant aperte quatuor duntaxat regni fortalitia: Váradinum, quod Franciscus Rhédeius cum No:

---

a) Andreas Magnus a Forgátsio deficit. b) Alter Cod. habet: via centuria. c) Forgátsius Claudiopolin occupat.

bilitate Regionis Bihariensis tuebatur; Dévanum, cui Gabriel Bethlen delectum imposuerat praesidium, Fagarasum, cui Joannes Ballingius praeerat, et Cibinium, quod ipsemet princeps novo undique conscripto exercitu munierat. a) Quid in hac non contemnenda prosperi successus difficultate Forgátsius faceret, qua ratione, ne error in consilio committeretur, providere posset, non facile intelligebat: placuit tandem, ut initio Gabriel Bethlen placidis tentaretur verbis, qui si a fidelitate Báthorei abstrahi posset, magnum rebus Caesaris operae pretium accessurum rebatur. Misso igitur tibicine, eum ex arce Dévana, interposita fide evocat, et Austriacorum principum clementiam amplissimis commendans verbis, postquam animum ejus fustra promissis, ac etiam principatus spe onerasset, nihil obtinuit; Bethlen enim velut Hannibal Romanis, a primo adolescentiae suae flore Germanis infensus, maluit principi oppresso difficillimo adesse tempore, quam principatum Germanorum Caesaris copiis acquirere. Et certe si jus fasque violandum esset, regni gratia id fieri debuisse omnes fatebuntur: verum in intimis animi penetralibus perpendens, amicos in afflictionibus sanctiore quadam necessitudine esse colendos, principatuum autem initium, finemque, non ex hominum, quantivis pretii voluntate, sed ex sapientissima Dei ordinatione pendere, et tempestiva vocatione offerri; sapientissimus et magnanimus Vir, promissiones omnes quantumvis magnificas et splendidas inconcussa fide non tantum rejecit, sed etiam se ad principis et Reipublicae defensionem accingens, Cibinium profectus est. Cujus adventu omnium animi erecti, quid de Forgátsii expe-

---

a) Gabriel Bethlen a Forgátsio frustra ad defectionem sollicitatur.

ditione sentiendum esset, evidenter aperuit. Nam multi etiam ex Siculorum proceribus cum turmis ad principem confluebant, et nobiles viri quique cum famulitiis ad imitationem Gabrielis Bethlen causam aequiorem sequebantur, adeo ut praesidium Cibiniense ad VI. bellatorum millia, exiguo tempore excresceret. Ergo Forgátsius maturandum sibi esse ratus, Alba Julianis in fidem Caesaris acceptis a Szász-Sebeso movens, cum omnibus copiis ad Kerestyén-Szigetum, Coloniam Saxonum, a Cibinio milliari uno remotum consedit. a) Deinde sequenti die, Calendis nimirum Septembris propius ad Cibinium castra admovit, ubi Báthoreani, Stephanus Turcus, Georgius Fólthius, et alter Gregorius Machonius, justo obviam procedentes exercitu integrum diem velitationibus consumpserunt, postea cum diu acriterque etiam plenis cohortibus ab utraque parte pugnatum fuisset, nostri Caesareanorum multitudine fracti retrocedere in urbem coacti sunt. In reditu Demetrium Torjaium Tribunum 400. peditum, hominem morum aggrestium inconsulte cum 200. peditibus circa urbem grassantem, occupantes facile oppresserunt, et captivos catervatim in urbem pecudum instar egerunt, Demetrium principi loco muneris offerentes. Qui a clementi rebus militaribus principe benigne

---

a) In libro nigro Frankiano refertur, Forgácsium citra villam Neponis consedisse, primum in urbem impetum fecisse I. Iduum Aug. et dum ex instrumentis bellicis missilia non segniter in eos spargerentur, ex instrumentis unum corruptum fuisse. Alteram oppugnationem ex utrisque castris III. Iduum Aug. tentatam, ubi dum currulibus non minus obsessi se defenderent tormentis, jam et aliud periisse. Interea Andreas Magnus e Forgátsianis castris clam in urbem ingressus, in Báthorei gratiam se insinuavit, et ab eo pecuniam pro comparando milite in Hungaria accepit. *Nota unius Codicis.*

habitus, dum interrogaretur, quam ob caussam adversus nativum sangvinem et communem Religionem infesta induisset arma, multa Dei immortalis contestatione, barbarum in morem respondit: se nunquam Religionis mentionem in eo bello audivisse, verum nomen Turcicum totius praetextum expeditionis fuisse, animosque militum, ut nomina darent, accendisse, jamque intelligere se, sacramento dicto minime teneri, ideoque operam daturum, ut 200. adhuc pedites, qui sibi paruissent, brevi tempore, intra moenia reciperet. Approbato Demetrii studio, paucis post diebus factum est, ut 200: illi correptis signis, foedo convitio Germanicae factionis nomen proscindentes, ad nostros transfugerent, quos plerique ex aliis etiam cohortibus imitati non exiguo numero in dies a rebus Caesareanorum deficiebant.

Interea Báthoreus consilium ex necessitate sumens, ita sibi agendum instituit, ut uno eodemque tempore Gabrielem Bethlen fidelem fortunae suae assertorem regiis donariis instructum ad fulgentem Portam, a) auxiliarium copiarum contrahendarum caussa mitteret, urbem fortissimo adjecto ex parte orientali propugnaculo, quod ex aggere, virentibusque excitarat cespitibus, muniret; et inducias dierum viginti quinque cum Forgátsio celebraret. Bethlen maximis quam fieri potuit itineribus ad Portam contendens, postquam placidis prudentissimisque sermonibus, adjectis muneribus purpuratorum quorumvis, apud quos gratia et favore plurimum valebat, animos conciliasset, et praeterita Báthorei errata juvenili tribuenda esse aetati docuisset, simulque miseriarum et calamitatum gravitatem, quam provincia Transyl-

---

a) Gabriel Bethlen ad Portam Legatus.

vaniae pateretur, recensuisset; tandem in senatum, quem Barbari Divanum dicunt, ingressus ita locutus esse perhibetur:

Fulgentes invictissimi imperatoris purpurati, a) quorum consilio et sapienti rerum administratione regna et Provinciae omnes ab ortu solis ad occasum usque secundum unicam aequitatis et justitiae normam diriguntur; armis autem potentissimis ea proteguntur industria et felicitate, ut ne passum quidem unicum ab eis virtus et magnanimitas vestra avelli patiantur; si unquam fidei vestrae in amicos clientes, et fideles vestros integritas a vobis declarata fuit, nunc certe illustre constantiae, et promissorum vestrorum documentum orbi universo exhibere poteritis, si Gabrielem Báthoreum filium et clientem vestrum, qui ad vos cum universis trium nationum provinciae vestrae Transylvanicae proceribus confugit, nunc tandem ab intolerabili Germanicae tyrannidis jugo et servitute eliberaveritis. Postquam enim illum juvenem florentem et innocentem, filium autem et clientem vobis addictissimum Germaniae Rex confictis criminibus, et inusitatis calumniis in Porta hac fulgidissima oneravit, et alienum vos nonnihil animum erga illum gerere animadvertit; clanculariis practicis eo etiam progressus est, ut popularium etiam animos, seditiones modo has, modo illas, per emissarios suos excitans, infensos eidem reddiderit; adeo ut nunc tandem longanimitate et patientia vestra abutens, ingentibus copiis duce Sigismundo Forgátsio provinciam vestram invaserit, eamque exceptis quibusdam fortalitiis, quae partim mihi, partim principi filio et clienti vestro adhuc parent, totam in suam redegerit potestatem; et

---

a) Oratio Gabrielis Bethlen.

et principem fidelem vestrum, quod se ab obedientia et fidelitate Portae hujus fulgidissimae avelli minime patitur, in urbe Cibinio conclusum arctissima obsidione cinxerit. Quod profecto non duntaxat sanctae et illibatae vestrae societati, quam litteris Athname principibus quibusvis sociis et amicis imperii Ottomanici confirmare soletis, contrarium est, verum etiam in vilipendium, et manifestum imperii hujus fulgidissimi vergit damnum. Quod si enim Germanus semel Transylvaniam occupare, atque iis fortalitiis, quae a majoribus nostris immenso erecta sunt labore, praesidium imponere poterit, ex arce illa bellica, Transylvaniam intelligo, quam enorme ingruat imperio huic detrimentum, facile, ut opinor, intelligitis. Junget Germanus vires cum perfidis illis duobus Valachiae regulis, qui etiam nunc ei addictiores sunt, quam vobis, junget cum maximo Poloniae Rege, tantumque excitabit incendium, quantum nec patrum vestrorum memoria contigit, nec unquam eveniet. Quapropter dum malum adhuc in herba est, dum incendium sub cineribus latet, vos orbis dominos precor atque obtestor, succurrite provinciae laboranti, succurrite principi juveni, filio vestro, de cujus fide ne ulla apud vos suboriatur dubitatio, offert et donat potentissimo imperatori Sanchacatum Lippensem, conducibilius arbitratus fore, unam provinciae domum vobis Patronis et defensoribus assignare, quam totam Germanicae subjicere superbiae.

Quae oratio, quod promissum etiam a Botskaio, ut ferebatur, oblatum contineret, adeo animos purpuratorum, qui sola duntaxat utilitate res alienas metiuntur, movit, ut illico Omerum purpuratum beglerbegum Bosnensem destinarent, qui contractis quam maximis posset copiis, Tartaris Ossoviensibus et Silistrensibus adjunctis, maximis itineribus in Transylvaniam

contenderet, et Forgátsii conatibus primo quoque tempore obviam procederet. Omerus nihil cunctatus, promulgato severissimo, ut moris est, edicto, copias militares frequenti coegit numero, et ad Oroszerichum a) Danubio impositum cum Tartaris conjunctus, Danubium trajecit, tantamque bellatorum multitudinem in Transylvaniam traxit, quantam aetas nostra, sub nullius Turcici ducis auspicio viderat. Forgátsius sola rumoris vehementia territus, relictis tormentis, et onerariis currubus, cum omnibus copiis suis fugae similem profectionem instituit, versusque Coronam civitatem rebellem, sibi autem familiarem movens, insolita tempestate, quae vehementissimo Euri flatu nimbisque, nive, grandinibusque permixtis scatebat, adeo vexatus est, ut plurimi mortalium cum jumentis obrigescerent, multi fatalem ultionem coram oculis versari autumarent; ingressus nihilominus Coronam, tres dies militum quieti concessit, deinde confirmatis in fide Caesaris civibus, simulac intellexit, Gabrielem Bethlen cum copiis Turcarum auxiliaribus appropinquare, versus alpes, quae ex montibus Carpathicis quasi deorsae Moldaviam a Transylvania disterminant, movit, in quarum radicibus a Tartaris, qui auxiliariorum rorarii erant, deprehensus, multos ex exercitu, cum supellectilibus, jumentis, et rebus pretiosis amisit. Ipse panico quodam perculsus terrore, cum Homonnaio, Docio, Eszterházio caeterisque regni Hungariae proceribus alpes conscendit, et in avios viarum maeandros incidens, altissima in nive, quae partim praeterlapsa deciderat hyeme, partim in dies injuriis autumnalibus ex aere defluebat, per integros dies quindecim cum omni oberrans exercitu, vix fessos ac debilitatos trahebat artus.

---

a) In alio Cod. Urazczichium.

Nam multi in dies mortalium annonae inopia deficientes peribant; plurimi autem saevientium injuriis tempestatum, una cum jumentis emoriebantur; alii autem, qui robustiores erant, se ipsos cadaveribus equinis, jumenta autem decussis arborum frondibus sustentabant, imo ipsemet Forgátsius et reliqua Magnatum cohors eo miseriarum processerant, ut hepar equinum, si modo nancisci potuissent, exquisitarum loco deliciarum habuissent. a) Tum vero militaris subortus est tumultus, plurimi enim infaustam execrantes militiam infestis signis in auctores belli irruere, in eosque more majorum in frusta concisos animadvertere volebant; nonnulli infami proscindentes nomina Magnatum convitio, eos, ut cum suo infortunio luctarentur derelinquendos, ac feris bestiisque objiciendos esse censebant, multi arreptis illico signis, aliam ingrediebantur viam. Ex quibus cum Paulus Palejus, Albertus Fabricius, et Lucas Kallovius equestres Tribuni, cum mille fere equitibus ad alpium usque Máramarosiensium juga pervenissent, animadversi a Petro Pogányo, comitatus illius Vice Comite, cum ad arma populares conclamasset, ac etiam praedones publicos ad eam militiam excitasset, siti, inedia, labore, et brumalibus fessi injuriis, ad unum omnes caesi sunt, praeter Albertum Fabricium, et Lucam Kallovium, qui capti, et postmodum Váradinum deducti, inspectante principe, in veru praeacutum transversim a carnifice tracti sunt. Forgátsius autem caeterique proceres, post varios et diuturnos errores, inusitatas sitis inediaeque perpessiones et atroces brumalium tempestatum calamitates, nacto Divina quadam intercedente virgula opilione, cujus indicio in viam rectam, quae in

a) Hic 18. voces a Censura Budensi deletae sunt.

Poloniae regnum tenderet, ducti, praesentissimam evaserunt perniciem, amissoque fere omni exercitu primum in Poloniam, deinde in Hungariam in summum omnis aetatis ludibrium pervenerunt. a)

---

a) Saxonici scriptores res horum temporum ita describunt:

Sigismundus Forgátsius, ut insidias Andreae Magni, et quorundam militum praeterverteret, una cum Radulone regulo Moldaviae, cui Magnus non minus insidiabatur, XIII. Calend. Septembris solvit, Medgyiesum versus movit, ubi Oppidani non solum praesidium CCC. vel ut alius CC. peditum Scepusiensium Germanorum receperunt; sed etiam partim pecunia, cujus 10000. florenorum numeraverant, partim commeatu hostem juvarunt, cujus vero partem Hajducones Báthorei in via una cum quatuor Moldavis militibus X. Calend. interceperunt, praeda militibus concessa, captivorum autem unus, secundo post die, Cibinii, quatuor equis applicatis ad manus pedesque restibus, laceratus, alter ex Curia praeceps datus, reliqui bini vero numellae superimpositi per satellites tyranni, bombardis, quasi militari exercitio enecti prius, deinde ex urbe tracti, triste Báthoreanae crudelitatis spectaculum exhibuerunt.

Confirmatis jam in fide etiam Schaesburgensibus, in Barcia Forgátsius ad Coronam castra posuit, ubi dum miles pugnam detrectaret, in angustias redatus, currulia tormenta Coronensibus, pro florenorum sex millibus oppignoravit, et invios montes ingressus, per praecipitia loca errabundus, continuos quatuordecim dies, totum exercitum summa rerum penuria afflictum, adeo ut equos etiam consumerent milites, circumduxit, et in hoc errore quatuordecim millia suorum amisit.

Báthoreus metu hostili liberatus, cum ex recenti nuntio accepisset, Andream Magnum subsidio cum aliquot millibus ad se festinare, institutis solemnibus ad XII. Calend. Septembr. omnia instrumenta bellica in urbe exonerari jussit, moxque VII. Calend. exercitu in tria diviso agmine, partem Albam Juliam pro captivandis nonnullis optimatibus misit. Ex horum numero Nicolaus fuit, quem cum aliis Cibinium perductum, pedibus e cruce, quae olim in

Báthoreus prospero rerum suarum successu non nihil elatus, simulac copias Turcicas

---

majori area prostabat, suspendit, suspensi tergum securibus contundi mandavit, et cum hanc poenam miser diutius perferret, ab omnibusque in mortuorum cathalogum reponeretur, abscissa reste decidit, nec multo post in pedes prosiliens, conspectum et gratiam Tyranni frustra imploravit, nam ad numellam reductus, militum gladiis in frusta, crudeli imperante principe, concisus interiit.

Sub Calend. Septembr. Siculorum aderant subsidia, quo die universi Senatorii ordinis cives, una cum suis officialibus in carceres sunt conjecti, praesertim autem Judex Regius, qui erat Daniel Molner, alias Daniel Deák, et Colomannus Goldmeister morbis quassati loco foetido (nostri Tömlötz vocant) funibus immissi, tridui moram inter excrementa sustinuerunt, nec nisi facta sponsione pro conquirenda pecunia sunt liberati, Civium vero Magister Gallus Lucas, honestiorem a satellitibus tyranni in domo praefecti curiae (quem Hopnerum dicimus) custodiam est adeptus. Caussa hujus rei erat grandis pecuniae summa, quam a civibus Báthoreus postulabat, propositis spe restituendae urbis si exsolverent, sin minus, metu resecandorum capitum. Verum licet miselli omnem suam suppellectilem in pecuniam converterent, nihilominus crudelis homo fraudulenter cum illis egit; nam quamprimum numeratam pecuniam obtinuit, omnes ex urbe, et majorum domiciliis in exilium ire jussit, praeter paucos, quorum opera ejus Aula carere non posset, denuoque Collegia Senatorii ordinis, et superius et inferius, quod centum virorum vocatur, in custodiam unius diei dantur, et cum Hungaris vir Senatoriae dignitatis totam noctu perlustrat urbem, partim proscribendos, partim eos, quibus tyranni gratia parcebat, consignaturi. His peractis ad consulem vocantur singuli, promulgataque proscriptione ejiciendi et conservandi praeleguntur, confestimque proscripti ex urbe ire jubentur. Quae rerum facies fuerit, ubi mariti ex amplexu svavissimarum conjugum, et charissimorum liberorum removebantur, et dubium erat, an ipsimet in perniciem progressuri, an vero suas, suosque, ipsa morte crudeliori Hungarorum servitio sint relicturi, facile conjicere licet.

deducente Gabriele Bethlen, non sine multorum mortalium in servitutem assertione in provinciam

---

Haec equidem tempestas tantum in viros tonuit; donec tandem idem fulmen et in sexum imbecilliorem vibratum fuit. Interea Hungarus Sardanapalus ex urbe, si cives spectes, ut plurimum foeminea, quasi ex Gyneceo Medjesum progressus, praesidiarios Caesaris ad deditionem compulit, concessaque primum abeundi venia, mox ubi in conspectum ejus venissent, contra datam fidem, ferreis constrictos instrumentis, Cibinium captos XVII. Calend. Octobr. transmisit. Horum 75. in Turciam per Andream Gétzi ablegavit, caeteros vero, gravibus laboribus per sesquiennium oneratos, cum venalibus equis Turcarum mercium instar permutavit.

Urbs Mediensium exterior Idibus Septembr. tota militibus in praedam data, omnium ferme jacturam passa fuit, nam pecora in plateis interfecta magis, quam mactata, doliis fundi ademti sunt, ea ratione vinum profusum. Ipsi tyranno cives 2000. florenorum in fabricato ad usus humanos argento, vitae pretium persolverunt, quin et in arcem interiorem hoc malum intravit, nam immissus Gabriel Bethlen, manus sceptro non indignas, rapina contaminavit. V. Kalend. Octobr. in villam majorem praepositi castra transfert Báthoreus, et postquam fures in ejus aerarium involaverant, arcem miserorum colonorum totam depraedatur, Schaesburgum iturus. Verum Schaesburgenses popularium suorum exemplo docti, Tyranno portas occluserunt, accedentesque propius fragore tormentorum et ex his sparsis missilibus removerunt. Quare princeps indignabundus, per viam asperam Fagarasinum profectus, nuntium de Turcarum auxiliis, quae non procul a Corona appulerant, accepit, quare relictis impedimentis, in Barciam festinat, ubi omnem fere saevitiam in miseram plebem profudit, nam quot quot ex Saxonum genere ejus milites occurrentes habuerunt, confestim vel mactati sunt seniusculi, vel juniores Turcis venumdati. Arcem Honigbergensium una cum omnibus hominibus, qui in ea latebant, binis tantum exceptis, qui flammas evaserant, combusserunt.

Ex Barcia Báthoreus Cibinium redux, centum viralem ordinem, jam per quinque fere hebdomadas in Curiae custodia occlusum, et cui tam infensus

Boznensem remisit, Varadinum circa festum Simonis et Judae Apostolorum anno Domini 1611. venit, ubi Andreae Magno, homini perfido ignoscens, lasciviae tamen et nefariarum libidinum nullum neque modum neque finem ponens, multorum honestae existimationis virorum, quorum conjuges constuprabat, animos ab se abalienavit, exercitui autem eam indulsit licentiam, ut dies noctesque latrones et sicarii impune grassarentur, qui miserorum hominum cruore passim plateas et compita respergerent, tantumque saepe numero excitarent tumultum, ac si armatus hostis civitatem invasisset. Aderat etiam annus Domini 1612. hyeme incredibili, et gelu intensissimo, quo arbusta et frondes adurebantur, ferae autem passim, lepores, cervi damae interibant, nobilis, in quo sereniorem fortunae vultum sperare boni quique poterant, si cives Coronenses ad obedientiam principis conversi, a rebellione abstinuissent. Verum ii Andrea Gitzio perfido homine, et Michaele Weiss Praetore ducibus, non duntaxat in coepta perseverarunt seditione, sed etiam finitimis fortalitiis, Prásmáro, Hermányo, Botfalvae, Földváro, Feketehalom, Törtsváro, Veres-Torony, certa imposuerant praesidia, civesque sacramento adegerant, ne portas Báthoreanis aperi-

---

erat, ut etiam prospectum in subjectos urbi campos obstructis muro fenestris IV. Kalend. Octobr. adimeret, ex Curia dimisit, deinde ipsis Calendis Claudiopolim pro celebrandis comitiis; et his peractis, Váradinum in hyberna concessit.

Eo die, quo ex Cibinio egrediebatur tyrannus, ad singulos Sacrorum Antistites, et civicos Magistratus Saxonum dedit litteras, in quibus laesae Majestatis crimen eis intentat, et in ejus rei poenam, omnia eorum Privilegia irrita pronunciat, Decimarumque trinas Quartas adimit. Huic calamitati soli Bistricienses et Rupenses non fuerant obnoxii. Hactenus additamentum in duobus Codd.

rent, et auro argentoque in acervum conjectis pecuniarum grandem copiam insignibus civitatis signarant, conscriptoque exercitu se se ad defensionem composuerant, imo plerosque e nobilitate Siculica ad suas pertrahentes partes, Portam Ottomanicam frequentibus literis et internunciis sollicitare minime praetermiserant, ut tyrannidem Báthorei justis ulciscentes armis, idoneum suae genti principem, sive Michaelem, sive Andream vellent, praeficerent. Ad quos domandos Gregorius Némethius vir strenuus et impiger cum exercitu missus, postquam Feketehalom, Földvárumque in potestatem nullo redegisset negotio, Prásmarum vero nobile cerevisia oppidum, et Hermányum admotis etiam aliquot colubrinis, defendentibus fortiter praesidiariis et civibus, frustra tentasset, ad Bothfalvae oppugnationem animum adjecit.

Est Bothfalvae castellum ad ripam Alutae fluminis in regione Bartzensi, loco satis a natura munito, a) utpote perennantibus aquarum scaturiginibus, et mediocria efficientibus stagna, scatente erectum, muro vetusto altoque, et turribus sex in corona antemuralique, et fossa profunda, fontibus abundante perpetuis, munitum; in cujus oppugnatione dum incautius nocte intempestiva Némethius milites cohortando versatur, plumbea circum tempora ictus pillula interiit. b) Exercitus re infecta Földvárum regressus est. Cadaver autem Némethii Benedekinum delatum in sacello pagi multo honore conditum est. Cujus audito Báthoreus infortunio, relicto Váradino in Transylvaniam venit, missoque recentiori c) exercitu Duce Lupo Alia, quem tribus secibus Siculicalibus capitaneum

---

a) Bothfalvae situs. b) Gregorius Némethi cadit. c) Princeps Varadino redit Cibinium.

praefecerat, ipse Cibinium ingressus est. Ubi more suo, cum commessationibus et gyneceo se totum tradidisset, vino autem in dies et luxuria, non animadvertens se et hominem rationis participem et Christianum esse, foeda diffflueret; accidit, ut a Gabriele etiam Bethlen, praefecto aulicae militiae et compatre suo in convivium accerseretur. In quo cum ad dissolutam usque ebrietatem se vino ingurgitasset, hospitium autem repetere vellet, contigit, ut cum per gradus palatii levigatis ex lapidibus stratos, qui undique brachialibus murario opere elaboratis circumsepti erant, splendida aulicorum manu descenderet, ex fulcro cubitali ingentis magnitudinis saxum, sive incuria hospitis a reliquo avulsum corpore, sive vetustate exesum temere in terram prolaberetur. Cujus lapsu Báthoreus territus, ut sunt natura crudeles suspiciosi et meticulosi, insidias sibi occulte structas manifestatas esse clamitans, auctor fuit, a) Bethlenum e medio tollendi. Verum is calumniosam injuriam singulari repellens prudentia, jam dudum Gregorii magni cognomento Szepesini Praetorianorum militum Praefecti et Stephani Kakonyi Senatoris integerrimi animos sibi devinxerat, qui injuriam viro innocenti fieri, ab omni insidiarum suspicione, variis in Rempublicam meritis exhibitis, alieno, palam testati sunt, qui si indicta causa non citatus, non accusatus, non convictus, nullo tot praeclarorum meritorum habito respectu barbarorum in morem trucidaretur, consideraret, quis amplius de Republica benemereri vellet?

Sed et ipse Gabriel Bethlen armato suo satellitio, quod numerosum alebat, recepit se intra cubiculum, arte latericia concameratum, oneratisque aliquot humeralibus manuariisque

---

a) Suspicio Báthorei in Gabrielem Bethlen.

tormentis, in omnem eventum ad necessariam se suosque praeparavit pugnam, ut vitam, quam ab ineunte aetate celeberrimam per omnes militarium honorum gradus ad praesens usque tempus traduxit, non per inertiam et stolidum mentis stuporem, sed per virtutem strenuam, si necessitas ita ferret, deponeret. Verum desaeviente furore principis eo etiam exemtus est periculo. Hic simultatum inter Gabrielem Bethlen, et Báthoreum semen atque fundamentum jactum est. a)Ex eo enim tempore Bethlen intelligens. quantum momenti ad salutem conferret, uti cum principe in tyrannidem proclivi, quemadmodum igne, nec prope scilicet, nec remote, vitam et fortunas potestati ejus committere recusabat; sed in Devanam arcem natura et arte munitissimam se recipiens, tanquam e specula enormitatem facinorum prospectabat, confusas libidines et profusas largitiones aversabatur. Quidquid enim auri argentique in publicum inferebatur aerarium, id omne nobilissimae duae foedo corporis quaestu meretrices, Dengelegiana et Imreffiana, tam audaci inter se partiebantur insolentia, ut eas ad consortium principatus adsumsisse videretur. Arces etiam et possessiones varias possidebant. Lupa enim Dengelegiana erat Comes, si Diis placet, Comitatus Hunyádiensis, ac arce Hunyadina, cum omnibus pertinentiis, Vingárdo, Czelna, aliisque pluribus possessionibus potiebatur. Alvintzio autem, Somlyoque, Dioszegino, cum universis pertinentiis Imreffianum praeerat prostibulum.

---

a) Gunesch ita de hoc dissensu scribit: Nostri aliam dissensionis et discessus causam Bethlenii a principe Báthoreo dicunt, scilicet: Hunc instituisse choreas quasdam lascivas et libidinosas, ad easque invitasse mulieres Cibiniensium elegantiores, quae autem

Quo in rerum statu cum nihil publicae tranquillitati princeps studere deprehenditur, sed metu duntaxat et inanibus minis, multorum Magnatum animos in officio continet: Andreas Magnus minis territus, novam rursus cum Hajducis seditionem excitat, ductoque ad Kallonem Turcico, Hajducorumque exercitu, civitatem incendit, arcem autem levi urgens obsidione, cum negligentius excubias obiret, a superveniente Stephani Agriensis, qui in fide Caesaris perstiterat, exercitu, ex nec opinato funditur, cumque aciem nullatenus in subitaneo instruere posset tumultu, tormenta quatuor currulia amittens, sceleratum studium intermittere coactus est. Periere ex Turcis 600. ex Hajducis autem 345. plus minus, signa militaria capta 18. equi autem multi cum copiosis Turcorum supellectilibus in potestatem nostrorum pervenerunt. Andreas in castellum suum Bajonium, quod ex liberali munificentia principis acceperat, se recipiens, a nobilitate regionis Bihariensis ad mandatum Báthorei arma ad-

---

dubio procul praemonitae, ad eas comparere recusarunt, ob quam contumaciam Báthoreus infremuit, mulieribusque ipsis extrema quaeque minatus est. Ne autem miserculae in vitae, fortunarumque discrimen inciderent; Bethlenus in persona illas convenit, et data fide cavit, nihil inverecundi passuras. Obediunt illae, et ad choreas illas accedunt; saltatur primo satis honeste et verecunde, incalescente vero principe, dum idem vino, lasciviaeque stimulis agitatus, cum una earundem elegantiori in angulum conopaeis cinctum, in tenebras se subduceret, idque Bethlenius animadverteret, accepta candela, ut fidem datam liberaret, in angulum illum sive Báthoreanum lupanar advolavit, quo viso Báthoreus, ira percitus, arrepta candela, illam in barba Bethlenii extinxit. Quare irritatum Bethlenium defecisse, et ex aula discessisse memorant. Hucusque additamentum duorum Codd.

versus publicum latronem corripiente, castello exactus est, et ad Turcas profugiens Szolnokii et Budae exilium toleravit, unde saepe excurrens, varia in patriam, sangvinem, et necessarios suos Hajducos exercuit latrocinia; nam pecudes et jumenta eorum hostiliter abegit; Szabóltsenses autem, quod officium facere recusassent, infestis adortus armis, cruenta affecit clade.

Interea et rebellio Saxonum majores in dies acquirebat vires, non enim duntaxat Corona, verum etiam Bistricium, et Schaesburgum, quod partim iniquis Báthorei exactionibus, partim turpi militum licentia, foedisque opprimerentur sceleribus, clam defecerant, litterasque subinde et legationes, de tollendo e medio Tyranno ad Portam frequentes miserant, imo ex nobilium ordine etiam non pauci, et inprimis Siculici proceres, qui prope Coronam opulentissima possidebant latifundia, socios se rebellibus praebuerant, in eumque finem studium omne et operam direxerant, ut excussa cervicibus patriae tyrannide Báthorei, novo aliquo principe potiri possent. Andreas interea Magnus vicissim ad principis obsequium rediens, cum sub specie venationis, a) evocatus in campum fuisset, lethali ab ipso principe vulnere affectus est, deinde die sequenti, qui erat Iduum Sextilis, carnifici traditus, in Curia Albensi decollatus est. Nicolaus autem Horváthus stabuli Magister a temulento principe, feralibus indomiti equi ungulis obtritus est. Ea propter jam non solum provincialibus, sed etiam familiaribus terribilis, nemo erat, qui integra fide vellet aut posset sub ipsius regimine vivere.

---

a) Andreas Magnus decollatur.

Gabriel ergo Bethlen iniquo publicam patriae gementis calamitatem ferens animo, Saxones, qui querimonias suas in sinum ejus libenter effundebant, primum per summum silentium consolari, Siculorumque proceres, quorum generalis erat capitaneus, ad communem patriae defensionem cohortari per occultos coepit internuncios. Deinde Mehemetum purpuratum Tömösvarinum, cum quo ei vetus hospitium, et non obscura intercesserat familiaritas, admonuit, ut cum exercitu duntaxat 1000 equitum, et 500 peditum laboranti subveniret provinciae, se curaturum, ut omnes Siculorum Saxonumque nationes junctis animis et viribus adversus juvenem inconsultum, arma illico expedirent. Quae litterae a Báthoreanis in via interceptae, animum Bethleni nudarunt. Ideoque is in aulam accersitus Albanam, mensaeque principali adhibitus, postquam inter exquisitas dapes et illecebrosa gulae irritamenta, vinum Macedonici cerasi liquore coloratum appositum fuisset, ac plenus eo cyathus Bethleno a principe oblatus, nec tamen a pocillatore exhibitus fuisset, Bethlen objurgato pocillatore, funde ex colorato, acclamasset: temulentus princeps praeconcepta ira et indignatione, quam sobrius dissimularat, aestuans, arrepta ex verbis occasione, convitia in Bethlenum, barbarum in morem jactare et capulum a) gladii, quo inter coenandum etiam accingi solebat, corripiens, plena minarum et contumeliorum verba in eum effudit, et se non rubro cyathum vino impleturum, sed sangvine (litteris in sinu contactis) pavimentum conspersurum, palam vociferatus est.

Dum tumultuaretur, Bethlen a mensa, opera Andreae Kapi, et Pauli Rhédei se subducens, strenuis et militari disciplina exercitatis fami-

---

a) Rixa inter Báthoreum et Gabrielem Bethlen.

liaribus stipatus, aula excessit, et se ea nocte Dévam recepit. Postero die Báthoreus crapulam edormivit, et quantum ei a Bethleno immineret periculum, non ambiguis ex conjecturis subolfaciens, ultro sub fide publica eum ad se invitat, imo pro praesenti sua necessitate, tria millia florenorum ei se titulo inscriptionis et oppignorationis collaturum sancte promittit. Quo jurejurando Bethlen pene deceptus, comparata pecunia, ad profectionem accingit se; verum ex supervenientibus Andreae Kapi et Pauli Rhédei litteris cognovit, non tam facile tyrannis esse credendum, quam ipsi promitterent. Cum enim eorum ingenia sint in horas mutabilia; versatili ducti inconstantia, non fidem, non religionem Dei immortalis ullo loco habent. sed humana semel perturbata societate, perjurio et promissis incautos fallere, quos viribus nequeunt domare, apud eos religio est. Sed et aliud certius accessit indicium. Erat enim foemina quaedam nobilis magno loco nata, quae turpem cum Báthoreo consvetudinem saepenumero habebat. Ea eodem tempore, tota nocte infami corporis prostitutione libidinoso principi muliebre exhibens officium, a) prout juvenes amatores amasiis plerumque omnia suis temere effutire solent, percunctata est, num Gabrielem Bethlen e medio tollere vellet, cui princeps jurejurando confirmavit, se simulac is in aulam veniret, eum velut affectati regni reum ferali perempturum ferro. Quas foemina principis insidias illico detexit. Postero enim die unum ex servitoribus Bethlenii, cui Andreae Debretzeni nomen erat, obvium nacta, eidem denunciavit, ne, si vitae et fortunarum rationem haberet, mandato principis obsecundaret; sibi enim in castro Alvintzio inter amores princeps aperuisset, quid

---

a) Nota unius Cod. Catharina Török.

cum ipso facere decrevisset. Sed et celeberrimi Joannis Retteghii concionatoris aulici, cum quo arcta Bethlenio intercesserat conjunctio, litterae eum frequenter admonebant, ut vitae, qua chariorem non haberet suppellectilem, summo studio consuleret, ne eam temere in principis irati praecipitans insidias, tum demum, cum praecavere periculum nequiret, sero saperet.

Quibus omnibus internunciis et litteris Gabriel Bethlen motus, inplacabilem tyranni animum ratus non nisi sangvine placari posse, compositis in castro Ilye rebus suis, et firmo arci Devanae imposito praesidio, cum 50 familiaribus suis delectis militibus Tömösvárum idibus Septembr. profectus est. Andreas autem Kapius et Paulus Rhédeius, quod complices Bethleni fuisse crederentur, X. Calend. Octobr. Cibinii in vincula conjecti sunt. Quae res magnam rebus Báthorei confusionem attulit. Nam et cives Bistricienses, quod principatum Báthorei Saxonicae nationis diram calamitatem, et captivitatem reputarent, Hajducorum autem depraedationes et rapinas, adversus principis jusjurandum, quo neminem in religione, juribus et libertate se turbaturum promiserat, fieri clamitarent, imperatori Ottomanico supplicabant, ut nationem Saxonicam adversus Báthorei tyranidem augusta sua protectione dignaretur. Et Coronenses rebelles duce Andrea Gitzio, majores in dies copias conflabant, impetratisque a Radulone Mihnie filio, ex jussu mandatoque imperatoris Turcici 600 equitibus levis armaturae, Schaesburgum occupare, et praesidio contra Báthoreum munire contendebant. Ideoque educto Corona exercitu, qui 1000 equitibus, et 600 peditibus plus minus constabat, operam in eo bello opificibus quibusvis ac etiam scholaribus ultro offerentibus, 15. Octobris cum tripudiis, et magno juventutis gaudio, ad oppidum Földvárum in regione Barcensi ad ripam Alutae flumi-

nis situm, uno a Corona milliari remotum castra posita sunt.

Praeerat 800 equitibus Andreas Gitzius cum aliquot Siculorum proceribus Blasio Nemes, Joanne Kálnokio, Georgio Horvátho, et aliis, 200 autem alios equites, et peditum 60 cohortes ducebat Michael Weifs praetor Coronensis, ambitiosus et factiosus homo, quem ferunt porta Coronensi excedentem frequenter respectasse, et cum fletu praedixisse, se nunquam incolumem domesticos visurum parietes.

Báthoreani in citeriore Alutae fluminis ripa certas sibi delegerant stationes, quorum praefectus Stephanus Turcus simul ac adventum rebellium cognovit, communicato Gregorio Machonio, Fólthioque collegis consilio, Tribunis centurionibusque serio edixit, ut quaesito vado oppositum fluvium sub signis quisque suis in ipsa aurora trajicerent. Miles veteranus, duci suo veterano dicto se audientem praebens, mature trajecit, sub signis XIV. quae MCC fere equites sub se continebant. Tum Turcus ordinata acie ita, ut dextrum cornu Machonio, sinistrum autem Gregorio Fólthio fortissimis tribunis, cum singulis trecentis equitibus attribueret, in medio triariam sexcentorum equitum cohortem ducens, in collo quodam rebellibus opposito apparuit, et suos breviter cohortatus, ut pristinam virtutis, patriae et principis benefactoris, quorum primores militaribus semper favissent honoribus, memores, in rebelles proditores, Valachos, opifices, mercatores, qui nunquam militem vidissent, caeteraque servilium hominum mancipia, armis uterentur, promoveri signa, atque in rebelles ferri jussit.

Gitzius ex adverso et Michael aciem a) inordi-

di-

a) Stephanus Turcus Michaelis Albi et Andreae Gitzii exercitus profligat.

dinatam, et male ex hominum diversorumque opificum generibus cohaerentem instruere coeperant, et cohortes jam aliquot paululum progressae erant, cum Valachi equites a Radulone missi, sive cognitis militum exercitatissimorum signis, sive id a Radulone facere jussi, conversis vexillis Coronam versus moverunt, et insalutatis rebellibus civibus in patriam redierunt. Tum vero Machonius et Fólthius, signa in oppositas Andreae Gitzii, et Michaelis Weifs cohortes inferentes, momento temporis eas fuderunt; fit proelium atrox et cruentum; nam Gitzius quidem cum exercitatissimo suo satellitio, quod ex Siculis et Hungaris ad defensionem corporis sui non sine prudentia custodes conscripserat, difficulter elapsus, Michael autem cum suis Saxonibus dum transire rivulum quendam palustrem et coenosum nititur, a superveniente milite, cui Gregorio Tunyogio nomen erat, obtruncatur. Caetera autem opificum congregatio ad suburbia usque Coronensia nullo discrimine habito, caesa, scholares manus ad coelum cum singulis libellis tendentes, a truculento milite occidione occisi sunt. Cum enim ab inquietis ingeniis non tantum moveantur, sed etiam pro viribus promoveantur res perniciosae et non necessariae; justo Dei immortalis judicio constitutum est, ut raro, aut nunquam actiones non necessariae sint Regnis et Rebuspublicis salutares. Caput Michaelis conto affixum, Cibinium delatum est, atque cum per integros tres dies, de furca in superiori foro erecta dependisset; 22. Octobr. quo die vehementissimi ventorum turbines plurimas in sylvis et montibus arbores everterunt, per furtum ablatum est. Corpus Coronam delatum, magno civium dolore, foeda autem matronarum execratione, quarum aliae maritos, nonnullae liberos, multae con-

sangvineos infausto sub ejus auspicio amiserunt, publice sepultum est.

Quae Báthorei victoria varie animos civium Coronensium affecit; nam alii publice clementiam ejus et misericordiam, quam severitatem experiri malebant; plurimi et inprimis Andreas Gitzius, cum proceribus Siculicis, et Senatoribus civitatis potentioribus ad Turcici Imperatoris patrocinium confugiendum esse svadebant. Ideoque misso ad fulgentem Portam Joanne Bengnero, purpuratorum Principem Nazuphum Passam, atque ipsum Imperatorem edocuerunt, qualiter a sociis a Radulone missis Valachis, in ipso proelii ardore deserti, a Báthoreano oppressi fuissent exercitu; simulque summa proponentes obtestatione provinciae calamitates, depopulationes, et immanes depraedationes, impius ut exigeretur Tyrannus, multa instabant contentione, admiscebantque, Gabrielem Bethlen paucis retro diebus sub alarum potentissimi Imperatoris patrocinium se recipientem, de omnibus rebus abunde et veraciter testari posse. Idem et aliae Civitates, et inprimis Bistricium fecere.

Deinde iterato ad Portam Blasium Nemes a) Hidvégium, senem multarum rerum usu clarum mittentes, non solum Gitzius et Senatores Coronenses, verum etiam Siculorum Proceres copiosis in Báthoreum invehentes sermonibus, auxilium Imperatoris implorarunt. Cui cum Senatus, quem Divanum nuncupant, datus fuisset, ita disseruit:

Invictissime et potentissime Imperator! b) praesentem regni nostri constitutionem pluribus

a) Blasius Nemes ad Portam proficiscitur. b) Oratio Blasii Nemes.

fortassis, quam patientia clementiae Vestrae ferret, declarare cogor; verum aequitas illa, quae universum orbem terrarum ab ortu solis ad occasum usque moderatur, et quae fulgentissimo Tuo solio, supra omnes orbis Dominos, simplicis instar columbae insidet, me animat, atque novo quodam recreationis genere reficit, ut ea, quae moestus de patriae, provinciae videlicet Transylvanicae calamitate, squallore, incineratione, rapinis, depraedationibus, deque injustissimo Báthorei dominio in medium proferre possem, uberius declarare audeam. Ex quo enim Andreas Gitzius a Porta hac fulgidissima ad nos venit, ex eo semper tempore, sub auspicio Tuo, secundum rerum nostrarum successum, florentemque vidimus, et jam civitates aliquot munitae fidem atque auctoritatem, invictissime Imperator! Tuam sequebantur. Verum perfida auxiliariorum Valachorum desertione proditi 16. die Octobris factum est, ut quingentos ex nostris, cum praetore Reipublicae, et duobus praestantissimis civibus desideraremus. Unde in tam ardua Reipublicae nostrae, scelere, et injuriis Báthorei bonis omnibus exhaustae, necessitate sub umbram alarum tuarum invictissime Imperator pullorum instar confugientes, Te in sede hac clementiae justitiaeque sedentem obtestamur, ut nos primo quoque tempore fideles hortulanos et mancipia Tua ab intolerabili tyrannide Báthorei, nihil Deum, religionem, libertatem, datam saepe fidem curantis, vindices. In memoriam enim revoca, invictissime Imperator! felicissimorum avorum et progenitorum Tuorum virtutes, qui non alia magis via, quam quod laborantibus tempestivas tulerunt suppetias, gloriosum hoc solium posteris reliquerunt. Primum Saracenis aliisque gentibus Arabiam utramque, Asiam et cum ea Aegyptum, Syriam Babyloniamque, armis potentissimis ademerunt, deinde in Europam a

Palaeologis vocati hanc Urbem, alterum Imperii Romani caput et domicilium obtinuerunt. Ex quo Majestatis et potentiae solio in omnia Europae regna provinciasque intentissima vigilantes cura, omnium populorum animos clementia et misericordia sua adeo in sui admirationem rapuerunt, ut certatim eis alii donaria offerrent, alii obedientiam profiterentur, multi ab iisdem in arduis suis calamitatibus opem implorarent; quod etiam noster Rex Joannes I. gravissimis a Germano oppressus injuriis tentavit, obtinuitque, ut a temporibus Magni Solimanni Sultani felicis reminiscentiae, provincia Transylvaniae, tunc quidem florentissima, nunc autem naturalibus per Tyrannidem profligatis Dominis, sub dura latronum Hajducorum servitute gemens, clementia Imperatorum Ottomanicorum tuta semper esset. Quam etiam nobis securitatem invictissime Imperator! sub verbo Imperatorio, quod sanctum et credibile esse debet, per Andream Gitzium promiseras, dum in litteris augusta Tua Majestate dignis Te nos defensurum, veluti gallina defenderet pullos, scripseras. Ex quo tantam in animis nostris fiduciam conceperamus, eamque adhuc firmiter amplectimur, ut ne capillum quidem capitis nostri, a Tyranno evelli posse arbitraremur. Verum dum anheli auxilium expectamus, fatales nos usque adeo oppresserunt miseriae, ut amissis domibus, uxoribus, rebusque omnibus, vix pane quotidiano in obsessa a latronibus civitate suffulti, vitam, quae adhuc superest, toleremus. Neque enim nostra, neque patrum nostrorum memoria, provincia Transylvanica tam atroces calamitates, depraedationes, rapinas, et incendia pertulit, quam sub impia Gabrielis Báthorei injustaque tyrannide ferre cogitur. Nam postquam Tyrannus ipse opes Stephani Báthorei abligurivit, proventus autem provinciae latronibus et meretricibus di-

visit; ad rapinas conversus, arces, oppida et pagos adeo turpibus exhausit commessationibus, ut nullius status et conditionis homines officio amplius suo fungi possint. Non agricola sementem facere, non mercator quaestum suum exercere, non viator iter suum conficere potest. Ardent omnia bellicis tempestatibus, latrociniis, rapinis. Cujus rei testes clarissimi et militares viri: Omerus Passa, Zulphukár Passa, Mehemet Aga, Ibraimus Csauzius, aliique plurimi, qui praeterito anno auxiliaribus Majestatis Tuae copiis praefuerunt. Animadvertas quaeso, invictissime Imperator! et bene recolligas in mentem Sigismundi fratris et Báthorei hujus enormitates. Ille enim modo harum, modo illarum partium, nemini fidus, Magnates parenti Tuo fideles crudeliter interemit, provinciamque iis involvit calamitatibus, quarum abhuc vestigia, ruinosi parietes, oppida et pagi deserti passim ostendunt. Hic vero simulac Principatum invasit, erga vicinos inquiete et injuste, erga provinciales autem superbe et crudeliter se gerere coepit. Nam Regni Hungariae fines in praejudicium Germanorum Regis occupavit, latrones in Poloniam misit, Moldaviam in praedas vertit, Valachiam Transalpinam exacto Vajvoda, in cineres redegit, Te vero, invictissimum Imperatorem, insolentissimis saepius minis offendit, Magnates patriae cives et filios extorres fecit, et bona eorum exteris latronibus divisit. Nemo eum amore, nemo benevolentia prosequitur, verum metu duntaxat et vi cunctorum animos constrictos tenet, cum unicuique uxores et liberos adimit, facitque cum iis pro lubitu, quod vult, imo consobrinam suam incestuoso polluens stupro, ea tanquam uxore in dies abutitur, adeo, ut ex ipsa impietate et obscoenitate conflatus esse videatur. Quodsi etiam Passa Budensis, qui muneribus corruptus, partes Báthorei, pretio, non aequitate, tuetur,

Diploma quoddam multorum sigillorum Majestati vestrae; obtruderet sciat invictissimus Imperator, id confictum ab adulatoribus Báthorei esse, vi et metu fabricatum, illegitimum et nullius ponderis esse, cum multorum sigilla contineat, qui ne conscii quidem sint ejusmodi figmentorum. De quibus omnibus Gabriel Bethlen luculentum poterit perhibere testimonium. Quamobrem te invictissimum Imperatorem, in solio aequitatis sedentem, per Deum obtestamur immortalem, ut causae nostrae bonitatem, patriae afflictionem, et inprimis Deum, et majorum tuorum virtutes reveritus, nos ex hisce miseriis eripere digneris.

Quae oratio negotia Saxonum rebellium, quod seditiosos et rebelles cives, etiam barbari, natura dominii et excellentiae cupidi aversentur, et atrociter etiam in re probabili vindicare soleant, parum promovit; studium vero Gabrielis Bethlen, quod is et splendore natalium, et rei militaris scientia, eloquentia, et optima rerum suarum administrandi ratione, ad clavum provinciae regendum aptissimus esse videretur, commendatissimum effecit. Verum enimvero idem, dum Tömösvárini rerum suarum satagit, et consistorium purpurati frequentat, multaque verborum contentione productis in medium modo Georgii Thurzonis, Palatini Hungariae, modo Sigismundi Forgátsii litteris in eo allaborat, ut Gabrielem Báthoreum Germanicae factioni adhaesisse evincat, atrocem satellitii proprii conjurationem in se concitavit.

Erant Stephanus Bassa et Sigismundus Vajda nefarii adolescentes, qui in regione Siculorum educati, quod ex iis, qui apud Báthoreum honoribus et potentia valerent, non paucos sangvinis jure attingebant, mutabiles ad exilium tolerandum animos attulerant. Ideoque ii animadvertentes, Gabrielem Bethlen herum suum,

non solum iis studere rebus, quae patriae diram quandam perniciem creare, a) sed etiam cognationibus et affinitatibus suis exitio esse possent, maxime autem promissionibus Báthorei, qui pagum 100. colonorum promiserat caput Bethlenii adferenti, allecti conjurarunt, et agitata primum inter se re, tertium Andream Debretzenium adsciscunt, cui cum exacto ante omnia strictissimo juramento, consilium suum aperuissent, et studia heri, patriae, cognationibus, et Principi Báthoreo perniciosa, execrati fuissent, gladium recurvum exacutum ostenderunt, quo nocte insequente caput heri amputandum esset. Andreas inpraesentiarum operam pollicitus, conscientiae tamen morsibus a tam atroci deterritus facinore, fidem potius conjuratis datam fallere, quam indigna Heri sui sangvinis effusione se contaminare voluit. Ergo ad Herum, qui litteris conscribendis operam dabat, impetrata venia ingressus: b) adsum (inquit) funesti consilii duorum scelere et temeritate imbutorum adolescentum detector; beneficiorum enim tuorum, quorum memoriam nulla temporis caries animo meo obliterabit, et heroicarum virtutum admiratio tantum apud me obtinuerunt ponderis, ut sacrilegium putem, adversus. Te vel cogitatione, cui conscientia refragaretur, quidpiam committere. Stephanus Bassa, et Sigismundus Vajda nefarii adolescentes, intempesta imminente nocte, te in lecto quiescentem aggredi decreverunt, ut caput tuum acuto dementes gladio ad Gabrielem Báthoreum aemulum et hostem tuum deferant. Et jam exacuto gladio, me etiam consiliorum suorum participem fecerunt, et tertiam bonorum

---

a) Stephani Bassa et Sigismundi Vajda erga Bethlenium nefarii conatus. b) Andreas Debretzeni conjurationem detegit.

tuorum partem sub spe mihi assignarunt: verum ego timore Dei reverito, et conscientia convictus, vitae potius tuae peperci, quam impiis eorum conatibus obtemperavi. Quapropter cum sceleratum studium moram non patiatur, te per Dei atque hominum fidem obsecro et obtestor, ut fideli cubiculum muniens custodia temeritati facinorosorum obviam procedas, ne et auctoritas tua apud exteros vilescat, et domi benevolorum animi abalienentur.

Quo audito, collaudato Andrea, et silentium praestare jusso, fidelibus adhibitis servitiis, a) conjuratos comprehendit, qui scelus confessi, militari judicio, ad palum damnati sunt. Verum ne exteros opinione crudelitatis infensos sibi redderet, domi autem inter populares nomen suum, clementia potius inclarescere, quam vindictae severitate exosum fieri mallet; eos fustibus exceptos censuit dimittendos.

Interea consistorium purpurati diurno nocturnoque studio excogitatis et jam declaratis fatigans rationibus, evicit tandem, ut passim crederetur, Báthoreum a rebus Germanorum stare. Ideoque primum Budam se contulit, ibique favorem Vezirii sibi conciliavit, deinde Tolnam, Eszekum praeterlegens, in hyberna Belgradum concessit, ubi adoptatus in fratrem a purpurato Alexandro, quem Barbari Scanderum vocant, in spem regni Transylvaniae certis erectus est documentis. Scanderus enim purpuratus conflato exercitu, quo Samuelis Koretzki Poloni copias praeterito anno in Moldavia profligarat, studio omni eodem autumno eum Transylvaniae praeficere percupiebat; verum a Mehemeto purpuratorum principe, cognomento Tiria-

a) Stephanus Bassa et Sigismundus Vajda ad palum damnantur, verum per Bethlenum fustibus caesi dimittuntur.

chi, quod promissa aleret supercilia, impeditus, consilium in aliud differre tempus coactus est. Is enim Barbarus omnia prius pacis et concordiae media exploranda esse, quam ad arma veniendum svadebat: verum bono Gabrielis Bethlen a) fato, purpuratus iste loco motus Nazuphum hominem turbulentum, et novarum rerum studiosum successorem accepit. Ad eum Bethlen Adrianopolim, ubi Imperator Achmet Sultanus Han hybernabat, anno Domini Salvatoris Jesu 1613. mense Februario se conferens, amicorum, quos sibi pristina familiaritate, et virtutibus militari viro convenientibus conciliarat, studiis, partim sua audacia, quod equitantis animi causa Imperatoris, stapedes apprehendere, et querimonias suas brevibus aperire verbis ausus fuerit; (magnum enim apud Barbaros regiae indolis indicium est, Imperatorem audere alloqui) facile obtinuit, ut non solum familiaribus Purpuratorum colloquiis se oblectans, in dies fortunam suam aequiori animo ferendam esse censeret, sed etiam ad Imperiale admissus consistorium, proponendi quidquid vellet, et explicandi facultatem haberet. Igitur posteaquam purpuratorum consistorii imperialis, et inprimis Supremi Vezirii Nazuphi, pontificisque maximi, quem Barbari Mufftim vocant, animos in suam, multa fidei, constantiaeque suae commendatione, et promissis pertraxisset, sententiam; calendis Aprilis consistorium ingressus, hunc in modum locutus esse perhibetur:

Gravissima a primis adolescentiae meae temporibus pro salute, et incolumitate imperii Ottomanici discrimina perpessus, b) Principibus tamen Hungarici sangvinis nunquam injurius, nec ab iis e patria pulsus sub patrocinium et tutelam im-

---

a) Gabr. Bethlen Adrianopolin profectus. b) Oratio Gabrielis Bethlen.

peratoris, cujus fulgentissima Porta afflictis solatium, pauperibus subsidium, oppressis refugium est, concedere necesse habui: verum semper ii, qui factioni Germanicae adhaeserunt, bonos patriae meae cives, invictissimo imperatori fideles, dolis et technis Germanicis oppresserunt, et aut in conspectu uxorum, charissimorumque liberorum jugularunt, aut solum vertere coactis, refugium apud vos, fulgentissimi purpurati, quaerendi necessitatem imposuerunt. Quod a temporibus Sigismundi Principis, Michaëlis Vajvodae et Moysis Siculi, usque adeo magnatibus et civibus Patriae nostrae familiare fuit, ut ii, qui Principum injuriis, et injusto Dominio pressi alienigenarum implorarunt patrocinium, fraudibus germanicis et italicis pulsi, natale solum mutasse ab omnibus crederentur. Cum enim a temporibus Sultani Solimanni praeclarae reminiscentiae, universum nationis nostrae imperium in duas abierit factiones: Ottomanicam et Germanicam, Transylvaniae autem Provincia, cujus vires intestinis primum armis collapsae, deinde potentissimis vestris copiis subjugatae sunt, totam se protectioni, curae, et patrocinio vestro submiserit; factum est, ut duae istae factiones odio irreconciliabili mutuo se se prosequerentur, et potentior viribus inferiorem pelleret, Transylvanos autem, qui fide illibata invictissimi Imperatoris paludamento adhaesissent, tanquam Turcos, execrarentur. Unde omnium malorum, seditionum, et intestinarum discordiarum origines, unde multorum exilia, et indignae neces, veluti ex uberrimo fonte ortae, et resuscitatae fuerunt. Hinc egomet ante annos decem superioribus bellorum tempestatibus jactatus, duabus a Germanica factione vicibus, quod inconcusso studio pro rebus imperii hujus florentissimi ad sangvinem usque steterim, cum potiore nobilitatis flore, fortuna novercante, patria exactus sum, totidemque vicibus for-

tunarum omnium naufragium feci, donec tandem divina benignitate pristino splendori sub auspicio invictissimi Imperatoris restituerer, et meorum provincialium humeris reportarer. Verum id malum tanto aequiori ferendum animo censui, quanto aetas juvenilis ferendo labori magis idonea est. Nunc autem, cum post profligatos immenso labore, et sangvinis effusione Germanos, Halcyoneam quandam tranquillitatem sub quieto invictissimi Imperatoris patrocinio sperabamus, de repenti novo, atque inusitato tyrannidis genere oppressi sumus. Postquam enim Báthoreus meis laboribus, me duce, atque consultore, principatum apprehendit, statim ex continente in incontinentem, ex liberali in prodigum, ex clementi in severum, ex justo in injustum degeneravit. Nam protrito Dei hominumque timore, magnatum pariter et infimae sortis hominum uxores promiscue constupravit, virgines in omnibus Provinciae angulis rapuit, ac violavit, et etiam consobrinae suae, foedo, atque inusitato inter christianos exemplo, minime parcens, eam incestuoso polluit commercio. Deinde in optimates provinciae, qui foedam ejus libidinem aversabantur, conversus, eos rapidi instar leonis, partim ad imitationem fratris Sigismundi, jugulavit, partim solum vertere coëgit, adeo, ut neminem penes se bonum virum, et de patria bene meritum habeat, sed ex circumforaneis latronibus, qui plurima finibus invictissimi Imperatoris, deserta locorum ferarum instar occupantes, detrimenta intulerunt, amicos sibi legens in dies pergraecetur. Liberarum autem civitatum jura et libertates, quod ex assiduis Saxonicae nationis querelis constat, non tantum adversus praestitum eis juramentum, violavit; sed etiam civitatem Saxonum munitissimam, quo firmiori subnixus fundamento, invictissimo Imperatori rebellare, et finitimas provincias, regnaque per summum sce-

lus exagitare posset, per fraudem occupavit, eamque hostiliter diripuit, agmen civium in ipsa civitatis porta, coram Diis Penatibus, uxoribus et liberis, immanem in modum trucidavit, omnium autem domos vicatim perlustrans, eos fortunis et armis spoliavit, et cum singulis vestimentis, ex civitate majorum suorum, templis, et sacellis Dei immortalis parentumque domiciliis in exilium egit. De quibus rebus universa Saxonum natio, et inprimis integerrimus Senator Joannes Bengnerus, universitatis legatus, atque adeo generosi et excellentes ipsius Báthorei continui oratores: Thomas Borsos, et Franciscus Balássi, si modo verum fateri velint, luculentum possunt perhibere testimonium; ut taceam Coronenses, quorum causa vobis cognita est, qui non aliam ob causam, quam quod popularibus suis compatiuntur, annuam jam obsidionem, foris autem crudelem lanienam, et direptionem bonorum omnium patiuntur. Quamobrem si provinciam vestram, cui Tyrannus intolerabile imposuit jugum, et in qua publica quaevis itinera latrones obsederunt, salvam esse cupitis; primo quoque tempore, adversus domesticum hostem, qui aperto longe nocentior est, cum copiis invictissimi Imperatoris movebitis.

Eandem sententiam litterae et legationes Saxonicarum Civitatum, et nonnullorum Magnatum confirmabant. Ex quibus omnibus a) purpurati cognoverunt, Báthorei causam injustam, populo onerosam, Imperio autem perniciosam esse. Eapropter Nazuphus primae notae Vezirius Calendis Maji Gabrielem Bethlen in ipso Consistorio, Principem Transilvaniae salutavit, et in signum majoris authoritatis sceptrum, et

---

a) Gabriel Bethlen in Consistorio Purpuratorum a supremo Vezirio Princeps Transilv. salutatur.

gladium, deinde duo millia thalerorum, tres equos generosos, unum phaleris, monilibus, sellaque deaurata ornatum, duos autem Asiaticis obtectos stromis, quinque asinos insuper, totidemque camelos clitellarios, eidem assignavit, et Scandero purpurato Magyar Ogli Ali Passae, Tartaris Ossoviensibus, et Silistriensibus, duobusque Moldaviae et Valachiae Transalpinae Regulis, auctoritate Imperiali serio demandavit, ut ad primam Bethlenii requisitionem, cum omnibus praesto essent copiis, eumque provinciae Transilvanicae restituerent.

Interea domi Báthoreus non ambiguis ex conjecturis, et certis amicorum suggestionibus intelligens, quam ingens capiti suo periculum, universaeque provinciae immineret, Matthiam Imperatorem missis immensi pretii, in gratiam Cleri casulis, gemmis Orientalibus, et lapidibus pretiosissimis redimitis sibi reconsiliavit, Coronenses cives restitutis arcibus Törts-vára et Rosnyo in fidem recepit, et pacatis provinciae rebus, studium omne, labores et opes ad evertendos a) Bethleni conatus convertit. Ac primum ut odium Provincialium in eum exacueret, eum in publicis Regni Comitiis, cum omnibus suis complicibus proscripsit, proscriptumque in perpetuum damnavit exilium. Deinde varias ad fulgentem Portam expedivit litteras, quae partim a Radulone Valacho, partim a Magyar Ogli Ali-Passa, occisis in via cursoribus interceptae, et ad Portam missae sufficienter declararunt, quam ardenti studio, Imperatoris patrocinio subniti, Bethlenum autem sive sibi traditum, sive in conspectu Oratorum suorum interfectum, totis viribus opprimere voluerit. Verum litterae a fautoribus Bethlenii suppres-

a) Gabriel Bethlen proscribitur.

sae, Oratores autem minis, et largitionibus corrupti documentum exhibuerunt, frustra consilia et labores sine Dei auxilio suscipi. Sed et Romanorum Imperator, cum quo varias exercuerat simultates, Portam per Andream Negronium commonefecerat, se Báthorei excessibus clementem praebuisse aurem, et cives Coronenses, (uno excepto Bengnero, qui frequentibus minime supersedebat criminationibus) cum quibus in gratiam redierat, causam ejusdem non sine singulari inconstantiae exemplo, commendare non intermittebant. Báthoreus enim non tantum honorem, existimationem, et libertatem eis restituerat, sed etiam Andream Gitzium, Coriphaeum rebellium, exacto primum arctissimo juramento, quod ne cogitatione quidem novam moliretur seditionem, in aulam postliminio receperat, et militiae aulicae equestris Capitaneum declaraverat. Verum enimvero, ut fatalibus impendentibus periculis nil prosunt consilia, quantumvis salutaria; ita ultione appropinquante divina, mores contaminati frustra studium honestioris vitae induunt. Nazuphus enim purpuratus iterato Scanderum Passam, et Magyar Ogli Ali-Passam, et Satin Gerai Sultanum Tartarorum Principem admonuit, ut quam instructo possent exercitu in Transilvaniam contenderent, et Báthoreum vivum mortuum in potestatem redigentes, Gabrielem Bethlen provinciae restituerent. Nam et Romanorum Polonorumque Reges per internuntios suos sancte se pacem culturos promitterent, et aliae passim Imperatoris provinciae pacatae, hostes autem terra marique perdomiti essent; solus Gabriel Báthoreus in Transylvania tumultuari, et novis studere rebus deprehenderetur. Sed nihilominus opinione tardius exercitus conflari potuit. Cum enim Barbari ante tempus messis hordeaceae in castra confluere, antiquis suis ritibus vetentur; factum est, ut ad sollicitam etiam purpuratorum requi-

sitionem, nemo pedem intra spatium quatuor integrorum mensium moverit. Mense tandem Augusto, undique copiae Belgradum convenientes 16. tandem die mensis ejusdem ad Portam, ob viarum angustias et anfractus coenosos, et vivis scaturiginibus aquarum scatentes lacunas, ferream dictam, pervenerunt. Ubi Bethlen et Scanderus per integros 25. dies in castris commorati, quod Magyar Ogli Ali-Passa, et Satin Gerai, duoque Valachorum Reguli opinione tardius cum exercitu accessissent, quodque non exigua Spahiorum seditio propositum retardasset, minime contemnendam in rebus susceptis desperationem conceperunt. Eodem enim tempore Franciscus Balássi, Orator continuus Báthorei cum Mehemeto Aga, in castra venerant, qui nomine Vezirii supremi Scanderum admonuerant, ut pacificum cum Báthoreo institueret sermonem, procuraretque, non armis, si id commodo Reipublicae Ottomannicae fieri posset, sed placidis sermonibus, et consilio Báthoreum in ordinem redigere. Eapropter Scanderus duos Begos, Franciscum item Balássi Legatos ad Báthoreum misit, qui authoritate Imperatoria ei injungerent, ut si provinciam administrare in animo haberet, arces Lippam et Jenö resignaret, Saxonicae nationi Cibinium, Gabrieli autem Bethlen bona sua restitueret, et annuum more solito censum ad Portam mitteret. Verum is sive naturali animi magnitudine, sive improborum corruptus consilio, durius, quam periculosa rerum omnium perturbatio postulabat, se gessit. Tametsi enim annuum cum exquisita officiorum pollicitatione censum se numeraturum promitteret, arces tamen etiam in summo regiminis sui discrimine constitutus dedere constanter recusabat. Gabrielem autem Bethlen, etsi totus occultum in animo fovens odii virus aversaretur, nihilominus convictus creberrimis provincialium votis, sub fide publica pristinae

existimationi restituturum, bonaque eidem per vim ablata refusurum se promiserat.

Caeterum Bethlen in intimis animi sui penetralibus serio perpendens, quanti coactae Tyrannorum promissiones aestimandae essent, utpote qui fidem utilitate et voluptate metirentur, minime acquievit, donec voluntati supremi Vezirii satisfactum fuisset. Ergo Scanderus cum omni exercitu 24. Septembris in Transylvaniam penetravit, ex altera autem parte cives Coronenses, praeteritarum a Báthoreo illatarum injuriarum memores, misso Joanne Bengnero, Magyar Ogli Ali-Passam, Sultanum Tartarorum et duos Valachorum Regulos, cum numeroso exercitu properantes intra alpes receperunt, adeo, ut hostium multitudo 80. millia bellatorum excederet. Ita uno eodemque tempore, via duplici, veluti universali quadam aquarum exundatione, hostilibus armis provincia obsessa est, et ferali ubique incendio, oppida, villaeque in cineres abeuntes, ingentem captivorum numerum, qui 40. a) capitum millia excessisse perhibetur, hostibus objecerunt. b)

Báthoreus Cibinio Stephanum Kakonyium, et Gregorium Magnum cognomento Szepesinum cum 600. peditibus, et tribus equitum levis armaturaè centuriis praeficiens, in castra ad Albam Juliam tumultuarie posita concesserat, qui hostium perculsus multitudine, (vix enim decem millia bellatorum penes se habebat) simulac Ali-Passam, Tartarorum Sultanum, et duos Valachorum Regulos, in campis Cibiniensium consedisse intellexit, Calend. Octobr. fugae similem profectionem Claudiopolim versus instituit. Quem Scanderus et Ali-Passa infestis subsequuti copiis IV. Nonar. Octobr. ad ripas Marusii fluminis, prope Albam Juliam ca-

a) Codex unus habet 60. b) Bethlen cum Turcis Transsilvaniam ingreditur.

stra posuerunt, exustoque Albae suburbio, nobilitatem inermem, plebemque promiscuam in fidem receperunt. Hinc inito consilio, placuit Begum Zelanich, et iterato Franciscum Balassium ad Báthoreum mittere, qui postquam irrito conatu de arcibus dedendis cum eo consilia contulissent, multaque contentione votis provincialium accedentibus disceptassent, vacui redire coacti sunt. Báthoreus enim propositi ad obstinationem usque tenax, negabat se vel assiduo usu contritos calceos perfidis hostibus, apud quos nihil sanctum et religiosum sine enormi quaestu haberetur, concessurum. Interea Tartari adjunctis pharetratis copiis Valachorum, Báthoreum ad Claudiopolim 10. die Octobr. assequuti, exercitum ejus ingentibus, quatuor integris diebus eundo, redeundoque adeo fatigarunt proeliis, ut animi provincialium, non eorum duntaxat, quos iniquis adfecerat contumeliis, verum etiam quos a stiva ad honores evexerat, conciderent. Neque enim quidquam ex immoderata luxuria remittebat, sed furiosae instar belluae etiam in medio calamitatum patriae, tantopere vesanis se dediderat voluptatibus, ut Sardanapali instar, amissa primum authoritate, et Regnum amittere, non unius aestimaret assis. Ideoque cum appropinquantes in dies hostium copias in campis Kereszteşiensibus, a) duobus a Claudiopoli milliaribus remotis, castra metatas esse cognovisset, collectis vasis profunda nocte, Varadinum versus tendere instituit, relictisque in faucibus montium Sebesianorum provincialium cohortibus cum Hajduconibus aulicis, qui numerum trium millium non excesserant, alia via primum Almásum ditionis Csákianae oppidum, ubi Lupa Dengelegiana diversabatur, pervenit,

a) Báthoreus fugit.

deinde itinere Szilágyiensis regionis Zilahum, Somlyónem, demum Váradinum 16. die Octobr. appulit. a) Ferunt ea nocte, qua provincialium copias dereliquit, eum in animo habuisse nobilitatem omnem, ferro, hostilem in modum extingvendi, verum atrocissimo ejus studio occasionem defuisse, pronunciasse duntaxat Regnum Transylvaniae in ruinas resolutum, si plane comminuendum esset, a lupinis potius dentibus, quos pro insignibus gerebat, quam alio quopiam debere comminui. Quapropter nobilitas, quo sors, quo fortuna tulit, passim in regno dilapsa est. Potior tamen pars se Gabrieli Bethlen et Scandero purpurato, qui ad ripas fluminis aurati, in campis Keresztesinis, cum universis copiis eventum rei praestolabantur, aggregavit, missisque in omnes provinciae partes cursoribus, et litteris salvi passus, Siculicam nobilitatem, et Saxonum Respublicas admonuit, ut ad novi Principis electionem ad diem 20. Octobr. frequentes Claudiopolim convenirent.

Interea Bethlen summo animi studio, prout in tam acerba rerum omnium perturbatione, authoritate inter efferatos valebat Barbaros, rapinas, incendia, depraedationes, et captivorum collectiones, nomine Imperatorio severe prohibebat, et per celeres Csauzios, Nazuphum purpuratorum Principem per Dei atque hominum fidem obtestabatur, ut Magyar Ogli Ali-Passa, et Tartarorum Sultan, de dimittendis sine lytro captivis, serio compellerentur, cum ii potiorem incolarum Provinciae partem in vincula conjecisse veraciter perhiberentur; verum salutari studio eventus minime respondit. Bar-

a) Parschitius ait, Báthoreum tanta celeritate fugisse, ut Claudiopoli Varadinum usque 15. miliaria Ungarica uno die emetiretur, Nota unius Cod.

bari enim cum propriam laborum suorum mercedem, in captivorum copia, ex qua divitem exercent quaestum, sitam esse intelligant, mori potius mallent, aut gravibus seditionum procellis universum involvere exercitum, quam captivis se fraudari, tanquam certis laborum suorum proemiis paterentur. a) Ut nihilominus cruentum invictissimi Imperatoris gladium Provinciales a cervicibus patriae removere possent, longa inpraesentiarum deliberatione postposita, tanquam ad universale exstingvendum incendium, Claudiopolim ad electionem novi Principis alacriter convenerunt.

Sed ut admirabilis, repentinaeque hujus mutationis rationes plenius praeter admirabile et adorandum Dei praepotentis, Regna ob peccata transferentis consilium, intelligantur, placet ex publicis actis, modum et seriem electionis describere. Nam antequam in nomine Dei omnipotentis de novo Principe cogitarent, interregni tempore, duodecim sibi Viros legendos censuerunt, quorum authoritate et consilio, libera electio, si alias unquam, nunc potissimum observaretur.

Ii ante omnia, ne duos simul Principes agnoscere viderentur, Báthoreo, qui in castris sub arce Váradina positis, novis rebus studere nuntiabatur, valedicere, et a Magistratu ejus avelli, integrum esse putarunt, scriptisque 21. Octobr. prolixis ad eum, nomine Universitatis trium nationum Regni Transylvaniae litteris, sincero (inquiunt) animi nostri studio Gabriel Princeps! voluissemus, si praesentes nobis b) litteras, et publica acta, neque temporis immutabilis et dura conditio, neque invictissimi

a) Comitia Claudiopolitana. b) Litterae valedictoriae regnicolarum ad Báthoreum datae.

Imperatoris violenta, et inaudita patriae nostrae ruinae conjuncta coactio, neque tua inter nos turbulenta et inquieta conversatio extorsissent; nam neque nos praeteritis hisce et lacrymarum plenis diebus, incendia, et flammas, patriae cineres et ruinas, et incredibilem captivorum multitudinem in conspectu in diram assertam esse servitutem, immenso animi dolore conspexissemus, neque tu extra regnum, iniquam fortunae novercantis faciem expertus esses. Cujus rei qui primum ansam praebuit, illi ipsimet, qui Provinciae huic, ex mandato Imperatoris sui, omne intulerunt malum, caput ejus diris devovent, et ut poenam Deus omnipotens in conspectu orbis christiani, eidem singularem infligere velit, precantur. Nos vero iis omnibus, quae lacrymosa secum portarunt tempora, humillime obtemperantes, strictisque invictissimi Imperatoris armis, severisque mandatis, minime refragari valentes, patriam universali hoc excidio, veluti inter furentes maris procellosi aestus periclitantem naviculam eripere decrevimus. Ideoque a persona tua secedere, et principatui, quem inter nos turbulenter et ferociter administrasti, in perpetuum valedicere necesse habuimus. Quas quidem res, si ad certam conscientiae trutinam examinaverimus, quanquam neglecta in propriis oculis trabe, festucam in alienis vellicare minime addeceret, nihilominus invenimus te unum in nostram perniciem concitasse. Posthabitis enim fatalibus prodigiis, et terribilibus plagis, quae justo Dei immortalis judicio, iteratis vicibus patriae nostrae ingruerunt, puta: enormibus locustarum grassationibus, inusitatis fluminum inundationibus, inauditis grandinibus, post tergum etiam rejectis gravibus orbis Monarcharum admonitionibus et minis, secundos rerum eventus, non divinam benedictionem, sed praedam et rapinas esse reputans, en tandem! quo nos tecum pertinax

demersit temeritas! cujus quandoquidem poenitentia duci nequivimus, nunc clementiam et divinam longanimitatem praesentibus undique plagis, sero tecum flebilibus imploramus votis. Quanquam vero de te acerbo intelligamus animo, quod tam funestas patriae calamitates, nunc quoque animo laeto, choreis, et comessationibus indulgens, in otio praetermittas; id tamen aetati tuae condonare integrum putaremus, si te intra limites modestiae, pro praestito nobis Sacramento, a primo principatus tui exordio continuisses; verum enimvero nullos in universo regno ordines antiquis eorum privilegiis, et legibus uti permisisti, imo in iisdem, adversus praestitum nobis juramentum, eosdem opprimens, et turbans, cum vicinis regnis tranquille et pacifice initam societatem turbasti, et quod majus est, invictissimum Imperatorem, nec non Christianorum principum Majestates indignis contumeliis et convitiis proscindens, regni hujus salutem, nedum principe viro digna sollicitudine procurasses, sed juramento asseruisti, obtritos usu calceos pro eadem te expendere nolle. Deinde neque Consiliariorum, neque trium regni hujus nationum admonitionibus et supplicationibus obtemperans, in castris Alba-Julianis, in gratiam unius meretricis occulta et perniciosa fovisti consilia in universae nobilitatis Regni hujus cladem vergentia. Praeterea dum e castris ad Claudiopolim positis intempesta nocte moveres, simulans te versus Sebessiam profecturum arcem, provinciales commonefecisti, ut te ad Sebesiam urbem duntaxat comitarentur, postea quilibet eorum rebus suis invigilare salva conscientia posset: interim tamen per proprios itinerum duces, exercitus Provincialium, in anfractuosos viarum errores, et densas deducti sylvas, propter instantes intempestae noctis tenebras, de necesse confusi sunt, tu vero cum iis, qui tibi gratiores apparebant,

Almásum, Somlyónemque versus discessisti, et nos in medio constitutos periculo prius reliquisti, quam praestitae semel nobis fidei renunciares. Demum patriam hanc nostram multiplicibus bellorum procellis agitatam sub potenti invictissimi Imperatoris praesidio tutam ac securam esse, nemo est, qui nesciat, a cujus fidelitate quicunque nos avelli posse arbitratur, in sua opinione multum hallucinetur, plane necessarium est. Quam alienum vero invictissimus Imperator, erga tuum principatum gerat animum, ex praesentibus inclusis Scanderi Szerdari litteris luculenter apparet, cujus viribus amplius reluctari, et novas ab exteris praestolari suppetias, neque tantarum copiarum terribiles depopulationes, neque extrema regni hujus excidii formido patitur. Eapropter tibi nos universi trium nationum Provinciales (cum potior Provincialium pars etiam bellicis hisce confluxerit tempestatibus) perpetuo renunciantes, et principatui tuo hactenus inter nos vigenti perpetuum valedicentes intimare voluimus, ut exhibita hactenus fidelitate nostra, quam extrema etiam Patriae ruina in te declaravimus, contentus, ne ab hoc tempore in Transylvaniam, et ditiones eidem annexas, et incorporatas quidquam juris praetendas, aut eandem, vel easdem usurpes, verum earum omnium penitus immunis, aliter tibi consulas, praeterea ut a turpibus contumeliis, et enormibus conviciis, quibus innocentes quosvis laedere soles, plane supersedeas, te serio requirimus. Neque enim nobis deesset ratio talionem retribuendi, verum memores illius: *Principi populi tui non maledices*, et dicti Aristophanis: *Convitiis et contumeliis rixari, non viros, sed foeminas decere*; talibus te minime onerandum putamus. Imo authores sumus, ut coram Deo, humiliato et contrito te prosternens corde, praesentem for-

tunae mutabilitatem perferas virili et pacato animo, et sortem tuam longe superantibus invictissimi Imperatoris viribus, ne deinceps in majorem regnorum perniciem te ipsum opponas. Scis enim multos principes sponte sua magistratum abdicasse: Diocletianus propter unius horti delicias, Carolus magnus et Carolus V. ob vitam in claustris contemplativam, et patruelis tuus Sigismundus Báthoreus sponte principatu se abdicarunt; adeo nunquam inter mortales pro ludibrio habitum, tempori, et adversis concedere rebus.

Postero die in majori civitatis Basilica collecti, post religiosam sancti Spiritus invocationem, cum ad sententias consedissent ferendas, multiplices a diversis latae sunt sententiae. Alii enim ad interregnum, et triumviros statum Regni deducendum arbitrabantur, nonnulli electionem differendam, multi certos patriae nominandos cives, ex quibus electio fieret, svadebant. Placuit tandem, ob praesentes in regno Christiani nominis hostes, qui ab incendiis, rapinis, et foedis Provinciae depopulationibus minime abstinebant, sed in dies calamitatem calamitati, ruinas ruinis, incendia incendiis, captivitatem captivitati addebant, maxime autem ob metum ultimi, et universalis patriae excidii, quod procul omni dubio, si hostis copias in hyberna distribuisset, effectum fuisset, ut duo virtute et rerum bellicarum tractatione, consilioque insignes viri, Gabriel Bethlen et Balthasar Szilvásius deligerentur, ut quem Deus O. M. infallibilis vocum et sententiarum director, ex iis populi sui principem declararet, ei pleno obsequio, et fidelitate adhaererent.

Abrogata igitur inprimis proscriptione, quam Báthoreus in Gabrielem Bethlen, non more Majorum, secundum leges patrias citatum, multominus convictum, in publica Regni con-

gregatione a) anno superiori circa festum B. Martini episcopi, Cibinii evibrarat, antiquatisque iis omnibus denuo proscriptionibus, in quibus cives Coronenses rebelles, et eorum complices, Joannem Kálnokium, Blasium et Joannem Nemes, Georgium Horváth, hostes patriae declararat, sententias libero pronunciare ore coeperunt. Quae divina quasi directae virgula, unanimi consensu, et singulari omnium ordinum applausu in Gabrielem Bethlen dominum nostrum clementissimum certo collimarunt tramite, quem denique die 23. Octobris magna solennitate inter faustas omnium ordinum acclamationes in templum cathedrale introductum, Joannes Mikola, maturus consilio, et prudentia senex, in hanc fertur compellasse sententiam:

Non abs re illustris electe Transylvaniae princeps! b) in divinis memoriae proditum est litteris, nullas mortalium operationes benedictas, et prosperas esse posse, quae divina benedictione, et coelesti gratia destituerentur, siquidem illud verum est, sine Deo nihil in rebus humanis fieri. Verum id summopere attendendum, num Deus ex singulari suo beneplacito indulgeat bonum quoddam mortalibus, an vero infausto et parum felici fine irrequietas mentes, secundis ad tempus coronet successibus. Quod ut quilibet cognoscere, et palpabiliter quasi deprehendere possit, necessarium plane est, conscientiae trutinam in utramque expendere partem. Nam si Deo exorato certi aliquid quispiam impetravit, et si haud difficulter, et sine impedimento consecutus, adversam fortunam auspicato clausit eventu, signum est, id singulari ex Dei immortalis favore contigisse. E contrario, res humanae quantumvis divina mode-

---

a) Gabriel Bethlen in Principem Transilv. eligitur. b) Inauguratio ejusdem.

ratae permissione, si assidue intricatae tumultuum discordiarumque plenae adpareant, et ex prosperitate in pejus semper ruant, signum est, eas non ex divina benedictione originem traxisse. Ex quibus indiciis non obscure conjici potest, num inter nos Gabrieli Báthoreo immortalis rerum arbiter principatum ex suo duntaxat beneplacito concesserit, an vero ad tempus caussa experimenti frenum inquietae ejus menti laxans, campum ad peccata multiplicanda concesserit, et ob foediorem lapsum ad tantam dignitatem extulerit? Quodsi enim originem regiminis ejus diligentius consideraverimus, clandestina cum Sigismundo Rákotzio transactio, auxilium autem cum Hajduconibus celebrata conjuratio, progressus vero summa iniquitas fuit, qua legitimis plurimarum arcium, villarum, oppidorum, et possessionum possessoribus deturbatis, eas indignis et extraneis divisit, et majus sibi emolumentum perperam quaerens, turbas duntaxat et seditiones concitavit, infami ambitione ductus excellentissimos circum principes contumelia adfecit, elatione praeter sortem suam, et prodigalitate omnia assidue exhausit, nec ulla particula, aut angulus Regni hujus fuit, quem non immanibus desolavit castris, campos sangvine Provincialium foedavit, cadaveribus aves saginavit, ipsiusmet autem occultae et apertae libidines supra arenam maris innumerabiles, saepe noctem propter easdem in diem, diem vero in noctem, quantum in ipso fuit, convertit. Quae si ego enumerare vellem, dies me prius deficeret. Ipso vero illa omnia patrante, nos coecutientibus duntaxat oculis inertique cernebamus judicio, et fortassis multi putarunt, non esse Deum, qui malum inter mortales aversaretur, et ulcisceretur. Nunc autem animadvertere quilibet potest, quod veluti pisces hamo, aviculae autem visco capiuntur, sic ipse blanditiis, dulcedineque vagarum libidinum

in nervum incidit, et perpetuum multorum, qui in altum tolluntur, ut lapsu graviore ruant, exemplum factus est. Alterum pariter signum ex hac eadem declaratione elucescit, nimirum, quod tranquilliorem Regni statum in pejorem transmutarit. Nam Stephano Botskaio, gloriosae recordationis principi, toto vitae suae curriculo detraxit, publica ejus acta rescidit, et per eundem divina mediante benignitate acquisitam pacem, quae afflictissimam hanc patriam post varios bellicarum tempestatum aestus recrearat et restaurare coeperat, cum sui et Regni hujus ruina funditus evertit. Sed quibus artibus Sigismundum Rákotzium ex Transylvania, Radulonem autem Sorbán ex Valachia transalpina exegit, nunc Deus eidem immortalis coram christiano orbe eandem refudit mensuram. Erudiantur ex hoc, erudiantur humiliores in orbe, sublimioresque potestates, nam Dei omnino praepotentis regnantur imperia arbitrio, qui propter peccata transfert regna, et mutat tempora. Illi vero post creberrimos tumultus, si ne adhuc quidem quiescere in animum induxit, metuendum duntaxat illud restat: Qui amat periculum, peribit in illo. Tibi vero illustris et electe princeps! qui nunc ad clavum calamitosae patriae nostrae, navigii majoribus, quam in oceano agitaretur, fluctibus et tempestatibus jactati admotus es, luculenta haec sunt exempla; non enim peregrinis indigebis exemplis, neque bonorum malorumque principum exitu; ab annis retro tredecim supra sexcentesimum, quae propriis vidisti oculis, ex iis tibi abunde documenta elicere poteris. Te universi ordines non solum optimum patriae filium, verum etiam sangvinem et membrum recognoscentes, scimus a primis adolescentiae temporibus, imo ab ineunte aetate iis usum honoribus, et tantopere in rebus patriae versatum, qui nec consilio, nec institu-

tione opus habeas. Ex tanta experientia in omnibus iis, tu aliorum magister et institutor esse poteris. Credimus etiam et certo nobis persvademus, te eum esse, qui genti et patriae tuae veluti propriis visceribus, corpori et sangvini compatitur, vulneribus condolet, eisdemque remedium adhibebit, disjectas, et variis modis impeditas libertates, pristinae restituet integritati, easdemque fulciet, et confirmabit; ruinas autem patriae aedificabit, desolationes in colonias convertet, et veluti piissimus parens aversos a se filios in proprio sibi reconciliabit sinu, demulcebit, requiemque eis praebebit. De te igitur illustris princeps! Status et Ordines universi tam optimam concipientes spem, secundum hesternae electionis tenorem, tuam in eum celsitudinem compellant hoc tempore finem, ut pro regnorum Christiani orbis salutari consvetudine, eandem hac hora solemniter in principem nostrum inauguremus, Deum omnipotentem creatorem coeli et terrae invocantes, ut quemadmodum hesterna die ad certiorem et evidentiorem electionis nostrae confirmationem, celsitudinem vestram, principem et caput nostrum recognovimus, et professi sumus, ita inter universos status et ordines et vestram celsitudinem initae mutuae sponsionis certitudinem, usitatam et descriptam juramenti formulam, in hunc duntaxat finem cupimus a vestra recitari celsitudine, ut de praeclaro vestrae celsitudinis favore et affectu, candore item erga nos et patriam, postea mutuo et reciproco modo de nostra erga vestram celsitudinem propensitate et fidelitate, testis sit solus ille coelestis Deus, testes angeli purissimi, et omnes coelestes militiae, quod principatus vestrae celsitudinis, et reciproca inter nos celebranda stipulatio, absque omni macula et defectu cum immutabili

veritate celebrabitur, in qua divina interveniente benignitate plures felices pertingentes annos, praesens nostra ruina et squallor non solum aeternae mandaretur oblivioni, verum etiam florentes pace et concordia annos consequi posset.

Quae cum edixisset, electus princeps paludamento indutus regio, in medium procedens, exhibitam in scripto juramenti formulam, in hanc recitavit sententiam:

Ego Gabriel Bethlen, electus Transylvaniae princeps, partium Regni Hungariae Dominus, et Siculorum comes a) juro per Deum viventem in saecula patrem, filium, et spiritum sanctum unicam et individuam Trinitatem, me universos status et ordines Regni hujus absque ullo personarum discrimine, in libero religionis suae exercitio, vigore articulorum superinde editorum conservaturum, cum potentissimis orientis et occidentis imperatoribus pacem, et bonam ita culturum vicinitatem, ne ex eo quidpiam detrimenti regnum accipiat, Moldaviae et Valachiae regulos ita mihi conciliaturum, ut bona eorum vicinitas statum Regni hujus pacatum efficiat. Consiliarios ex tribus nationibus, legum, justitiae, pacis amantes, et integrae conscientiae viros adsumturum, quorum consiliis usque adeo me addictum futurum, ut interna, atque externa Regni negotia, puta: confoederationes cum duobus imperatoribus, donationes majoris momenti, officia publica et illustria, sine eorum nutu nec faciam, nec distribuam. Quodsi autem ex consiliariis quispiam, adversus patrias leges, libertates, et Decreta, seposito Dei timore, et rejecta bonae conscientiae integritate perniciosorum consiliorum auctor deprehenderetur, eum comperta rei veritate,

a) Juramentum principis Gabrielis Bethlen.

non obstante gratia, in proscriptorum et notoriorum numerum referam, proceres, nobiles, civitates munitas, et oppida, Siculos, Saxones, in eorum antiquis, et legitime emanatis privilegiis, donationibus, quae in vigore suo manebunt, annuentiis, inscriptionibus me conservaturum, decreta Regni et articulos unanimi regnicolarum consensu conclusos, et ipse observabo, et ab aliis observari faciam. Justum judicium absque personarum discrimine administraturum, et in sententiarum executionibus neminem impediturum. Liberam Regni electionem toto vitae meae tempore non solum non impediturum, verum etiam eam litteris Athname in fulgidissima porta impetratis confirmaturum. Senatoribus Regni liberam vocem in publicis omnium comitiis, ad querimoniarum suarum enumerationem et jurium cautelam concessurum. Fiscalia bona, et alios proventus fiscales recuperaturum conditionibus legitimis. Limites Regni et arces, pro viribus absque praecipue senatorum et Regni nutu minime abalienaturum; titulo autem nunc a regnicolis mihi attributo contentum futurum, neque eum sine Regni assensu aucturum et mutaturum. Sic me Deus adjuvet.

Tum vero ingenti omnium ordinum exceptus est applausu, inter frequentes buccinarum clangores et tormentorum aeneorum fragores, Vivat, Vivat! (ingeminant) Gabriel Bethlen, Princeps mitis, et pacificus! Vivat libertatis vindex, jurium restaurator! et indomitae tyrannidis eversor! Joannes autem Mikola Regni orator, vicissim congratulatione brevibus concepta verbis, eundem hunc in modum compellavit:

Unanimi universorum statuum et ordinum ore et corde electe princeps! Domine clementissime! immortales omnipotenti Deo agimus gratias, quod inter tantas patriae nostrae ruinas, inter ignem et flammas nos conservare dignatus

est, divino et justo suo judicio personam principis permutando, citra multorum opinionem et spem tantarum invictissimi Imperatoris copiarum corda ita direxerit, ut nos in patria relinquendo, hodierna die ex natione nostra, libera praeeunte electione principem clementer indulgere voluerit. Ob quam causam universi status et ordines merito fatemur, hodie nobis denuo esse restitutam patriam, vitam perinde, ac principatum, et ab enormibus nominis Christiani hostibus liberatam. Unde etiamsi totum vitae nostrae decursum gratiarum actionibus attribueremus, centum ora, totidemque lingvas haberemus, eo dignam nihilominus gratiarum actionem minime Deo refundere possemus. Attamen ceu grati filii, deprehendentes immensam hac hora Dei erga nos misericordiam, uno ore et corde benedictum ejus nomen exaltamus. Tu enim hodie a Deo nobis post Saulem David, post magnum Achabum Ezechias datus es; supplicibus eapropter divinam oramus Majestatem precibus, ut veluti olim sanctis regibus populi sui, Davidi, Salomoni, Ezechiae benedixit, benedicat vestrae etiam celsitudini, imbuat eandem sapientia, justitia, fortitudinis spiritu, et super omnes hostes efficiat victorem, apud exteros secundiori fama celeberrimum, domi fidelibus gratissimum subditis, ad perpetuam patriae hujus afflictissimae, et nostri omnium incolumitatem. Amen.

Postea a senatu et regnicolis, articuli, novo principi ad confirmationem porrigendi conclusi sunt, hunc tenorem habentes:

Quod principi authoritate sua abutenti, jus fasque violanti, liceat per Magistratus minores contradicere, et rebellare absque nota infidelitatis.

Fautores Gabrielis Báthorei intra Regni ambitum ad octavum, extra autem exsistentes, ad XV. diem novo principi solemne praestent

juramentum: Praefectus peditum praetorianorum aulicus, centuriones item juramento sint adstricti, ad Regni et principis fidelitatem.

Unio inter tres nationes renovetur, et Regni nobiles Siculique bellicis ingruentibus periculis a Saxonibus intra moenia recepti injuria ne afficiantur.

Fodinarum tam metallicarum, quam salis, tricesimarum item proventus, non a publicanis et arendatoribus, sed certis eorum praefectis administrentur, et in aerarium reponantur. Defectum fodinarum publicani propriis reaedificent sumptibus.

Princeps rapinas et depraedationes cohibeat, aulicam militiam continuo penes se, non apud Saxones, aut Siculos primipilos alendo: Princeps civitatem quandam ingressus, hospitio antiquo utatur more.

Siculi a pensione decimarum, agnellorum, et caseorum immunes sunto.

Cursoribus seu postis, sine publicis principis litteris, hospitalitas ne exhibeatur.

Siculi sine speciali principis mandato cum apparatu bellico in castra condescendere ne teneantur.

Cives in liberis civitatibus et oppidis ne nobilitentur.

Capitaneos princeps constituat.

Dica novem florenorum esto.

Princeps bona fiscalia primo quoque tempore recuperato.

Senatores perniciosorum consiliorum authores juris ordine convicti dignis afficiantur suppliciis.

Princeps publicas litteras in praejudicium et vilipendium regnicolarum ne supprimito.

Siculis sal ad sufficientiam ex fodinis exhibeto.

Iidem Siculi regios judices annuatim mutare sint obligati.

Interea temporis Scanderus purpuratus castra ad Thordam majora habebat, qui intelligens Báthoreum copias circa Váradinum colligere, consilio cum suis inito, delectam exercitus partem Sain Gerai Sultano consignandam censuit, qui idoneis usus viarum ductoribus, Báthoreum aut ex nec opinato opprimeret, aut duntaxat a contrahendis prohiberet armis. Verum cum provinciales partim absentes ad obsequium flectere, late omnes provinciae angulos pervastando properant, partim vero exercitui aliquot dierum quietem a diris villarum et oppidorum populationibus redeunti indulgent, captivos dividunt, rapinas omnis generis partiuntur; ecce a Váradino recentes adveniunt litterae, Andrea Getzio authore, nunciantes, Gabrielem Báthoreum a militibus in publica via 27. Octobr. hora 3-tia pomeridiana esse caesum, quae res Barbaros a proposito avertit, collectisque vasis, cum magna captivorum multitudine, et parta ingenti praeda in suam redierunt Turciam.

Sed ut ad tragicum Báthorei revertamur exitum: is a primis pueritiae suae annis venereus Nepotulus, postquam profusis, non duntaxat immensas avunculi sui, sed etiam Transylvanicas abligurivit opes largitionibus, et per fas nefasque ad rapinas conversus propinqua spoliavit regna, subditos autem expilavit; cum nihil amplius haberet, quod militari avaritiae, velut cerberi infernalis faucibus objiceret, primo in odium omnium incurrit, postea a potiori desertus militum manu, fuga extra alpes salutem sibi quaerere coactus est. Dum vero Varadini commessationibus, et abominandis Turcicarum puellarum, quas ei Stephanus Pethneházius, arcis Jenö praefectus donario miserat, amoribus indulget, atrox in eum exarsit conjuratio. Praecipui enim regionis Bihariensis nobiles, quorum principes Gregorius Boldaius, et Casparus Desefius erant, sive molestiarum

et

et inusitatae tyrannidis pertaesi, sive metu Tartarorum; quorum incendia et flammas ob oculos versari in dies putabant, perculsi, maxime autem, quod certissimum eorum propositum de persequendo Báthoreo constans annunciabat rumor, ne crudeli superstite principe, patriam et penates in cineres redactos conspicerent, coacto concilio, eum e medio tollendum censuerunt. Sed et privata unius cujusque odia, quorum aut uxores stuprarat, aut virgines rapuerat, aut possessiones, domosque abalienaverat, eum vehementissime premebant, a) usque adeo, ut omnium fere calculis infelix juvenis ad supplicium deposceretur. Erat Joannes Szilásius chiliarcha equestris, obscuro loco natus, qui a primis adolescentiae temporibus molendinariam tractans artem ex molitore primum obaeratorum, vagorum, et publice infamium hominum scelere dux factus est. Deinde bello recrudescente Turcico, deserta locorum cum suis frequenter oberrans manipularibus, clarum apud Turcos nomen, et nostros etiam optimates, non sine singulari militaris fortitudinis commendatione obtinuit. Bello tandem Botskaiano inclarescens, principibus Transylvaniae eam indefesso studio in militaribus rebus navavit operam, ut multorum cadente fide, fortissimus et constantissimus inter omnes haberetur. Is triplici offensus injuria; (ut laesa saepius patientia vertitur in furorem) quod uxorem suam impudice a Báthoreo tractari animadvertisset; quod ob denegatam mutui nomine summam pecuniae, in faciem percussus fuerit; quod denique arce Váradina, cujus propugnaculum majus sibi adversus hostes tuendum petebat, ignominiose exclusus, in suspicionem proditionis tractus fuerit; primo in-

---

a) Joannes Szilásius ad caedem Báthorei subornatur.

dignari, mox conceptis verbis fidelitati, quam principi debebat, palam renunciare coepit. Quam rei bene gerendae occasionem factio nobilium arripiens, pertracto in sententiam Andrea Gitzio nefario proditore, Szilásium recentibus pallentem injuriis admonuit, ut si patriae, et salutis propriae rationem haberet, sequenti nocte aedes Gregorii Boldvaii, quae ad ripas Chrysii in platea Olaszi sitae essent, accederet, et quid de tranquilla reipublicae incolumitate, publico decerneretur consilio, audiret. Szilásius rerum adhuc ignarus statuto tempore adfuit, et concilium ingressus, postquam gratissima omnium expectatione exceptus fuisset, tum Gitzius consurgens: Virtutis (inquit) militaris, et pristinae fortitudinis quantopere a multis annis in te Joannes Szilási! enituerit specimen, scimus omnes, quibus vero officiis principes Transylvaniae, et inprimis tyrannum hunc, a quo praeter non soluta stipendia, inique multa passus fuisti, demereri studueris, optime intelligimus, et tecum serio iniquam sortem deploramus. Non enim angvinam duntaxat nobis omnibus rependit gratiam, sed etiam patriam vita nobis chariorem, fugiens, bibens, et foedis indulgens amoribus, faucibus hostium Christiani nominis objecit, et si diutius flagitiosam hanc traxerit vitam, non Dei immortalis religionem, non patriam, non uxores, non liberos, non domos et rempublicam propediem habebimus. Tanta est hostium multitudo, quae undarum in morem contra nos ventura est. Nunc vero te per Deum et patriae obtestamur charitatem, ut flagitioso e medio sublato tyranno, patriam hostibus, nobilitatem metu, universam autem nationem Hungaricam extremo liberes excidio: et fictitias viro illitterato e sinu depromens, nomine trium Regni Transylvaniae nationum litteras, eundem pro praestanda firmiter assecuravit opera, promittens non solum sceleris impunitatem, sed etiam opes, et am.

plissima latifundia. Cunctans et ad deliberandum tempus postulans moram utique impetrat. Victus tandem partim metu, partim praeteritarum injuriarum memoria impulsus, operam promisit, et adjuncto collega Gregorio Nadányi, viro nobili loco nato, sed ob exilium, quod diu toleraverat, et ademtionem bonorum uxoris suae Báthoreo infenso, juramento septem reiterato vicibus, se voluntati Regnicolarum (ut putabat) satisfacturum obstrinxit. Fertur ea nocte Szilásius concionatorem Cathedrae Váradiensis summum, Stephanum Détsium, quem etiam Báthoreus ob piissimas correptiones indignis affecerat contumeliis, mortemque eidem comminatus fuerat, quid facto opus esset, consuluisse, eumque Szilásium animasse. Verum enim vero viri per omnem vitam sanctissimi, atque integerrimi modestia, et eximia eruditio, cui simplices et candidos mores admirabili temperatos prudentia conjunxit, neminem ne iniquissimum quidem rerum aestimatorem tam longe ab aequi et veri tramite discedere sinunt, qui sibi persvaderet, innocentissimum et divinis plane meditationibus deditum sacerdotem, eo praesertim tempore, quo precibus devotis, inter Deum et peccatores se interposuit, et ad poenitentiam vitaeque emendationem populum cohortatus est, tam funesto se contaminasse consilio. Cujus rei evidens est testimonium, quod coram districto spiritualium tribunali per omnes rei gestae circumstantias, et hominum fide dignorum testimonia examinatus, quantumvis ab aemulis falsorum rumorum crepitaculis premeretur, in nullam nihilominus ne levissimae quidem suspicionis notam, gravissimus Jesu Christi servus incurrerit; quanquam degenerem tyrannum spirituali censura ferire ob incaestuosas et nefarias libidines, jure suo secundum praescriptum in verbo Dei tenorem potuisset. Vivit adhuc bo-

nus senex, et de conscientiae suae puritate coram Deo et hominibus protestatur.

Postero die Szilásius in proprio hospitio, quod in vico S. Aegidii Abbatis situm erat, nobilibus 50 collectis latronibus, misso speculatore, a) principem observavit, num pro solita ingenii sui levitate, cum exiguo satellitii numero extra arcis moenia processisset; verum is fatalem praevertens horam, nec sacrae interfuit concioni, (erat enim dies Dominicus) nec in publicum solito more prodiit. Conclusum tandem a conjuratis, ut aliquot tectis extra muros ignis injiceretur, quo si elici ex arce posset, Andreas Gitzius portas arcis et cataractas occuparet, Nicolaus autem Abaffius, qui a partibus Caesaris Germanorum missus, copias auxiliares ad fovendam proditionem converterat, invigilaret, ne inter tumultuandum militaris suboriretur seditio. Eapropter circa horam tertiam pomeridianam, aedibus quibusdam, quae e regione propugnaculi cognomento aurati, erectae, palustribus cannis et arundinibus obtectae erant, ex improviso, uno eodemque tempore ignis injicitur, unde vento non leviter Euro Austroque flante, ne flammarum globi aliquo pacto in arcem ruerent, et majus hominum opinione civitas detrimentum acciperet, junctis equis, fatali appropinquante termino, carpento princeps vectus excurrit, et cohortatis ad exstingvendum incendii ardorem militibus, postquam flammas cecidisse animadvertit, versus Thermas, platea a Venetiis cognominata, cum paucis fatalis itineris comitibus, animi causa proficisci contendit. Quod simulac conjurati per idoneum cognoverunt speculatorem, sellatis illico conscensis equis, eum sensim progredientem, b) inter

---

a) Stratagema conjuratorum. b) Caedes Báthorei.

duas salices e regione molendini, ad brachium Chrysii illic praeterfluens, erecti, assecuti sunt. Ubi primum a Szilásio, manuali circa humeros ictus sclopeto, dexterae manus ministerium amisit, correpto nihilominus gladio, qui quondam Georgii Thraciae despotae fuerat, se ad mirabilem defensionem tumultuarie accinxit; verum a superveniente Nadányio, cum per fidelitatem frustra eos obtestaretur, duobus lethalibus in facie et manu affectus est vulneribus, et carpento barba tenus a Szilásii signifero extractus, tredecim in universum vulneribus confossus interiit. Eandem fere fortunae aleam subiverunt Wolfgangus Lonaius, et Andreas Komáromius, quorum ille gravissimis extabescens vulneribus, paucis post diebus in manibus chirurgi expiravit, hic vero divina convalescens benignitate, vestigia infortunii in omnibus ferme corporis partibus mortalibus adhuc ostentat. Percussores autem deturbatis aurigis, in praedas omnia supellectilia verterunt, spoliatoque praedonum in morem principe, nudum in aquis, coeno, fimoque dehonestatum reliquerunt. Hic fuit exitus principis, si mores splendori familiae accessissent, longe ante omnes clarissimi, cujus prosapiae inter omnes Hungariae proceres splendor per integros annos 535. usque adeo enituit, ut non solum militari laude nemini secundus, verum etiam dignitate, authoritate, majestate et consilio primus ante omnes haberetur. Ex hac enim familia, velut ex equo Trojano, illustris palatinorum et principum Transylvaniae ordo, certa continuata serie prodiit; ex hac tot viri bellicosi, qui pro patriae defensione, sangvinem profundere non dubitarunt, orti: ex hac Stephanus Rex Polonorum aequisimus, virtutum remunerator optimus, caput extulit. Quorum omnium laudem, quemadmodum Sigismundus Báthoreus fax patriae fatalis, primum obterere, et contaminare non veritus est, ita hic noster

in se ultima tot palatinorum, principum et regum progenie, totam exstinxit. Sed quemadmodum fatales imperiorum periodi, quingentesimo conclusi plerumque anno, magnas secum trahere solent mutationes; ita illustrium saepe familiarum, quae ad regnum natae sunt, series, eodem quingentesimi anni termino, ut historiae omnium temporum et exempla ostendunt, abrumpitur.

Ergo tam atroci immanitate sublatus e medio nobilissimus princeps, antequam alii accurrerent, fertur a cane indagini asveto in siccum esse extractus, deinde succollantibus quibusdam infimae sortis militibus, in curiam Francisci Bihari delatus, inde vero in desertam aream curiae nobilitari Georgii quondam Károlyi objectam tractus, in conspectu omnium abjecta quadam lacinia tectus jacuit.

Gitzius nefarius proditor, portas omnes arcis et cataractas occludens, praesidiarios ad fidem futuro principi praestandam adegit, dispositisque per muros et propugnacula tormentis, ne quid promiscua in civitate militum stupentium, et huc atque illuc amisso capite discurrentium fluctuantiumque turba novarum rerum moliretur, serio edixit. Abaffius vero dispositis jam diu turmis, confluentem turbatim multitudinem adeo compescuit, ut ne hiscere quidem quisquam, etiam ex iis, qui capitis et fortunarum jacturam, per summam adulationem viventi promiserant, auderet. Adeo cum fortuna aulica mutari assolet fidelitas. Corpus principis, jussu Gitzii, postea in lariceam conditum capsam, in Basilicam B. Aegidii Abbatis desertam, quae a moderno clementissimo nostro domino et principe funditus eversa, in propugnaculum abiit, delatum, per summum ludibrium carro rusticano, quem exsectus bos, et vacca foeta vehebant, post aliquot dies impositum, primo ad scortum Imreffianum, quod in oppido Dio-

szegino morabatur, deinde Etsedinum transmissum est, unde in Basilicam majorem Báthoreorum, ubi omnia prisca virtute illustrium Báthoreorum monumenta visuntur, delatum, in hodiernum usque diem, jam per annos XI. Menses III. dies VI. inhumatum jacet. a) Ut quemadmodum omni scelerum genere progenitorum suorum clarissimam foedaverat memoriam, et flagitioso vitae cursu, familiae Regiae, quam avi, abavique sui, omnibus virtutum documentis illustrarant et exornarant, ultimus seriem abruperat: ita justo Dei immortalis judicio indignus majorum sepulchris censeretur. b)

---

a) Scripta ergo sunt haec anno 1624 die 2. Februarii. Nota ed. b) Haec Böjthinius; verum Saxones nostri taliter fatalem Báthorei interitum describunt:

Persvasus a Gitzio Báthoreus, ex arce Varadina animi caussa vel ut alius quidam voluit, ut se spectandum daret populo, qui eum male habere crediderat, in carpento deaurato, quod decem equi colore tincti trahebant, comite Wolfgango Lónaio, versus molam XVI. Calend. Novembr. progressus, in insidias suorum satellitum, quorum 50. se illuc duce Joanne Szilási, et Gregorio Nadányi abdiderant, incidit. Erant isti optimi ex ejus satellitio, interim tamen facto in tyrannum furioso impetu, Gregorius Nadányi manuaria bombarda frontem ejus perforavit, Joannes Szilási ense ter ejus corpus confodit, et sic crudelem juxta et libidinosam animam expulerunt. Interfectum continuo diripiunt, illatisque plurimis vulneribus exanime corpus in molarem fluvium conjiciunt. Hinc ad carpentum conversi, argenti caussa idem penitus constringunt. Clara hic emersit canina fides; nam ille, quem penes se semper habuit, canis, mira indutus specie, non tantum cruda domini sui vulnera lingebat, sed et comprehenso capillitio, ex aqua conabatur protrahere. Sordidum infinitis sceleribus corpus, per quatuor horarum spatium in praeterfluente rivo maceratum et perpurgatum, a quibusdam rusticis protractum, stramini sine vestium cultu superimpositum, in arcis Váradiensis templum quoddam desolatum introductum est, inde altero die, bove et vacca vehentibus, sine funebri

Andreas interim Gitzius, eodem, quo princeps interemtus est die, per celerem cursorem nobilitatem Transylvanicam commonefecit, Dei optimi, praepotentis et misericordis judicio, tyrannum e medio, per quosdam suos emissarios esse sublatum, se fidelem patriae civem, et in potestate novi principis futurum, si modo ab incendiis, depraedationibus invictissimi Imperatoris copiae sibi temperarent. Ad quam proditoris commonefactionem, quanquam plerique tacito mentis gemitu aversarentur, omnes nihilominus in admirationem potentiae et misericordiae divinae effusi, agnoverunt, principatum quemlibet non solum fato dari, verum etiam non esse in hominum quantumvis potentium potestate, fato destinatos sibi sussessores impedire, multo minus tollere. Agnoverunt praeterea Gabrielem Bethlen, non tam hominum opera, quam praepotentis Dei consilio ad clavum inter praesentissimas patriae fluctuantis procellas, regendum esse admotum. Cujus illico consilio et authoritate Sain Gerai Sultanus expeditionem in fines Hungariae, ad Báthorei fautores opprimendos susceptam intermisit, reliqua Barbarorum autem colluvies ad non. Novembr. Transylvania excessit. Et veluti procellosi maris aestus, Neptuno (ut poetarum involucris utar) trifido armato sceptro, nitidum extollente caput, subito concidunt, ita Gabriele Bethlen, sceptro pietatis, clementiae, et prudentiae triplici insignito, illustrissimi principatus habenas corripiente, ex bello pax, ex ruinis aedificia, ex omnium rerum penuria ubertas, ex injustitia veritas, ex profano ritu religio refloruerunt.

---

cantu, et campanae aeris pulsu, Báthoreorum oppidum versus devectum fuit, ubi nudum, tapete tamen tectum, in templi sacrario, sine sepulturae honore 14. annis jacuit, donec tandem a Bethlenio siccata ossa colligerentur, et tenui quadam celebritate in ipsa Basilica sepelirentur. Nota unius Cod.

Liber Tertius.

Rerum in Transylvania potitus Gabriel Bethlen tria sibi ad conservationem principatus oppido necessaria facienda esse censuit. Ante omnia invictissimo orientis Imperatori debita grati animi contestatione complacere, deinde apud Matthiam Imperatorem, Christiani orbis Monarcham, et Regem Poloniae, in quorum aulis atrocissimis premebatur calumniis, facti, et principatus sui rationem reddere; demum provincialium animos pacis et concordiae studio, et perpetua pristinarum injuriarum oblivione devinctos adeo sibi reddere, ut sepulta recentium incendiorum, rapinarum et depopulationum memoria, sibi persvaderent, ipso principatum administrante, et priscas Regni consvetudines legesque postliminio restitui, et deformem patriae ruinam in priorem integritatem redire et reflorescere. Quae uno eodemque tempore noctes, atque dies expediendis legatis, atque litteris vacans, non minori diligentia et indefesso studio, quam sapientissima provinciae administratione vigilique cura effecit. Misso enim illico ad fulgidissimam Portam Martino Gerendio, a) cursore, cum de tota rerum mense Octobri gestarum serie imperatorem, et Nazuphum, supremum purpuratorum principem edocuisset, eisdemque pro liberatione patriae a tyrannide Báthorei amplissimis gratiam reposuisset verbis; obtinuit, ut non duntaxat principatus ejus communi imperatoris et purpuratorum assensu comprobaretur, verum etiam litterae ad Matthiam Imperatorem Romanorum, Georgium Thurzonem Hungariae palatinum, Sigismundum Forgátsium Pro-Regem Cassoviensem a Porta mitterentur, in quibus admonebantur, ne in praejudicium

---

a) Legatio Martini Gerendi ad Portam.

initae semel pacis a partibus Romanorum Regis quidpiam novi adversus Gabrielem Bethlen principem Transylvaniae suboriretur, imo arces omnes, civitates, oppida, et villae ab antiquo provinciae Transylvanicae incorporatae et adjectae principi Transylvano parerent; neque a Regis Romanorum officialibus ullo sub praetextu abalienarentur. Imperatorem enim potentissimum ne unicum quidem passum a corpore Transylvaniae avelli passurum. Praeterea quoniam Gabrieli Bethlen recenter principatum ineunti hostes et aemuli undique imminerent, injunctum a Porta fuit gravi sub interminatione duobus Valachiae regulis, Sahin Gerai Sultano, Budensi, Agriensi, et Temesiensi purpuratis, ut ad seriam Gabrielis Bethlen exigente necessitate requisitionem, non obstantibus etiam brumalibus injuriis, exercitum expediant, et nulla admissa protelatione, provinciam Transylvaniae principemque ab omnibus hostibus et aemulis, si qui se profiteri auderent, defenderent.

Quae Imperatoris intimatio tantum in animis aemulorum omnium principatus Gabrielis incussit formidinis, ut ad exturbationem ejus longiori et acutiori deliberatione opus esse, a) etiam sapientissimi quique consiliariorum Caesaris intelligerent. Imperatoris nihilominus Romani, et consiliariorum ejus animos, ut lenitate potius, et demissa sui subjectione sibi conciliaret, quam insolenti, et quasi per rapinam adepta dominatione ad vindictam irritaret, Sigismundum Sarmaságium, virum nobilem et doctum, et in aula caesarea probe versatum, Stephanum Kassaium Regni senatorem, et causarum fiscalium directorem, Joannem Bengnerum Coronensem, viros spectatissimae virtutis

---

a) Legatio prima principis ad Imperatorem Romanorum.

et fidei, legatos ad Caesarem pridie id. Novemb. mittit, qui tam pro sui defensione, quam omnium regnicolarum purgatione, non solum erudite dissererent; verum etiam omni studio et labore falsorum rumorum radices, ex animis magnatum evellerent, ex malevolis benevolos, ex hostibus amicos redderent.

Ergo ii maximis itineribus Viennam contendentes, postquam litteras publicae fidei, iis, quorum id negotii procurare interest, exhibuissent, admissi paucis post in senatum diebus, Sarmaságio pro principis defensione disserente, in hanc sententiam loquuti esse perhibentur:

Longum esset, sacratissima Caesarea Majestas! si aerumnas, calamitates, rapinas, caedes, scorta, spoliationes, a) quibus a Báthoreo misserrimum Regnum nostrum, non oppressum modo, sed obrutum, et fere exanimatum fuerat, recenseremus. Quibus remedium aliquod adhibere, aut qualicunque auxilio etiam Majestas vestra christiana pietate mota, anno superiori obviam ire tentaverat, sed partim fatorum inevitabili necessitate, partim immensis Turcarum viribus, id auxilii perculsum, sorte proh dolor! infelici, dissolutum, et Regnum nostrum faucibus leonum objectum, rapinis, caedibus, et praedae omnium expositum fuit. Et hoc pacto, cum inter conscientiae nostrae stimulum et manifestam Báthorei tyrannidem premeremur, principi Gabrieli Bethlen, domino nostro clementissimo, quantumvis viriliter, ac secundo rerum eventu officium suum administanti, etiam in propria persona certissima supervenerat vitae periclitatio. Privato enim duntaxat, ac perverso motus adfectu, clam palamque mortem illi intentarat, unde ei refugium ubicunque certius et sa-

a) Oratio Sigismundi Sarmaságí.

lutarius reperiri posse videbatur, quaerendum fuit. Deum omnium judicem testamur, illum non aliqua tunc principatum ineundi aemulatione, aut novarum rerum cupidine, sed propriae vitae defendendi, et nacta occasione, patriae saluti consulendi gratia in spontaneum illud exilium concessisse. Sed Dei immortalis benignitate, et inscrutabili providentia factum est, ut ex iis etiam, quae humana cogitatione quantumvis sagaci et acuta deprehendere nequiremus, admirabile eliceret virtutis et potentiae suae testimonium. Turcarum potius quam Christianorum in desperato rerum suarum statu imploravit patrocinium, multis de causis: ut enim omittam infallibilem Dei providentiam, quae in omnibus Regnorum mutationibus, omnium quidem hominum, sed evidentius illustrium virorum directrix esse solet, cum ob longinquitatem locorum, et privatum nonnullorum odium in ditiones Majestatis vestrae concedere tutum non esset, ad Turcas, quorum virtutes et mores norat, se contulit, ut ex proxima vicinitate, commodiori occasione, et innocentiam suam apud Báthoreum testatam facere, et excandescentiam ejus (si forte esset placabilis) lenire, aut vero legitimam de se, si legibus patriae videretur, inquisitionem impetrare posset. Sed et experientia jam edoctus fuerat, (dicam enim libere quod sentio, Caesar potentissime!) illud certius quam hoc, tutius et praesentius fore, tum ob notitiam, quae illi cum Turcis a temporibus Sigismundi Báthorei intercesserat, non vulgarem, tum quia ex diuturna sollicitatione nationis Saxonicae, cum qua in communi versabatur periculo, vires atque animos Turcarum ad evertendum Báthoreum propensiores ac promptiores redditos fuisse, non ambiguis animadverterat conjecturis. Verum ut paucis ostendamus, illum nec praepropera inquietudine, neque funesta atque calamitosa aemulatione mo-

tus istos concitasse; confitemur uno ore, palam esse, factum hoc ex palpabili rerum certitudine, eventuum prosperitate, patriae nostrae salute, in pristinum vigorem legum patriarum libertatum et jurium restitutione, solius Dei praepotentis arbitrio, digito potentissimo moderatum fuisse, adeo, ut cum Davide exclamare possimus: A Jehova factum est hoc, et est mirabile in oculis nostris! Neque enim illi aliud, et antiquius incumbit, quam quae a Báthoreo extra omnem juris viam occupata, dissipata, diruta, et quassata fuerant, ea in pristinum statum restituere, atque reponere. Unde varios et diversos rumores ab inquieti ingenii hominibus confictos, et Majestatis vestrae clementissimas impedientes aures (vires Turcarum in Transylvaniam, non Báthoreum solummodo a principatu amovendi, sed potius ditionem universam occupandi proposito penetrasse) tempus et rei veritas manifeste refellunt. Nam et ante fatalem ipsius Báthorei necem Turca ex Transylvania reditum pararat, nunc autem, postquam ipse justum fato exsolvit, omnio exiit, et ad sua rediit. Sed nec eo apparatu, ut castellum aut arcem aliquam occupare potuisset, venisse, nec quidquam occupasse, manifestius est, quam ut verborum declaratione indigeat. Quod vero in tanta rerum omnium perturbatione, pulso Báthoreo, ac ferreo ipsius jugo cervicibus populi excusso, prae caeteris principem nostrum ex tanto reducem exilio, ad principatum rapuerint, statusque et ordines elegerint; id illi non solum grave atque molestissimum apparuit, verum etiam conceptis in medio procerum verbis, ter quaterque protestatus est, se liberam Regni electionem per mille discrimina ad hoc usque tempus inviolabiliter observatam et conservatam prodere nolle: se nunquam principatum obtinendi gratia venisse, nec unquam conscientia sua teste, illam affectasse dignitatem, in hoc

praecipue afflictissimae patriae ruentis statu; nec Turcam ullo modo offendi, quisquis tandem eligatur, modo sit aequitatis et pacis studiosus, se lubentissime dominum ac principem agniturum, modo bona sua a Báthoreo nullo suo demerito confiscata sibi restituantur, Turcam vero e vestigio regno excessurum. Verum victus tandem liberrimis regnicolarum suffragiis, et faustis omnium ordinum acclamationibus, tanquam bonus patriae civis calamitati patriae subvenit, et ad gubernacula fluctuantis navis nostrae se protrudi passus est. Ex quibus, ut opinor, intelligis Caesar sacratissime! de quo principe merito Transylvania nostra gratuletur, de eo videlicet, qui auxilio coelestis numinis semper ac solide implorato, non solum boni patriae civis sed etiam optimi parentis et patris familias perfungitur officio, qui salutem populi primam esse legem pronunciat, qui Regni tranquillitatem vita propria cariorem esse ducit, qui afflictis respirationem, oppressis libertatem, exulibus salutarem reditum, morte condemnatis vitam donat, qui nationem Saxonicam singulari prosequitur favore, et qui Domui Austriacae Augustali omnia sua studia et officia demisse admodum offert. Eundem ex adverso, ut Augustali Caesareo regioque prosequatur Majestas vestra favore, principemque Transylvaniae agnoscat, sacratissimam Majestatem vestram demisse oramus.

Ad cujus orationem cum responsio per aliquot dies differretur, intellectum est ex privatis consiliariorum caesareanorum colloquiis, Caesarem illegitimam principis electionem, qui in comitiis armatis princeps dictus fuisset, moleste admodum ferre. De qua difficultate tollenda, cum et privatim Legati nostri multum laborassent, et exhibitis publicis regnicolarum litteris, non contemnendis rationibus, legitimam svasissent fuisse electionem, dato tandem se-

cundo senatu, Stephanus Kassaius in hanc sententiam nomine trium nationum Transylvanicarum perhibetur disseruisse.

Si fas est filiis, sacratissima Caesarea regiaque Majestas! a) ex blando juris naturalis dictamine, suas in gremio parentum querelas, dolores, et molestias cum lacrymis effundere, nobis equidem miserrimis provinciae Transylvanicae incolis, calamitates illas infinitas, ruinas horribiles, et vastitatem irreparabilem, nemini magis, quam sacratissimae Majestati vestrae, tanquam orbis christiani potentissimo Monarchae enumerare convenit. Persvasum enim habemus, ex innata domus augustalis Austriacae clementia, aures sacratissimae Majestatis vestrae clementissimas ad querulas oppressorum voces non modo non esse praeclusas, verum etiam Ipsammet sacratissimam Caesaream Regiamque Majestatem vestram sauciis eorum vulneribus salutaria adhibere remedia, lacrymas ab oculis abstergere, bono animo esse, meliora sperare, quieti paci, et permansioni eorum paterno et misericordi affectu, modis omnibus consulere solere, ne dum mala malis, miserias miseriis superaddere, et accumulare cogitare. Et nisi optime nobis constaret, iis molestiis, querelis, et gravaminibus, quibus a toto quinquennio principatus Báthorei insolens arrogans dominium, superbum et crudele imperium nos oppresserat, cum leges patriae everteret, aliena raperet, cives libidini, ac militari exponeret praedae, jus omne et fas e medio tolleret, partim innumeris exulum profugorumque sollicitationibus, profusis supplicantium lacrymis, aures non modo sacratissimae Majestatis vestrae, sed et curias sapientissimorum senatorum, sed et regna regionesque orientis et oc-

a) Oratio Stephani Kassai.

cidentis oppletas fuisse, pluribus hic ea recensere cogeremur. Sed ne nostra importunitate, a quibus jam liberati sumus, renovare videamur dolores, praetereamus, esto omnia; unum certe, quod omnium acerbissimum fuit, praeterire non possumus, quod in mediis calamitatibus cum tam graves pateremur injurias, ipsum malum bonum, calamitates felicitates, Tyrannum patriae patrem nuncupare coacti fuerimus. Nimirum ut altissima dissimulatione plurimorum sangvinem et vitam conservaremus. Neque enim diffitemur, huic nostro malo, duobus ante annis sacratissimam Majestatem vestram quoque armis obviam ire tentavisse, pro qua tam optima intentione immortales etiam eandem gratias a nobis mereri: verum admirabili, ac omni aevo memorabili Dei judicio factum est, ut fatalis tam principatus, quam vitae ipsius exitus, Hajducorum et Turcarum armis, in quibus maxime confidebat, reservaretur. Nos vero in communi hoc patriae nostrae casu ingenue confitemur, vires nostras exiguas viribus Turcarum, Tartarorumque innumeris longe impares fuisse; eos tamen nihil de universali provinciae occupatione cogitasse, eventus, et militaris apparatus edocuerunt. Sed nec praedae ac direptioni tantopere inhiassent, nisi prius absque scitu omnium nostrorum ex mandato Báthorei praesidarii confiniorum milites, in ditionibus Turcarum crudelissime grassati fuissent, paratumque eorundem exercitum ad referendas injurias provocassent. Quod vero electionem successoris illustrissimi principis moderni, et Domini nostri clementissimi concernit; testari uno ore, et ex candido conscientiae nostrae dictamine possumus, Eum liberrimis suffragiis, et absque ulla coactionis labe electum a nobis fuisse. Arma Turcica ad expellendum Báthoreum introducta, comitia armata minime effecisse, testantur et imperatoris Ottoman-

mannici et Szerdari Alexandri purpurati litterae, quum de eo, quis eligendus foret? nemo ex Turcis, ne nutu quidem, ne dum svasione, aliquem ex regnicolis requisiverit. Certissimis autem rationibus ducti, illum prae aliis eligere maluimus, ut qui auctoritate et favore singulari apud Turcas polleret, solus in eductione copiarum militarium, ac liberanda ab aemulorum insultatione patria, plus, quam alii omnes et certius inservire posset, solus ex laudatissima magnatum superstes familia, ad tutandos patriae fines, armaque tractanda aliis omnibus anteferendus videretur. Et cum his omnibus, eundem authoritas, rei militaris scientia, rerum gerendarum peritia, christianus affectus, prudentia plane exacta, judicium acre, fortitudo et magnanimitas, aptiorem et utiliorem reliquis omnibus ostenderunt; sub cujus jam auspiciis antiquam patriarum legum faciem inspicientes, et ad normam felicis gubernationis, optima justissimi regiminis jacientes fundamenta, meliora Deo auspice et feliciora speramus; Vestram sacratissimam caesaream regiamque Majestatem oramus, ac per felix faustumque ejus imperium, per tranquillam tam suam, quam suorum charissimorum vitam, per pacatum tranquillumque orbis christiani statum obtestamur, ut huic nostrae tam faustissimae electioni ex pactis jam semel confirmatis et inveteratis annuere clementer, et nos una cum principe nostro clementissimo augustissima sua benignitate protegere, et paterno semper affectu prosequi dignetur: ut tandem ex vasto malorum omnium pelago, fluctibusque calamitatum emergentes, patria nostra afflictissima, sub felicibus majestatis vestrae auspiciis pristino nitori restitui coepta, una cum principe nostro Majestatis vestrae utilissimo, atque obsequentissimo servitore, pro secundis rerum Majestatis vestrae, successibus, et orbis christiani e-

molumentis, Deo immortali vota indesinenter nuncupet.

Quae legatio duriori, quam opinio hominum hariolabatur, a) fine processit. Sinistra enim de statu Transylvaniae informatione Andreas Dotzius, et Georgius Homonnaius aulam Caesaris implentes, effecerunt, ut nullo fere in loco Legati haberentur, et Stephanus quidem Kassaius cum Joanne Bengneto, bene sperare jussi dimitterentur, Sigismundus autem Sarmaságius, adversus jus gentium, in aula caesarea, sub honesta detineretur custodia. Quanquam vero princeps ea de re Episcopum Cleselium, Palatinum, et omnes Caesaris consiliarios, cum prompta studiorum suorum pollicitatione requisiverit; invidia nihilominus, et stulta quaedam praesumptio, plus apud omnes virium obtinuit, quam ut eum vel principis, titulo dignum judicarent; non considerantes, potentissima regna, florentes respublicas, invictissimos reges, ex contemnendis saepe initiis, ad felicem multorum regnorum possessionem pervenisse. Diverso autem, et contrario plane eventu, litterae ad Regem Poloniae missae sunt. Is enim Rex sapientissimus perpendens, non solum Imperiorum fatales esse periodos, sed etiam Imperantium authoritatem, a solo coelestis numinis arbitrio gubernari, virtutes heroicas in his attolli, et accendi, in illis autem deprimi, principem honorifica salutatione, et debito honore affecit, et bonam sinceramque vicinitatem cum eodem, se culturum promisit.

Interea domi omnia recentibus ardebant rumoribus, et aliquot arces, Cibinium, Fagaras, Jenő, Lippa, Kővár, Rivulus Dominarum, Huszt, officium facere recusabant, quas ut in

a) Sigismundus Sarmaságius in aula Caesaris detinetur.

suam primo quoque tempore redigere posset potestatem, remis quod dicitur, et velis contendebat. Intelligebat enim, frustraneum esse, exterorum sollicitare amicitiam, si domi coactis, et officium facere detrectantibus imperare vellet; cum non in armata militum manu, sed in subditorum benevolentia, fide, et amore, praesidium regnantium situm sit. Ergo initium a Cibinio, et arce Fagaras factum est. a) Praeerant Cibinio Stephanus Kakonius, Báthoreae domus a primis adolescentiae suae temporibus venerator et alumnus, et Gregorius Magnus cognomento Szepesinus, praetorianae cohortis Báthorei Praefectus cum 600 peditibus, et aliquot equitum vexillationibus; arci autem Fagaras Capitaneus cum praesidio circum habitantium nobilium, impositus erat Joannes Ballingius, adjuncto ei collega Stephano Bojero. Qui licet funestam Báthorei mortem non obscuris inaudierant rumoribus, ab ejus nihilominus fidelitate temere deficere non putabant esse integrum. Ad eos princeps Balthasarem Cseszelitzkium b) de Szilvás, et Joannem Rettegium concionatorem Aulicum Legatos mittendos censuit, qui exposito fatali Báthorei exitu, et productis in medium rationibus, quod ejus morte vinculo fidelitatis, salva conscientia liberati essent, perfecerunt, ut se se in potestate principis futuros promitterent, si modo octo subsequentes conditiones a principe diplomate confirmarentur.

Primo. Ut Princeps omnes injurias c) in privato suo statu, adversus quemlibet eorum conceptas in perpetuum deponeret.

A a 2

a) Domestici tumultus. b) Alter Cod. habet: Chiszelitzkium. c) Praesidiarii Cibinienses et Fagarasienses octo conditionibus deditionem faciunt.

Secundo. Ut donationes, privilegia, immunitates, libertates, a principibus praedecessoribus suis indultas, non tantum non turbaret, verum etiam confirmaret.

Tertio. Ut ex bonis principis demortui participes redderentur.

Quarto. Ut bona per violentiam ab uno quoque ablata restituerentur.

Quinto. Ut deposita bona in civitate, deponentibus redderentur.

Sexto. Ut familiares arcium Etsed, ét Huszt, cum omnibus rebus suis, adjectis salvi passus litteris pacifice dimitterentur.

Septimo. Ut nobiles civitatis Albae Juliae in suis privilegiis et libertatibus conservarentur.

Octavo. Ut Joannes Régenius a Báthoreo proscriptus in gratiam reciperetur.

Quae conditiones non gravatim III Id. Novembr. in civitate Claudiopolitana non solum admissae, verum etiam diplomate superinde exhibito confirmatae sunt; statimque Gregorius Magnus exercitus praetoriani praefecturam, quem magistratum Botskaii et Báthorei temporibus summa cum laude administraverat, iniit; Lupus autem Bethlen militiae aulicae equestri praepositus est.

Nec minus Cibinienses cives suarum rerum anxii restitutionem civitatis suae, cujus libertatem et privilegia Báthoreus multis modis violaverat, urgebant, eamque ob caussam ad principem, a) Joannem Régenium, Bartholomaeum Pellionem, Paulum Posztótsináló b) et Joannem Vajvodam, viros spectatissimae virtutis, et fidei, legatos Claudiopolim miserunt, qui nomine universitatis Saxonicae proponerent, civitatem in potestate principis futuram, mo-

a) Legati Cibiniensium ad principem. b) Hunc Gunesch Ludovici vocat.

do conditionibus hisce subsequentibus satisfaceret.

1. Ut princeps, quemadmodum tempore inaugurationis suae sancte universitati restitutionem Cibinii promisisset, ita mox et de facto per manus restitueret, privilegia, et antiquas immunitates restauraret, et confirmaret.

2. Ut propter crudele et violentum Báthorei imperium exulantes revocaret, et domos, possessionesque unicuique eorum restitueret.

3. Ut damna, si quae recuperabilia essent, et inveniri possent, puta: litterae ac litteraria instrumenta universitatem concernentia pariformiter a quibusvis restituerentur.

Quibus conditionibus cum non gravatim princeps subscripsisset; ad confirmationem principatus suscepti, non parum adjecit momenti, Relicta enim Claudiopoli, Cibinium X Calend. Decembr. ingressus est, et se post longam peregrinationem, varias, multiplicesque perpessiones refecturus, hyemem illic transigere decrevit. a) Cui post aliquot dies Ibrahimus Aga Kaputsi Passa, cum sceptro, vexillo, vestimento opere Phrygio elaborato (quae dona ab imperatore potentissimo principibus quibusvis, recenter a se promotis offerri solent) praesto fuit, litterasque imperatoris, in quibus principem ad fidelitatem praestandam, et resignationem arcium Lippae et Jenö hortabatur, exhibuit. Acerbum et importunum imperium tanto acerbius esse apparebat, quanto difficilius erat, id eo tempore, quo nullorum fere animi ob recentem vastitatum memoriam coaluerant, vel in mentionem revocare: sed difficultatem exasperabat, quod arces Jenö, et Lippa a Germanorum imperatoris officialibus sollicitabantur, et ut periculum, quo christianis regnis et provinciis

a) Conifirmatio principis a Porta.

non parum conciliarent detrimenti, serio praecaverent, admonebantur. Et quanquam arcem Jenő Stephanus Pethneházius, vir strenuus et impiger a corpore Transylvaniae se minime abalienaturum promitteret; Stephanus nihilominus Vajvoda Káránsebesiensis, qui arci Lippae cum praesidio praeerat, quod intelligeret, eam inprimis a Turcis sollicitari, constanter repugnabat. Quid in tam arcta rerum difficultate princeps faceret, quid consilii caperet? omnino considerandum erat. Ergo a necessitate consilium arripiens Ibrahimo moram adhuc nectente, a) Benedictum 'Súkium cursorem ad Portam expedivit, per quem ante omnia imperatori potentissimo summas pro exhibitis sceptro et vexillo imperialibus agens gratias, ad promissa praestanda se denuo obligavit, et de rebus omnibus eundem edocuit. Nazuphum autem purpuratorum principem admonuit, ut vestes Arabicas, quas comitibus et consiliariis regni Transylvaniae potentissimi quique imperatores mittere consvevissent, hoc tempore etiam mittere dignaretur. Lazarum Horváthum a Magyar-Ogli-Ali-Passa ad Portam missum, ob sui respectum dimitteret, et legatos suos, qui primo vere ad Portam profecturi essent, cum optato rerum omnium fine expectaret. Quae dum ita fiunt, Andreas Gitzius Báthoreanae caedis auctor et coriphaeus, homo sangvinarius et versutus IV. nonar. Decembr. Cibinii, in eadem domo, in qua strictissimum Báthorei juramentum praestiterat, capitur, et a Joanne Ballingio Fogarasinum ductus, b) post longam inediam, phrenesimque, in quam justo Dei judicio inciderat, anno Domini 1614. IV. iduum Januar. foede per carnificem Aethiopem strangulatus periit; cadaver claustro gallinario stercoribus

---

a) Benedictus 'Sukius ad Portam mittitur. b) Andreae Gitzii interitus.

scatenti impositum, unco ad gemonias usque tractum est scalas, ubi tanquam furis publici et parricidae sepultum est.

Interea aliae, duabus etiam ex partibus in principem coortae sunt difficultates. Certo enim rumore nuntiabatur, Matthiam Imperatorem in Bohemia, Ferdinandum autem Archi-Ducem in Austria conventus celebrare frequentes, a) et adulto vere in Hungariam, deinde in Transylvaniam contendere velle, et Andream Dotzium deditionem arcium Huszt, et Kővár, medio Gabrielis Pernyeszi, promissis omnibus sollicitare, et praefectos pene jam largitionibus corrupisse; Etsedum autem proditione Michaëlis Antraiter Capitanei, in suam redegisse potestatem. Domi vero ob non restitutum ex tempore Cibinium universos Saxonicae nationis proceres Schaesburgum convenisse, b) decimas et censum denegare, homagium fidelitatis omnino detrectare. Ex quibus ut princeps prudentissimus eluctari possit malis, domesticum ut periculosius et nocentius anticipandum esse ratus, Joannem Gyeröffium, et alterum Joannem Mikola senatores Schaesburgum amandavit, qui exhibitis tam suis, quam senatorum regni litteris, omnem impenderent operam, ut non solum Saxones in officio continerentur, sed etiam unio trium nationum denuo confirmaretur. Iis ad III. Id. Decemb. Schaesburgum pervenientibus, cum multa amplissimis verbis de Cibinii constanti secundum promissa principis restitutione disseruissent, et obsides se interposuissent, tria subjunxerunt postulata: Ut unio inter tres nationes et expectata concordia renovaretur. Ut Szász-Sebesum, velut propinquius sedi principali op-

---

a) Difficultates periculosae. (b) Saxonicae Nationis conventus seu universitas ob non restitutum Cibinium tumultuatur.

pidum reaedificaretur: Ut principi integrum esset, per integram hyemem non obstantibus civitatis privilegiis, Cibinii commorari. Dandum hoc postremum praesertim esse principi liberatori a tyrannide, et patriarum libertatum restitutori, ni velint in principem benefactorem foedum ingrati animi testimonium declarare; meminissent enim, quod licet multorum civium suorum sangvine, et infinitis expensis, restitutionem Cibinii, a multo jam apud utrumque Imperatorem sollicitassent tempore, immortalis nihilominus Deus, et tempus, optimus rerum Magister, eos edocuissent, nihil eorum absque nationis Hungaricae auxilio, et inprimis principis sudore et labore perfici potuisse. Qui licet etiam nunc ex voluntate Imperatoris utriusque jure et arbitrio proprio uti posset; pluris tamen patriae charitatem, amorem et concordiam subditorum aestimans, quam jus suum rigorose prosequi, et odium intestinarumque discordiarum, quas plane radicitus cordibus omnium exstirpare vult, fomenta serere, Cibinium vobis, quam civitatem pro temporario delegit hospitio, cum omnibus privilegiis, indultis, libertatibus, clavibus, portis, foris, templis, sacellis, juribus, et possessionibus offert et resignat. Humanitatis vestrae erit, quae etiam exteros recipit, eum jure hospitii per aliquot menses fovere, cum Albam Juliam sedem principalem ob inusitatam vastitatem regredi non possit, et in regno de oppido in oppidum peregrinari in tam densissimo hyemis algore, neque honestum neque integrum sit. Ad quam principis legationem, cum varia suborta fuisset mussitatio, nequaquam in animum induxerunt principem intra moenia tolerare; tum quia praesidarii sui cum aulicis male convenire possent, et fieri posset, ut ad mutuas caedes et lanienas converterentur, tum quia ob inquieti et inconstantis animi consiliariorum adulationem,

verendum esset summopere, ne principis ingenium cum tempore mutaretur. Quam universitatis Saxonicae replicationem, cum non tantum princeps, sed etiam senatores regni moleste ferrent; missi denique cum extrema resolutione, Joannes Angyalos, regni praetor, et alter Joannes Horváthus, caussarum fiscalium advocatus, ambo juris periti consultissimi, quorum primus Joannes Angyalos, frequenti coactu senatu, hunc in modum disseruisse fertur:

Optandum equidem fuerat; viri amplissimi! a) ut quemadmodum excusso tyrannicae servitutis jugo, pristinae libertatis faciem votis omnibus conspicere anhelavimus, ita odiorum, diffidentiarum, et intestinarum discordiarum, quibus proh dolor! plus satis affecti fuimus, fomenta, et intimis animi penetralibus ejecissemus. Nunc vero in quae quaeso cives incidimus tempora? in ea certe, quae nec nostra, nec patrum nostrorum memoria contigerunt. Cum enim Deo immortali pro universali pene patriae restitutione immortales fundere gratias, principi autem benefactori ac liberatori omne fidelitatis obsequium unanimi corde deberemus: nescio quae vos nemesis corripuit, ut fidem et authoritatem principis benefactoris et capitis vestri, integra conscientia libertatem et privilegia vestra restituere satagentis, in dubium vocaretis, Duo, ex tanta commotione, extrema, amplissimi viri! sequentur; aut enim subditi adversus legitimum principem rebellantes notorii fient, aut authores, et cusores tam ignominiosae diffidentiae rationem mendaciorum suorum reddere debebunt. Quae enim petiistis, quaeque nunc vel in futurum petituri estis, ea omnia princeps indulgentissimus sponte, et ex certa conscientia vobis non duntaxat se indulturum

a) Oratio Joannis Angyalos in conventu Saxonum.

promisit, verum etiam per litteras, propositiones, et clarissimi regni senatores obtulit. Cibinium petiistis? concessit. Privilegia et immunitates universitatis cum antiquis praerogativis flagitastis? obtinuistis. Quid restat amplius? nimirum ut princeps excellentissimus cum uxore aegerrima, et carissimis familiaribus, ferarum instar, in tam exquisitissimo brumalium temporum algore deserta locorum occupet? O tempora! o mores! Haecne a vobis grati animi contestatio, quae etiam apud immanes barbaros, et feras rationis expertes, arcano quodam naturae ductu immortalis esse solet, requirit, ut principem de republica vestra, si de aliqua unquam praeclare meritum, vestrae libertatis restauratorem, injuriarum ultorem, et vinculorum abruptorem, necessario tempore, quo inimici etiam recipiendi essent, domicilio et quiete sua exturbaretis? Non certe evangelicae veritatis professio, non candor, non pietas, illud vobis permittunt. Nam ut verum fatear, si tempora Báthorei, cum temporibus principis moderni conferantur, duobus hisce temporibus (pace vestra dixerim) similes estis pueris immorigeris, qui edulia offerentibus reluctantur, dare autem nolentibus infesti sunt. Petiistis a Báthoreo Cibinium, negavit se daturum; nunc ultro offertur, accipere renuitis, unde quaeso haec animorum vestrorum mutatio? unde diffidentia suborta est? Metuitis, ne promiscua turba ad seditionem proclivis, in mutuas rapiatur caedes? ubi vero esset militaris disciplina? ubi curae, ubi assiduae vigiliae? quibus etiam aliquot hominum myriades, homines prudentes in officio continent. Princeps exercitum suum intra limites modestiae, et humanitatis victurum sancte promisit. Portas et seras civitatis castellani principales, non militari praesidio, sed civibus vestris stipati occludent, reserabuntque. Possessiones omnes civi-

tatis hodie regius vester Judex accipiet. Indigenis Cibiniensibus reditus pacificus, et bonorum ablatorum, domiciliorumque restitutio concessa, conventibus artificum pristinae praerogativae redditae sunt, adeo, ut exteri omnes artifices eliminentur; caupones, mercatores, magnarii, et omnes ii, qui in publicis foris merces emunt, distrahuntque, potestati regii judicis a modo in posterum subjacebunt. Quodsi nationes duae hujus regni potentissimae Hungarica, et Siculica, regni universi defensionem, fortalitiorum omnium propugnationem, fidei ac industriae fortissimi hujus principis vita ejus durante commiserunt, quanto magis vos unius civitatis portas, quas vobiscum una per duos duntaxat menses administrare decrevit, et inhabitorum defensionem committere debetis? Non ea est hujus natura, ut ad cujuslibet venti impetum, modo huc, modo illuc raperetur. Non admittit noxias et perniciosas adulationes, verum constanti proposito ad inviolabilem justitiae et aequitatis normam actiones suas omnes expendere allaborat. Vos certe, viri amplissimi! etiamsi judicium centumvirale cogeretur, nostris legibus absolvi minime possetis. Novimus enim multos, partim ex vestra, partim ex nostra natione; homines turbulentos et vecordes, qui simultatis et diffidentiae hujus adversus publicum patriae bonum, in vestram perniciem auctores sunt; scimus censum publicum a vobis minime esse administratum; decimas principales huc Schaesburgum deductas: homagium fidelitatis nec nunc adhuc praestitum. Quae omnia, quo fine, periculoso hoc tempore, quo necdum recentia patriae vulnera curata sunt, faciatis, vestrum erit coram tribunali immortalis Dei rationem reddere.

Ad quam Joannis orationem, etsi plerorumque animi concidissent, Coronensium nihilominus et aliorum sententia obtinuit, ut nihil

principi ad praesens quantumvis benefactori, et libertatum restauratori, donec se intra moenia Cibiniensia contineret, concederetur, praeter assecurationem interposita fide roboratam. Quam legati sub sigillo Universitatis publico ad principem deferentes ex consilio; evicerunt, ut ferocientibus in praesentiarum animis, qui tempore molliores redderentur, etiam excessum dissimulatione indulgendum esse censeret, et ad alia Regni negotia ingenium converteret. Eodem enim tempore, quanquam ex parte imperatoris Romanorum litterae satis amicabiles adferrentur, et ad almae pacis, bonaeque vicinitatis observationem viderentur omnium Caesaris officialium animi propendere; a) sub praetextu nihilominus blandorum verborum Andreas Dotzius praefectus Szathmáriensis Tasnádum, ditionis Transylvanicae oppidum occupat, missoque cum exercitu Gabriele Pernyeszio, totis viribus arcem Huszt, cum regione Máramarosiensi, Rivulum dominarum, arcem item Kövár cum regione adjacente, minis, promissis, technis, dolo malo, a corpore Transylvaniae avellere contendit, et publice privatimque adserit, Caesarem Germanorum, Regem Hungariae, Gabrielem Bethlen nolle principem Transylvaniae agnoscere, sed primo vere eum provincia exturbare velle. Quae res principem domestica modo liberatum dissensione non parum commovit, sollicitumque reddidit, quibus artibus et vigiliis clandestinis Caesareanorum technis obviam procedere posset. Ergo initio comites omnium regionum, quas comitatus nuncupamus, ad seriam cohortatus vigiliam, Dotzium, et Andream Lónaium, Capitaneum Kálloviensem tempestivis admonuit litteris, ne fines Transylvani-

a) Imperatoris ac Regis Hung. praefecti ditionem Transilv. occupare incipiunt.

cos, oppida, arces, civitates, in praejudicium et vilipendium toties reiteratorum pactorum, clandestinis ejusmodi artibus, quibus coepissent, occupare pergerent; certo enim certius sibimet ipsis persvaderent, quod ex cujuscunque consilio ejusmodi facinus patrare auderent, eum neque de Imperatore Caesare Germanorum, neque de afflictissima natione Hungarica praeclare mereri, utpote: qui inter reliquias miserrimae hujus nationis citra omnem rationem vero consonam, caedes, et mutuas excitans lanienas, patriam charissimam inter duos litigantes, in praedam tertii gaudentis convertere vult. Animadverterent enim, ad tuendos Transylvaniae fines, quam intentis ab oriente sole potentissimus Imperator vigilaret oculis, cujus longae manus non solum paucorum et debilium conatus prohiberent, et anticiparent, verum etiam fortalitia quantumvis munita, circumvallarent, verendumque esset, ne dum alieni dominii umbras insectarentur, propria bona amitterent. Deinde legatus Stephanus Kakonyius ad arcem Kövár missus est, cujus loci praefecturam Joannes Szilágyius, non ex vetusta Szilágyiorum familia, sed obscuro et modicis parentibus natus satrapa, ex commissione Báthorei, qui uxorem repudiatam Annam Horváth eo in loco alendam commiserat, administrabat. a) Is opportunitate loci, qui in jugo montis petrosi eminentissimi situs, non solum natura et arte munitus, verum etiam fluvio Láposio in subjecta valle defluente, et montibus undique praeruptis, et fere inaccessibilibus cingitur, captus, quod putaret eum ut inexpugnabilem, ita ad quaestum exercendum, et emolumentum rerum propriarum, sive Transylvano, sive Caesareanis deditionem facere vellet, summopere proficuum

a) Descriptio arcis Kövár.

esse, a morte Báthorei, modo huic, modo illis assentabatur. Princeps hominis insolentiam, et inconstantiam aversatus, nullis eum promissis, nullo praemio in suam partem pertrahendum censuit; confidebat enim improbi hominis insolentiam, non duntaxat tempore langvescere; sed etiam penitus in nihilum redigi. Qua indignitate (ut putabat) Szilágyius motus, cum Andrea Dotzio, et Lónaio, de deditione arcis occultis agere correspondentiis minime intermittebat. Ad eum Kakonyius XV. Kalend. Jan. venit, cum quo longo expostulans sermone, de non praestito hactenus principi fidelitatis juramento, et manifeste objiciens, quod tam celebri Regni Transylvaniae fortalitio, palam ad quaestum abuteretur, postulavit, ut omni postposita tergiversatione, se et universos ordines principi, et Regno sacramento obstringeret. Verum cum nihil offerret, aut promitteret, ab homine avarissimo, qui utilitatem pluris, quam honestatem aestimabat, et cui oppidum Ovárinum ab Andrea Dotzio proditionis praemium nomine Caesaris promissum erat, nihil obtinuit; ajebat enim, negotium illud viduam Báthorianam, cui juramento esset adstrictus, summópere prohibere; quod arcem multiplici jure ad se pertinere arbitraretur. Cui etsi Kakonyius rationibus in medium productis usque adeo satisfaceret, ut nihil amplius haberet, quod proditioni suae praetexere posset, animum nihilominus obstinatione et avaritia, quae et fidem et probitatem evertere solet, contaminatum, nec clementiae principalis oblatione, nec minis ad fidele obsequium flectere potuit. Eapropter ad viduam Báthorei rejectam, quae quadruplici jure: testamentario, uxorio, dotalitio, recompensativo ratione rerum Báthorei mobilium, arcem suam esse asserebat, ingressus, exposuit aperte, nullo modo arcem ad eam pertinere.

a) Nam quoad *Testamentum*. Principis Botskaii, quem foemina jure sangvinis attingebat, in eo, nihil tale quidpiam contineretur, neque fuisset fas aut licitum, peculium Regni legare, foeminei potissimum sexus consangvineis. Imo etiamsi de bonis Regni princeps Botskaius liberam habuisset dispositionem, jus tamen arcis Kövár non foeminam aliquam, sed Stephanum, Gabrielis Haller filium, cui legaverat, concerneret. *Jure* vero *uxorio* etiam arx ad eam minime pertineret; tum quia Báthoreus e manibus Regni arcem illam violenter extorsisset; tum quia arcem nemini legasset, ipsam vero ab integro quadriennio rejectam pro uxore non agnovisset, alteram duxisset, cum qua connubium etiam, ni temporum injuriae intervenissent, solemniter celebrare voluisset, idque ex eo constaret, quod vivus arcem Huszt Catharinae Török nobili meretrici inscripsisset, quodque gemmas omnes et uniones apud eandem deposuisset. *Dotem* requirere principalem jure non posset; Báthoreus enim privatus, non princeps mortuus fuisset. *Recompensationem* pro rebus Báthorei mobilibus urgere pariter nullo modo posset, cum debita Báthorei centum et decem thalerorum millia, quae partim principi, partim Saxonum Universitati et aliis creditoribus refundere de jure teneretur, excederent. Oblata nihilominus principis benignitate, eam bono animo esse jussit, et ne contributionem in regione Kövàriensi Regni usibus debitam, in propriam converteret rationem, nomine principis edixit, reque plane infecta arce excessit. Eodem tempore Georgius Thurzó Hungariae palatinus per litteras et internuncium Franciscum Desöffium, ut viduae Báthorianae ratio haberetur, magnopere apud principem urget, cui cum praeallegatis de ne-

---

a) Annam Horváth Pallosi arx Kövár non concernit.

gotio arcis Kövár responsum fuisset rationibus, adjectum est: arcem Huszt a principe Botskaio pro fidelibus servitiis Valentino Homonnaio in nonaginta millium thalerorum summa fuisse inscriptam, duplici sub ipsius Homonnaii chirographo, quod praedictam summam a conjuge sua, quae principi Botskaio sangvine juncta erat, minime abalienaret, quod ipsam arcem Huszt, a corpore Transylvaniae non avelleret; arcem vero Kövár proditione duntaxat Gabrielis Pernyeszi, quo minori negotio repositorum a) Botskaii bonorum particeps esse posset, in Homonnaii pervenisse potestatem. Eodem tenore Sigismundum Forgátsium, et Andream Dotzium princeps de rebus iisdem edocuit: de negotio oppidi Tasnád adjecit; id oppidum ab initio ad fiscum Transylvanicum spectasse, principem Sigismundum simplici donationis titulo Stephano Báthoreo Etsedino contulisse, eo deficiente ad fiscum vicissim idem rediisse, quo respectu et alii principes Botskaius et Rákotzius non ad arcem Etsedinam, sed ad fiscum principalem applicassent, et possedissent, civitatem Rivuli-Dominarum concambium fuisse familiae Báthoreae pro arce Szatthmár, quam Stephanus Rex Poloniae, et princeps Transylvaniae felicis reminiscentiae certis privilegiis veluti proprium peculium decorasset, et in numerum civitatum liberarum Transylvanicarum redegisset, atque aggregasset. Ubi nec defectus seminis, nec alia probabilis intervenire potuit ratio, cujus respectu civitas illa a corpore Transylvaniae separari deberet. b) Joannes interea Szilágyius recentibus oneratus Dotzii promissis, et assecuratoriis sub verbo regio super collatione oppidi Ovár, litteris acceptis, arcem Kö-

---

a) Alter Cod. habet: depositorum. b) Joannes Szilágyius arcem Kövár Caesari Romanorum resignat.

vár Caesareanis resignat, et Rivulum Dominarum uno eodemque tempore, cum districtu circumjacente, potestati Imperatoris Romanorum subjicit. Quarum rerum novitate, licet animus principis varie commoveretur, quod tamen nullam ejusmodi occupationis ansam praebuisset, sibimet, pro conscientiae suae integritate, apprime congratulabatur. Et novus jam annus 1614, currere coeperat; igitur princeps omnes ingenii sui vires et consiliorum acumina ad haec duo, veluti immobilem scopum intendit; primo: ut se optimum pacis, et concordiae studiosum, et foederum inter duos orbis Monarchas sincerum cultorem declararet; secundo: ut amissa recuperaret, et si quae dissensiones, turbae, et differentiae, inter duos Imperatores suboriri possent, evinceret, earum omnium primaevam originem, nec non foederum violationem ex parte Romanorum Imperatoris promanasse. Initio ergo Imperatorem potentissimum, et Nazuphum primorum vexillorum vezirium, ea de re certiores reddens, edocuit, ex partibus Romanorum Imperatoris foedus saepe percussum, occupatione fortalitii unius, civitatis alterius munitae, et oppidi insuper unius, quae omnia ad Regnum Transylvaniae antiquo et optimo jure pertinuissent, violatum esse, eosdemque precatus est, ut ea de re Romanorum Regem commonefacerent, qui officialibus suis serio injungeret, abstinerent ab ejusmodi clandestinis machinationibus, et neque clanculario, neque aperto Marte ditionem Transylvanicam infestare, et ingredi auderent: praeterea Georgium Thurzonem Hungariae palatinum, Sigismundum Forgátsium, Andream Dotzium, qui finibus Transylvaniae propinquiores habitabant, admonerent, ut depositis noxiis quibusvis studiis, bonae vicinitatis cultores magis se se declararent, quam cum universali gentis suae excidio, indignationem Ottomanicae domus experirentur. Insuper

Budensi, Agriensi, Tömösiensi purpuratis, et arcium limitanearum Begis, duobusque Valachorum regulis serio praeciperent, ut simul ac de perniciosis adversariorum conatibus certiores redderentur, illico exercitus quisque suos, non obstantibus temporum vicissitudinibus et injuriis, expedirent, et ad defensionem Transylvaniae communibus studiis adproperarent. Deinde duplicem instituit legationem, unam ad Georgium Thurzonem palatinum, caeterosque proceres Hungariae Senatorii ordinis, cui Sigismundum Kornisium de Ruszka consiliarium praefecit: alteram eodem tempore ad universas Regni Hungariae regiones, quas Comitatus dicimus, cui duos nobiles: Stephanum Ujnémethium, Vice-Comitem Comitatus Szolnok mediocris et Casparem Spakaium praeposuit.

Legatio Sigismundi Kornisii a) haec fuit: Principem Transylvaniae pacis et concordiae inter duos Imperatores fortissimis pactis, et foederibus roboratae studiosissimum esse, neque ullam ad ejus violationem ansam praebere velle, et ut animo illibato idem ex parte quoque Regni Hungariae praestaretur, ex animo cupere; nam ut de pacis, cujus vel solum nomen dulce esse solet, utilitate, non esset multis operae pretium disceptare, rejectio ejus vel ex eo periculosa esse deprehendatur, quod Transylvania, a multis temporibus, cum omnibus pertinentiis (una excepta libera electione) non plane sui juris, sub protectione invictissimi Imperatoris, qui principem beneficiarium suum agnosceret, se tutam arbitraretur; unde, qui fines Transylvaniae hostilibus impeteret studiis, is eadem opera invictissimi Imperatoris barbam velleret,

---

a) Legatio Sigismundi Kornisii ad palatinum Hungariae.

et foedus ipsum non solum cum Transylvano, sed etiam cum gente Ottomanica ictum rumperet. Nam et pacificationem ad Sitva-Torok conclusam, Turca hactenus sincere observasset, in qua tametsi Transylvania cum omnibus pertinentiis patrocinio invictissimi Imperatoris submissa fuisset, nihilominus ex parte Caesaris partim communibus gentium Regni armis, partim aliis particularibus exercitibus infestari non fuisset intermissa. Quae res cui bono eventum sortita fuisset, conscii sunt, qui interfuerunt. Deus certe immortalis evidentissima ultionis suae declaratione ostendisset, se unicum esse violati foederis ultorem et vindicem. Quod enim colorato sub praetextu (ne nimirum Turcae iis potirentur) nonnullas arces occupassent, in eo, non agnoscentes virium suarum imbecillitatem, vehementer hallucinarentur. Nam si armis adversus Turcam se contendere velle praesumerent, cur Kanisam, Strigonium, celeberrimam Agriam, inexpugnabile Jaurinum, superioribus retro temporibus defendere nequivissent? foedere potius quam bello procul dubio fines Hungariae a Dominio Regum Austriacorum defensi essent. Constaret enim, a foedere Solimanni Sultani cum Joanne Rege icto, nullam arcem, nullum Regni fortalitium manibus Hungaricis fuisse ademtum; simulac vero Germanicum in unum quodque introiit praesidium, illico Turcarum in se arma concitavit; Tomösvárum, Gyulam, Lippam, Jenö, Szigethum, Germanico profligato praesidio, Turca occupavit. Váradinum adversus Germanos occupavit, quod nunquam oppugnasset, si juris Transylvanici eo tempore fuisset. Cum igitur patrocinium Germanicum fortalitiorum Hungaricorum perpetua pestis et extrema pernicies esset, quicunque eo uti vellet, is ultro praesentissimum sibi accerseret periculum. Considerarent insuper, si plane aperto vellent contendere Marte, hoc aut

viribus Germanorum, aut aliarum duntaxat nationum armis inchoandum esset; si viribus Germanorum, eo facto communem patriam Hungariam opprimerent; quod quoniam regnicolae ferre nequirent, mota seditione, et si non absque suorum caede ac sangvine, efficerent tamen, ut sepulchrum Germanorum Hungaria fieret; si armis aliarum nationum, eas largitionibus corrumpere non esset usque adeo difficile ac durum, sed et eventum belli incertum Deus et melior caussa dirigerent. Saxonum simultates, quae ex imbecilli a) diffidentia fuissent subortae, jam dudum compositae ac sopitae essent. Quod vero praetextu exequiarum Báthoreo persolvendarum mali etiam quidpiam Regno intentare turbulenti nonnulli minime vererentur, eamque ob causam Sigefridum Colonicsium Generalem exercitui praefecissent, verendum omnio esset, ne apparatus iste multorum insperatis exequiis nobilior redderetur. Quam legationem Kornisius arduo certe tempore, quo omnium studia et animi a rebus Transylvanicis aversi erant, ea animi moderatione, ac integritate administravit, ut litteras assecuratorias de legatis a Caesare et proceribus mittendis ad complanationem differentiarum extorqueret, nominatique sunt Franciscus Darótzius de Deregnyö, comes Comitatus de Bereg, et praefectus camerae Scepusiensis, et Emericus Lassota praefectus camerae Silesiacae, Senatores gravissimi, qui vere adulto in Transylvaniam contendere deberent. Stephanus Ujnémethius autem, et Caspar Spakaius probe intelligentes, rem suae fidei ac industriae concreditam, b) publicam Regni tranquillitatem et Hungarici sangvinis emolumentum

a) Alter codex habet: inbelli. b) Stephanus Ujnémethi, et Caspar Spakai ad comitatus Hungariae legati.

concernere, nocturnis diurnisque laboribus vigiliisque curarunt, ut per singularem taciturnitatem et dissimulationem propositumque diversi quidpiam agendi, ad universos Regni Hungariae comitatus, comites et vice comites pervenirent, eisdem distinctis exponentes verbis, principem almae pacis, et aureae concordiae studiosissimum esse; obtestati sunt per Deum optimum maximum foederum violatorum vindicem, per salutem patriae, et communem sangvinem, ne noxia et perniciosa hominum inquietorum studia promoverent, verum pro exigentia veterum recentiorumque pactorum modis omnibus impedirent. Litteras denique eodem tenore scriptas singulis exhibuerunt, in hanc sententiam sonantes:

Non putamus esse operae pretium, confoederationem inter Transylvaniam et regnum Hungariae recentiori memoria initam multis explanare, a) cum ea expressis etiam diplomatibus tantopere ex utraque parte roborata sit, ut Stephanus Botskaius piae recordationis princeps universos et singulos ordines ad observationem ejus stricto adigere sacramento, integrum esse censuerit. Quanquam vero sangvinis conjunctio, charitas christiana, integra conscientia, et vitae inculpatae candor, id a nobis postularent, ut nulla intercedente etiam confoederatione, mutuam salutem adjuvaremus, adversitatibus autem et oppressionibus compateremur; nihilominus turbulentorum quorundam studiis factum est, ut quos amicos, fratres, proximos, imo carnem, ossa et sangvinem proprium agnoscere par esset, eos pro inimicis, imo apertis reputaremus hostibus. Ex parte autem nostra illibata conscientia et constanti verae sinceritatis puritate confoederatio illa obser-

a) Littera ad comitatus Regni Hungariae.

vata fuit, quod vel ex tribus hisce conjecturis evidens est: primo, quod tametsi instructis potentissimi imperatoris copiis pro nostro arbitrio uti potuissemus, fines tamen ac limites regni Hungariae nullo modo ingressi sumus. Secundo, quod nec occulte nec manifeste in ditionibus Caesaris novi quidpiam moliti sumus; imo ne unicum quidem servitorem invito Caesare sub patrocinium nostrum recepimus. Tertio, quod etiam in praesentiarum, quanquam a limine principatus nostri intellexerimus, Caesaris officiales Andream Dotzium, et Andream Lónaium occultis partim technis, partim manifestis studiis regno nostro et limitibus ejusdem insidiatos fuisse, et in dies indesinenter insidiari, memores nihilominus charitatis christianae, conscientiae integrae, et bonae vicinitatis, a noxiis quibusvis studiis hactenus supersedentes vos primum requirendos duximus, utrum consciis vobis ejusmodi insolentiae patrarentur, an vero officiales praedicti, privato odio flagrantes, et inutili invidia aemulationeque tumentes injurias nobis inferre non dubitarent. Testem enim immortalem rerum arbitrum, et conscientiae nostrae puritatem apellamus, nobis salutem vestram non minus curae cordique esse, quam propriam nostrorummet, et propter hanc patriam, quam incolimus, non minus sanctam custodire velle pacem, quam pupillas oculorum. Verum apud omnes notum est, justitiam tantum in omnibus rebus roboris obtinere, ut sine ea etiam inter eos, qui sangvinis necessitudine juncti sunt, charitas vigere nequeat, cum suum cuique reddendum sit. Quod a longo tempore juris Transylvanici fuit, id per summam occupari violentiam, moleste admodum ferimus, cum jure nostro adeo contenti simus, ut praeter id nihil requiramus. Unde si in eo, quovis sub praetextu impediemur, quod viribus nostris non possumus, exterorum de necesse

suppetiis repetere cogemur. Hoc pacto vero foedera inter duos Imperatores rumpentur, et periculorum suboriendorum afflictissima nostra natio, plus quam aliae sub coelo nationes, particeps futura est. Quamobrem charitate sincera, et Christiano moti affectu vos in omnibus comitatibus tempestive censuimus requirendos, ut intelligeretis, almam confoederationem inter duos potentissimos orbis dominos, Regna item Transylvaniam et Hungariam hactenus cultam observatam et vigentem ab officialibus Imperatoris Romanorum occupatione arcis Kövár, Rivuli Dominarum, et oppidi Tasnád labefactatam esse, cujus rei si conscii estis, sanctam nihilominus pacem et concordiam una nobiscum colere in animo habetis, obtestamur per mutuo datae acceptaeque fidei observationem, ut hujusmodi pravorum hominum seditiosis moliminibus salutari aliquo remedio obviam procedatis; sin minus; coram Deo, sanctis ejus Angelis, et orbe christiano protestamur, ex parte vestra confoederationem esse violatam, cum qui potest peccantem prohibere, et non prohibet, eum aeque peccare certum sit.

Deinde privatim etiam studium principis pacificum, candorem et summam animi integritatem viris bonis commendantes, multos etiam ex iis, qui alias sinistris malorum verbis dementati adversariorum studiis favebant, benevolos conciliarunt, plurimos rebus Transylvanicis optime faventes invenerunt, ut passim per villas, oppida et civitates princeps pacificus, moderati et tranquilli animi, prudens et maturioris consilii, generosus hostilium conatuum dissimulator circumferretur. Sed et ad Mathiam Romanorum Imperatorem litteras querimoniis plenas per celeres dedit cursores, a) in

a) Litterae principis ad Romanorum Imperatorem.

quibus enumeravit, jure ne, an injuria temporum inoleverit, quod finibus Transylvaniae, ad conservationem principatus ex partibus Regni Hungariae certi terrarum tractus, tam ex deliberata Regum Hungariae limitatione, quam ex principum Transylvaniae unione, ita essent annexi, ut longa consvetudine in legem abeunte, quicunque terminos illos violasset, jus et aequum violasse existimatus fuerit; tum vero, quod compositionis illius tot annorum curriculis admissae, custos atque arbiter potentissimus Turcarum Imperator exstiterit, adeo, ut lynceis fere oculis in custodiam ejus intentus, nihil magis per litteras et internuncios principibus Transylvaniae injunxerit, quam terminos ditioni Transylvanicae subjectos, integros conservare studere, ne fines diminuendo, onus reipublicae augerent, aut ansam rumpendae exoptatissimae pacis praeberent; nesciret tamen, utrum fatalem rerum vicissitudinem, quae exiguam tranquillitatem reipublicae Hungaricae afflictissimae invideret, an potius noxia turbulentorum hominum studia, pacem bonorum convellere asveta, accusaret? Cum toto studio, non gentis modo Hungaricae, sed totius Christianitatis pacem atque emolumentum promovere contenderet, et nihil majus et antiquius duceret, quam ut pacate intra limites et fines suos vivere posset; repente praeventus clandestinis techbnis adversariorum, arcem Kövár, Rivulum Dominarum, oppidum Tasnád a multis annis ad principatum Transylvanicum possessa, occupata esse audiret, ac praeterea nulla pactorum habita ratione, in medio Regni, varia defectionum semina spargi, milites in confinibus aeque voluntarios, ac stipendiis conductos cogi in perniciem Regni intelligeret. Quae omnia quanquam non exiguam sibi sollicitudinem creassent; conscientiae nihilominus, quam coram Deo et hominibus aequitatis et justitiae studiosissimam semper conservare

vellet, ratione habita, et pro eo studio, quo in conservationem pacis publicae se flagrare ostenderet, nihil hostile prius extra terminos suos moliri conatus esset; sed hisce ante omnia, ea qua par est demissione atque fiducia, Caesarem non solum requirere, sed per publicam regnorum christianorum salutem, per auream pacem et quietem miserorum subditorum, per thronum denique augustalem, Caesarem orare atquê obtestari proposuisset, ut ab ista tam indigna finium Transylvanicorum infestatione et occupatione Caesar desisteret, suosque desistere praêciperet, et occupata hactenus, antequam res in manifestiorem periclitationem deveniret, omnino restitueret. Quod si faceret, se non tantum justitiae communis et aequitatis, sed et pacis, tranquillitatisque publicae vere studiosum ostenderet, remque tanto Imperatore dignam praestaret. Quod negotium per Sigismundum Sarmaságium legatum nuper in aula Caesaris detentum, magna verborum contentione procuratum est, tanta diligentia, rationibus, et facundia, ut consiliarii Caesaris in admirationem hominis raperentur. Ante omnes autem Cardinalem Cleselium, quem princeps humanissimis litteris, multa officiorum et largitionum oblatione pene suum fecerat, privatim frequenter compellans evicit, ut Commissarii deputati, primo quoque tempore ad complanationem differentiarum, ratione finium occupatorum, subortarum expedirentur.

Interea princeps ad publicam regni sui securitatem et tranquillitatem facere animadvertens, non solum apud exteros amissorum restitutionem solicitare, verum etiam domi disjectas temporum injuria leges, turbatas libertates reparare, fiscalia autem bona per summam principum nonnullorum prodigalitatem dissipata reacquirere, et alias Regni necessitates restituere; eapropter frequentia regnicolis in civitatem Me-

diensem Comitia, a) ad dominicam Reminiscere, seu VIII. Kalendarum Martii indixit, ad quae cum ornato apparatu, ex omnibus ditionis Transylvanicae partibus trium Nationum delegati confluxissent, et ipsi Báthoreanae caedis authores Joannes Szilásius et Gregorius Nadányius, cum suis complicibus praemium parricidii accepturi comparuerunt. Princeps cum 600. peditibus, et quatuor equitum centuriis, aulicisque nobilibus, in quorum animis juvenilibus grata adhuc Báthorei memoria supererat, VII. Kalendis Martii ingressus, tres dies quieti attribuit, Calendis Martii initium consultationis facturus. Quo temporis intervallo, cum insolentissimi sicarii cristati omnes, deauratis accincti gladiis et oneratis instructi sclopetis in publico versarentur, morsibus tamen conscientiae agitati nusquam tuti viderentur, privatim modo hos, modo illos, et quid de homicidio illorum unus quisque sentiret, expiscabantur. Interim miles omnes civitatis portas occupat, easdem delectis muniens praesidiis, et frequentes intra muros disponens excubias, creberrimis convitiis sicarios et opprobriis proscindit, et saepe in publico versantes digito ostendit, jactitans istos esse, qui principem dominum, et benefactorem suum indigna affecissent morte, qui publici sicarii et parricidae essent, qui familiam Báthoream tot Regum et principum genitricem extinxissent; quos sol aspicere erubesceret, terra vero communis omnium altrix ferre recusaret, idque tam ingenti animorum vehementia plerisque in locis factitatum, ut manus duntaxat exertae ad caedem foedissimorum latronum deessent. Ergo IV. Nonar. Martii, quo tempore Regni jam negotia tractabantur, inconsulti latrones amictu splendido ornati, cristati et ar-

a) Comitia Mediensia.

mati, primum ad Joannem Mikolam, Regni Senatorem, deinde ad Joannem Angyalosi Regni praetorem, quem Magistrum Protonotarium vocamus, diluculo se conferunt, et de militum aulicorum injuriis multo sermone conqueruntur, adjiciuntque, ipsis ob liberatam a tyrannide patriam, non convitia, contumeliae, opprobria, sed latifundia, praedia, pagi, et honores a regnicolis litteris assecuratoriis sufficientibus promissi fuissent. A quibus uno ore ad Status et Ordines rejecti, instructi sunt, ut libera comitia ingrederentur, et querimonias suas Statibus Regni exponentes, si factum eorum ex Senatus Consulto regnicolarum patratum fuisset, proemia meritorum sollicitarent. Quorum verbis sicarii nonnihil a metu liberati, postquam eodem die regnicolae convenissent, globo facto armati comitia involant, vultu sceleris conscientia immutato, aspectu horribiles; maxima enim vis est conscientiae in utramque partem. Ubi Szilásius rustico plane dicendi genere conquestus de militum injuriis, et opprobriis, qui ipsos sicarios et parricidas proclamarent, cum tamen constaret, se se, non privato odio ductos, facinus patrasse, sed ex regnicolarum Senatus-Consulto, tyrannum e medio sustulisse, cervicibus patriae ferrum et ignem excussisse: tacere extemplo ingenti omnium ordinum clamore jussus est. Tum Judex Regius Cibiniensis consurgens, amplissimis protestatus est verbis, nihil eorum, quae scelerati homines loquerentur, ex publico Regni consilio patratum fuisse, eosdemque dignos esse, qui illico comitiis exturbarentur, et juridice convicti in posterorum, ac etiam finitimarum nationum exemplum, atrocissimo afficerentur supplicio. Ergo omnium clamoribus ignominiosissimis affecti contumeliis, comitiis ejecti sunt. Quod miles praetorianus illico animadvertens, primum fortunas singulorum in hospitiis diripuit, deinde juvenem quendam subor

nans, qui arrepto pane e conspectu propolae fugiendo versus homicidas, qui servitiis suis cincti in plateis errabant, tenderet, tum sublato ingenti clamore fugientem cum pane juvenem alii insequuntur, quem simulac tumultum sicarii animadverterunt, et manipulos militum hinc inde versus se se tendere viderunt, testimonio conscientiae convicti, in pedes se conjiciunt, et angustam quandam nacti viam, turrim Xenodochii veteris, quae nunc turris textorum est, occupant; in via nihilominus armiger Szilásii, qui sericeam Báthorei exomidem superbe gerebat admodum, deprehensus, a) cui Petro Vátzio nomen erat, decollatus est. Ea turris in septentrionali civitatis parte erecta, ab oriente sole templum contiguum sed desolatum, et portam superiorem, qua Schaesburgum versus itur, habet, a meridie Basilicam civitatis cathedralem, et forum publicum, a septentrione muros proximos et quandam civitatis partem, ab occidente autem portam inferiorem, qua Albam Juliam versus tenditur, obtinet, alta pedes ferme 26. lata per singulos angulos pedes 8. tegulis obtecta, et subtus tegumentum in corona laricea circumdata pergula, intus autem domunculam, in qua vigiles quondam excubabant, habet. Hanc turrim postquam valvas inferiores, ingruentibus militum armis, et sclopetorum glandibus defendere non possent, per subjectos gradus et scalas conscenderunt, rati angustias graduum et scalarum facilius ex loco eminentiori defendi posse, tantisper, donec princeps, in quo summam reposuerant spem, aliquos submitteret, qui ferocientes militum animos compescerent. Verum ubi vindicta appropinquat divina, frustranea est spes in hominibus quantumvis potentibus collocata. Tam enim peditum quam equitum copiae, in perniciem eorum concurrentes, densissimas

a) Petrus Vátzi armiger Szilásii Mediae decollatur.

plumbearum glandinum procellas undique in eos vibrarunt, et ex angustiis graduum in objectam domunculae, quae in turri erat, januam creberrimos sclopetorum globos ejaculantes, exiguo temporis interstitio effecerunt, ut sicarii aliquot lethaliter vulnerarentur. Interim comes Stephanus Bethlen, Gregorius Magnus, Lupus Bethlen tumultu exciti superveniunt, qui authoritate principis sedare militem volentes, simulac animadverterunt, nullum admonitionis locum apud efferatos superesse, discedunt. Quo sicarii ad desperationem, ultimum in hac vita malorum malum redacti, intellexerunt, sibi turpi plane supplicio pereundum esse. Ne tamen impune morerentur, pristinae virtutis memoria, et gloriae militaris, qua sine controversia eminebant, recordatione tacti, se se mutuo cohortati, acerrime ad mortem usque pugnandum censuerunt; ideoque in pergulam illam lariceam strictis emicantes gladiis, post tripudia et saltationes martiales, alacri animo praesentis fortunae faciem perferendam esse existimantes, manualia tormenta hostili animo in obvios quosvis disploserunt, et octo milites, partim vulnerarunt, partim ex tempore occiderunt. Praetoriani nihilominus ferali absumere incendio turrim universam volentes, minime supersederunt a proposito efferatorum animorum vindictae cupido. Quod simulac civibus innotuit, viscum e fornice templi concamerata, levi obvolutum tegula in tectum superius deducentem ostenderunt, unde et superior domunculae in turri existentis contabulatio infringi, et sicarii in militum arbitrio haberi possent. Eaque res cum summa omnium congratulatione accepta, ex tempore in effectum ita deducta est, ut sicarii tum demum intelligerent, se cum extremo vitae discrimine colluctari, cum milites in superficie contabulationis domunculae, in qua conclusi haerebant, versari animadverterent. Eoque metu ter-

ritus Gregorius Nadányius in pergulam exsiliit, et stricto gladio totis viribus adversum ex altera parte ab angustiis graduum et scalarum militem ferire volens, gladium temere trabi superinjectae impactum extrahere nequivit, eamque ob causam a milite secundum tempora fistula sclopeti ferrea ictus, eodem in loco periit, caetera autem militum cohors refracta contabulatione, sclopetis primum manuariis in assassinos saeviens, deinde eos vestimentis omnibus nudatos, ex turri Nadányium inprimis, a) deinde Szilásium, et Blasium Zámbonem in terram praecipitarunt; ubi strictis a multitudine excepti gladiis, momento frustulatim more majorum concisi sunt. Similem et Lucas Marhás, Szilásii centurio, homo obesus, et truculentus expertus est fortunam. In hospitio enim a Cosmo Deli Thrace nobili deprehensus, et per summa ludibria nudus in medium tractus, ab irato milite in frusta concisus est. Quorum omnium corpora extis et excrementis confusa, postquam per triduum porcis, et canibus rapinae fuissent, a publicis tandem carnificibus, in fossam quandam exilem uncis et ligonibus tracta, pulvere et lapidibus obruta sunt. Eo facto, princeps publico quasi exsolutus piaculo, majorem sui amorem pectoribus omnium injecit, et ad regni negotia, maturasque deliberationes animum convertens, tanta dexteritate salutaria adflictae reipublicae adinvenit remedia, ut alter quasi Machaon, aut coelo delapsus Aesculapius, laboranti ad deliquium usque patriae subvenisse crederetur.

Imprimis autem ea b), quae ad religionem et cultum pertinent Dei, communi omnium assen-

---

a) Szilásii et Nadányii, ut et Blasii Zámbo caedes.
b) Princeps religiosus.

su conclusa sunt. *Primo* ut pythones, haruspices, praestigiatores, venefici, tanquam diabolorum asseclae, et qui eos sequerentur, e medio tollerentur. *Secundo* ut ordo ecclesiasticus, qui non minus vitae integrae splendore, quam doctrinae puritate populo praelucere solet, frequentes visitationes oppidatim institueret, errantes corrigeret, atrociter autem delinquentes, authoritate Magistratus compesceret. Ut deinde gymnasia publica, pro instituenda in liberalibus artibus juventute in omnibus locis reaedificarentur; templa restaurarentur, campanae restituerentur, et cultus ubique divinus postliminio reflorescere. Aerarium publicum institueretur. Dica octo florenos non excederet, muri Albenses reaedificarentur, Barones pro dignitate banderia alerent. Hajducones abrogato turpi hoc nomine, comitibus comitatuum parerent. Proscriptis a Báthoreo indigne Nicolao Szennyei, Sigismundo Kornisio, Joanni Petkio, Sigismundo Sarmasági, Nicolao de Sükösd, Joanni Kálnoki, Francisco Bernándi, Stephano et Francisco Domokos, Francisco et Georgio Geréb, Blasio et Joanni Nemes, Melchiori Nagy, Sigismundo Mikes, Joanni et Francisco Szörtsei, Joanni Nemes de Adámos, Benedicto Kálnoki, Francisco Domokos, Nicolao Vajda, Demetrio Zöldi, Mathiae Verebélyi, Joanni litterato de Kolosvár, Stephano Gergotz, Joanni Pataki, Joanni Régeni, Nicolao Nagy de Körös-Bánya, Stephano Boér de Szombathfalva, et Joanni Rápolti honores et ablata bona restituerentur. Decretum in praejudicium civitatis Cibinii coacte sancitum penitus aboleretur Stephanus Kendius, Balthasaris Kornisii et Pancratii Szennyei Orphani, in numerum regnicolarum reciperentur, bonorum ablatorum restitutio brevi termino revideretur. Relictis viduis Christophori Kereszturi, Pancratii Szennyei, Joannis litterati de Kolosvár, bona materna violenter ablata

restituerentur. Civitates munitae tempore necessitatis regnicolas reciperent. Malefactores publici per comites punirentur, neque ii gratia principali dignarentur. Liber Baronatus aboleretur, a) sententiae penes mandatum suae serenitatis executioni demandarentur. Pecudes, et jumenta gregatim quaestus causa ne Regno educerentur. Usus grossorum alborum aboleretur. Et plures aliae novellae, ad pristinum ecclesiae decorem, et publicum Regni emolumentum facientes, magno regnicolarum applausu confirmatae sunt. Intellexit enim princeps sapientissimus, quibus olim artibus sanctissimi quique reges fundamenta regiminis optima posuerunt, nimirum: fundatione ecclesiarum, et e medio populi discordiarum, et intestinorum odiorum sublatione, ideoque totis incubuit viribus, ut quam purissime cultus divinus administraretur, pax vero quam altissimas, et concordia in omnium animis figere posset radices. O aurea reipublicae Transylvanicae duo fundamenta! quibus nisi ad haec usque tempora niteretur, in momento profanitatis, et barbarorum, inconditarumque seditionum receptaculum fieret.

Interim dimissis comitiis, comites singulorum comitatuum sub amissione capitis, et omnium bonorum, ut in rebus arduis fieri solet, ad serias cohortatus est vigilias, atque ut in omnes adversariorum machinationes, intensissimis vigilarent studiis, serio admodum edixit, et creberrimis Sigismundum Forgátsium, et Andream Dotzium de restitutione finium litteris sollicitavit, et ut tutius legati Caesarei deputati regnum ingredi auderent, eisdem de salvi Passus litteris providit. b) Legationem vero solemnem, cui

---

a) Alter Cod. habet: Liberi Baronatus abolerentur. b) Legatio Comitis Stephani Bethlen, et Stephani Erdélyi ad Portam.

illustrissimum comitem Stephanum Bethlen Regni Transylvaniae Gubernatorem, et Stephanum Erdélyium senatorem Regni nobilissimum praefecit, ad fulgentem Portam instituit, in qua cum praemissa recenti beneficiorum acceptorum recognitione enumerasset inprimis, partim ob stabilem intestinarum factionum, quae domi serperent, compositionem, partim vero exterorum principatus aemulorum repressionem, cum Memethо Aga Kaputsi Passa legatos tam nobiles fuisse expeditos, demisse admodum apud Imperatorem intercessit, ut habita recentis, et nondum bene stabilis principatus sui ratione, qui domi clancularіis factionibus, et noxiis quibusvis invidorum studiis impeteretur, extrinsecus autem injustis pravorum hominum calumniis, clandestimis, et apertis confiniorum Regni rapinis laboraret, eos exoptatissima resolutione sua exhilaratos remitteret. Postulavit igitur, ut taxa annualis remitteretur, tum quia temporibus Báthorei, ob varias et perniciosas seditiones Regnum esset expilatum, tum quia a Tartaris et Getis pharetratis regulorum Valachicorum, in expulsione Báthorei esset in cineres redactum, tum etiam quia ea Regni pars, quae praeteritis bellicis tempestatibus intacta remansisset, ab officialibus Romanorum Regis, cum exquisitis fortalitiis, civitate munita, et oppido uno, esset occupata: et Michaelem Toldalagium, continuum oratorem et agentem, amplissimis commendans verbis, Thomam Borsos, virum non vulgari ornatum discretione, redire jussit. Eodem tenore, et iisdem ferme rationibus regnicolae intercesserunt, et principem optimum, qui totis viribus saluti Reipublicae studeret, summis extollentes laudibus, eundem protectioni, curae et favori Imperatoris invictissimi commendarunt. Legatis autem ardua plane, et maximi momenti negotia, quae ad exactissimam in Consistorio Imperiali revocarent

discussionem, injuncta sunt. Quorum omnium puncta haec fuerunt: *Primo*, ut ex itinere ad Vajvodam Valachiae Transalpinae diverterent, eundemque ad bonae vicinitatis tuitionem adhortantes commonefacerent, ut pro sua, qua apud Portam fulgentem polleret auctoritate, daret operam, commodis reipublicae Transylvanicae, et honoribus principis inservire. *Secundo*, ut summum Imperatorem, et Consistorii purpuratos, medio Alexandri purpurati convenirent, et intentissimis, in quantum possent, studiis, litteras Athname assecuratorias super his rebus extraherent: Quod quamvis ob innumeras insolentias, ejectio Gabrielis Báthorei armis patrata fuisset, et inter dissidentes armorum strepitus novus princeps electus fuisset, id nullo unquam tempore liberae Regni electioni praejudicaret. Ut insuper tributum, ob rationes praedictas, annuale remitteretur. Ut vicini aemuli cohiberentur. Inprimis autem Romanorum Imperator, qui et rex Hungariae esset, Rex Poloniae, Hungariae Palatinus, et Pro-Rex Cassoviensis, per litteras et legatos Imperiales serio requirerentur, ut hostilibus quibusvis studiis et affectibus depositis bonam vicinitatem colerent, et abalienata Regni fortalitia primo quoque tempore restituerent, ut quemadmodum principi. Botskaio bonae memoriae, oppida et villae dedititiae fuerunt, ita etiam hodie remanerent, neque ullae praeter eas a militibus Tömösiensibus, Gyulensibus, et Szolnokiensibus ad deditionem compellerentur. Ut civitas Debretzinum, novis et inusitatis exactionibus a Budensi et Agriensi purpuratis minime opprimeretur. Ut negotiatoribus ultro citro salvi passus litterae concederentur. Delatoribus altera non audita parte fides abrogaretur. Transfugae turbulenti regnorum turbatores dederentur, et cusores falsorum sigillorum, litterarumque fictarum artifices, qui Portam fulgentem saepe eludere solerent, depre-

hensi, e medio tollerentur. Purpuratis et Beghis confiniorum, duobusque Valachorum regulis serio injungeretur, ut in omnes intenti occasiones, non obstantibus temporum vicissitudinibus, saluti Transylvaniae studerent, et a praedationibus confiniorum milites abstinerent. *Tertio*: De arcium Lippae et Jenö deditione, quam in omnibus litteris Imperator invictissimus hactenus ursisset, exquisita verborum contentione respondere: Invictissimum Imperatorem animadvertere posse, quantopere Germanorum Rex proprias etiam Regni Transylvaniae ditiones usurpare contenderet, ac insuper in toto Christianorum orbe, quam atrocibus et inusitatis premeremur criminationibus, cui malo, si hoc tempore arcium deditione oleum infunderetur, non solum regnum Transylvaniae in praesentissimum conjiceretur discrimen, verum etiam rupto foedere, universa christianorum arma in gentem Ottomannicam converterentur.

Quam legationem secunda satis administratione obeuntes, rebus feliciter et ex omnium animi sententia confectis, litteras Athname impetrarunt, quas quoniam ingenti solennitate extradatas, et inusitatis barbari imperatoris titulis refertas agnoscamus, non alienum putavi, hac occasione, de verbo ad verbum inserere:

Aeterni creatoris sancti Dei, effigie et persona carentis, liberrima et infinita gratia, a) et misericordis naturae ejus abundantia, et sancti dominatoris Prophetae (qui est in abysso beatitudinis, filiorum hominis celeberrimus, creaturarum desiderium, Prophetarum, et sanctorum omnium plenitudo, viae veritatis director, sanctus sanctorum) videlicet Mahomethi Mustaphae, Apostoli Dei, super quo divina oratio, et pax

a) Litterae *Athname* Imperatoris Turcarum, Gabrieli Bethlen traduntur.

sit, intercessione, sanctitate, et larga miseratione, et verae fidei Doctorum, sectatorum, et juris amantium, quatuor videlicet discipulorum ejus, et auditorum, super quibus favor divinus et salutatio sint! auxiliis, et intercessionibus.

Ego, qui sum ab oriente ad occidentem usque dominator, Alchorani Dominus, potentissimus temporis et terrae possessor, Graeciae, Persiae, Arabiae perpetuus, et maximus princeps, mundanorum regum Rex, Angelicae gloriae adumbrator, Alexander Secundus, sanctorum locorum restaurator, Regnorum Meridionalium magnus et sapiens poeta, Mechae, et sanctissimae Bechae, et clarissimae Medinae venerator, custos Jerusalemi, sceptrorum regum idolatrarum confractor, albi et nigri maris locumtenens, Aegypti Rex, Aethyopiae Sabae, Aethyopiae crispae, Jemenae, Adchunae, Zantae, Babyloniae, Halepnae, Sami, Damasci, Tarabosanae, Trapoloniae, Zulchadarniae, Anatoliae, Zivarnae, Ezrumnae, Trapezonti, Diarbecharnae, Bithyniae, Regni Churd, et Regionis Güretzu, Transalpinae, Moldaviae, Tartariae, Cephae, Caramaniae, Destinae, Cappadociae, Montium terrae, invictissimae Coronae et Constantinopolis, propriae, perpetuae, et fulgentissimae Residentiae nostrae, Judaeae, occidentalium Insularum, Tripolis, Tunis, Cypri, Rhodi, Emazienae, Bazerenae, Lahzanae, Europae, Boznae, Budae, Agriae, Kanisae, Tömösvári et caeterorum quamplurimorum Regnorum, Provinciarum et Locorum magnus et terribilis Dominus, Caesar, et invictissimus Imperator, Sultan, Sultani filius ex prosapia Sultanorum, qui sum Sultan Achmet, filius Sultani Mehemeti, qui fuit Murathi, qui fuit Selim, qui fuit Sultani Solymanni e gente Ottomannica, decima et quarta progenies, super quibus omnibus misericordia divina et salvatio sit. Ab antiquo quicunque principes Transyl-

vaniae fuerunt, semper coram potentissimo solio nostro, et per orbem fulgentissima Porta nostra se se humiliantes fidelitatem et obedientiam praestiterunt, eamque ob caussam filialis ipsorum honor confirmatus est. Quodsi vero morte principis, quaedam suborta fuit mutatio; tunc proceres Transylvanici, unanimi consensu, e medio fratrum suorum, secundum liberam electionem, dignissimum patriae amantem, constantiae et fidelitatis tenacem, accedente etiam clementia nostra successorem eligere consueverunt. Cum vero principis moderni praedecessor filialem obedientiam labefactaverit, regnicolas multis modis afflixerit, multi ad nos fideles cum querimoniis confugerunt. Unde ad instantiam sub alma umbra nostra quiescentium optimatum Transylvanicorum, viribus potentiae nostrae nunc denuo ad principatum evectus est natalium splendore illustris, et constantiae fidelitatisque exemplar, videlicet: Dominorum fidem Jesu amplectentium celeberrimus, nationis religionem Messiae profitentis electus, Christianorum pacis arbiter, honoris et dignitatis possessor, ordinis militaris antecessor, magnificus Gabriel Bethlen, quem divina benignitas prosperet, propter meritum benevolentiae, et declarandae obedientiae erga invictissimum Caesarei nostri Imperii nidum. Is petiit a nobis litteras Athname, tales, quales felicis reminiscentiae Sultan Soliman abavus noster Transylvaniae dederat, obligans se ipsum, omni tempore se hostium meorum hostem, et amicorum amicum futurum; ac insuper dissensiones omnes, et caussas seditionum evitaturum. Nos itaque ob hunc respectum, anno nativitatis sanctissimi et maximi prophetae nostri Mahometi Mustaphae MXXIII. die XXIII. primi mensis Czemazjul, nativitatis autem prophetae Jesu anno MDCXIV. potentissimas confoederationis nostrae litteras imperavimus et dedimus. Quod secundum te-

norem priorum litterarum Athname, nunc quoque principem e medio fratrum suorum, et gente propria, et in honore educatam personam, unanimi consensu trium nationum, ex nostra clementia, liberrima electione elegerunt, quem nos quoque in suo principatu confirmavimus. Quodsi igitur deinceps aliquis citra voluntatem et electionem Regni principatum apprehendere vellet, id nullo modo patiemur, sed studio omni evitabimus. Quoad usque enim princeps Transylvaniae, proceresque cum regnicolis, in via verae fidelitatis constantes, et in semitis Imperatoriae nostrae Majestatis obedientes incedent, hostium hostes, amicorum amici erunt, foedifragi et perjuri non deprehendentur; tantisper Imperio nostro subjecti Passae, Beghi, et exercitus, nec clam, nec palam, Transylvaniam, et incolas ejus infestabunt, ab incendiis et rapinis abstinebunt, miseram plebem damno non afficient, captivos, qui in pristina perseverarunt religione, et Muzulmanni non facti sunt, restituent. Et quicunque adversus has litteras nostras, occasiones motuum, et discordiarum subministraverint, ii pro parte nostra punientur; modo civitates, oppida, et villae, quae a rebellione Sigismundi Báthorei dedititiae factae sunt, et inprimis arx Diószeg, quae ad Sanchagatum Szolnokiensem pertinet, antiquas suas contributiones non obstantibus Transylvanis; pendant: Mehadia et Halmos Castella cum pertinentiis a Transylvanis ne infestentur. Coloni fugitivi restituantur. Ex Nandor-Alba, aut aliis civitatibus, si quipiam negotiatorum, cum suis mercibus, aut mancipiorum cum pecuniis in Transylvaniam profugeret, ne recipiatur; imo restituatur. Transylvania consvetam suam taxam, more solito annuatim tempestive administret, civitates et villae, quae hactenus tributa non solverunt, nec deinceps taxentur. Quodsi insuper aliqui assentatores et proditores de prin-

cipibus Transylvaniae conquererentur, in eum finem, ut motuum duntaxat, et discordiarum semina sererent, aut in eorum nomina sigilla sculperent, aut aliis confictis et clandestinis litteris uterentur; cupimus, ut illico regnicolae de ejusmodi falsariis evidens perhibeant testimonium, et simulac falsitas sigillis insidiosis utentium et injuste queritantium apparuerit, illico exquisito affici possint suppliciorum genere. Deinde princeps cum Vajvodis Transalpinae et Moldaviae sinceram amicitiam coleret, ita, ut si alterutrius partium ditiones, externi hostes invaderent, mutuo sibi invicem auxiliarentur. Cum vero princeps Transylvaniae et regnicolae, copias auxiliares ex nostro Imperio educere vellent, necessitate ita exigente, antea de commeatu exercituum caeterisque necessitatibus providerent, pontes et aggeres firmarent, vias et semitas expurgarent. Cum Viennensibus secundum antiqua pacta, de limitibus, et pertinentiis Regni concluderent. Sciret, fulgentem Portam antiqua et solita contributione plus minime exigere, imo de legatis et obsidibus continuo prisco modo providere velle, modo captivi Turcae in Regno Transylvaniae, et partibus eidem annexis sine lytri solutione dimitterentur. In summa, quoad usque modernus Transylvaniae princeps Gabriel Bethlen et successores ejus, Senatores cum Regno, et tribus nationibus. articulis in praesentibus litteris confoederationis expressis se se accommodabunt, eosdem reverenter amplectentur, et non rebellabunt; ego quoque spondeo, secundum fidem et conscientiam meam, et juro per Deum sanctum, creatorem, qui ex nihilo coelum et terram creavit, et juro per duo mundi luminaria, et per Mahumeti Mustaphae prophetarum sanctissimi, super quo gratia Dei, et precatio sit, veritatem, sanctam religionem et legem: me praesentes litteras confoederationis, in omnibus articulis et clausulis observatu-

rum, neque violaturum. Operae pretium itaque est, ut princeps Transylvaniae hasce nostras assecuratorias, et clementiam, digno prosequatur honore, admonitionesque constanter animadvertat, et pro multiplici nostra benignitate, assiduis gratiarum actionibus pro nobis Deum adoret. More prisco, novo principi nunc quoque vexillum, clavam, Arabicas vestes, atque alia munera misimus, quae consvetudo deinceps etiam in fulgidissima Porta nostra durabit. Sic intelligatis, praesentibus litteris insignitis fidem habentes. Datum Constantinopoli in primaria cancellaria, anno Mahometis prophetae MXXIII, mensis primi Czemazjül die XXIII.

Deinde muneribus illustriorum purpuratorum animos sibi devincientes, quorundam autem mentes majorum et illustriorum donorum spe erigentes, omnes in universum benevolos effecerunt. Et res Imperii trans mare perscrutantes, postquam regum Christianorum Oratores convenissent, et cum eisdem prima amicitiae fundamenta jecissent, demum cum eodem Mehemeto Aga CC. equitibus comitati, illustria dona ferentes redierunt XXV. die mensis Julii.

Quae legatio dum apud exteros tam feliciter procedit, domi alia spinosa, intricata, et longe nocentior Caesaris Romanorum legatio, a) cui Franciscus Darótzius, et Emericus Lassota praeerant, advenit. Ad Calendas enim Majas, princeps vicissim conventum regnicolis, de arduis patriae rebus tractaturus Claudiopolim indixerat, ubi totis viribus in eo duntaxat laborabat, quibus artibus occupata regni fortalitia et confinia, manibus Germanorum Imperatoris, qui instigatione Melchioris Cleselii episcopi Viennensis, et Cardinalis, arcanorum consiliorum

---

a) Franciscus Darótzius, et Emericus Lassola Caesarei legati.

directoris, durum se admodum et inclementem vicissim declararat, extorquere posset. Commodum vero accidit, ut ad IV. nonarum Maji legati Caesarei Claudiopolim ingrederentur, qui dum per aliquot dies ibidem commorati fuissent, et pro dignitate Caesaris lautissimis excepti conviviis, quadruplici scripto universam legationis suae seriem comprehendentes regnicolis exhibuerunt. Ac primo quidem scripto proposuerunt: a) Caesarem Romanorum graves admodum et arduas rationes habere potuisse, quibus fretus ab omni prorsus pacis tractatione cum statibus et ordinibus regni supersederet, aliis autem viis, et modis securitati ditionum suarum consuleret; verum propensa et singularis erga gentem Hungaricam affectio, studiumque pacis plane paternum justas etiam indignationis causas animo ejus excussissent. Intermittere tamen nequiret, quin status et ordines foederis proxime initi violatione accusaret, ideoque promissionibus, stipulationibus, diplomatibusque hactenus superinde erectis, sigillis, et subscriptionibus firmatis stare in posterum nequaquam posse, contenderet, modos adsecurationis reales requireret, ac insuper legatos cum pleno mandato vicissim ad se submittendos postularet.

Ad quod scriptum status et ordines praeposterum sane et rerum eventibus repugnans per Simonem Pétsium, b) principis cancellarium, et consiliarium, virum de humanioribus litteris praeclare meritum, contrario opposito scripto responderunt. In quo demonstrantes: foedus ex parte Transylvaniae hactenus illibate esse cultum, ostenderunt aperte, arcium Kövar, Huszt, civitatis Rivuli - Dominarum, Oppidi Tasnád occupationes, violenter potius a Caesareanis esse

a) Actio prima legatorum Caesareanorum. b) Relatio actionis primae.

patratas, contra illa verba confoederationis clarissima Art. IV. expressa: *Transylvaniam et partes Hungariae eidem subjectas in suo principatu, dominio, juribus, privilegiis, et aliis ad eam spectantibus conservabunt, nec palam, nec occulte quidpiam contrarium facient, aut per alios fieri patientur.* Contra jus gentium omnium legatorum nuper missorum unus Sigismundus Sarmaságius fuisset retentus, imo contra foederis verba manifesta, commercia, transitus, legationes, et missiones, quae ultro citroque aequaliter tam hinc in Hungariam, quam illinc ad istas partes, sine ullo impedimento et controversia libere permissa sunt, impedita essent. Bonae vicinitati et amicitiae derogaret, quod nuper Melchior Cleselius Cardinalis ignominiosissimis litteris principem prosciderit, et quod Caesar titulum principi consvetum denegaverit, id et contra vim liberae electionis, quae ad successores etiam se se extenderet, et adversus manifesta confoederationis verba: „Gabriel Báthori maneat princeps Transylvaniae, et partium regni Hungariae eidem subjectarum dominus, Siculorum comes, et in eodem ipse, et successores ejus legitimi principes conservabuntur," factum esset. Nihilominus tamen, post maximas etiam hujusmodi offensas, Caesaris erga se singularem curam et affectionem christiano et augustissimo principe dignissimam, et per dominos legatos oblatam, status et ordines obsequentissimis prosequerentur studiis, ita ut antequam novas ejusdem postulationes intelligerent, crimen violati foederis ipsis inustum aperte negarent, docerique cuperent in eum finem, ut si convicti fierent, culpam deprecari, et de modis novi foederis ineundi cogitare possent; sin minus, Caesarem, tanquam supremum orbis christiani justitiarium ab injuriis ipsis inferendis, ex potestate foederis arcerent, et pro conservatione communis aequi-

tatis, de eorum, quae hactenus occupata sunt, restitutione instantissime urgerent.

Secundo scripto, die IX. Maji, ut violati foederis reos Status et Ordines peragerent, duo sibi agenda censuerunt. Primo, ut personam principis Báthorei ea labe violationis foederum contaminare possent. Deinde ut status et ordines criminarentur. a) Accusationis adversus Báthoreum capita haec erant: Quod post confirmationem confoederationis, in perniciem Romani Imperii, per Franciscum Balási, et Thomam Borsos oratores, clandestina cum Turcico Imperatore miscuisset, et tractasset consilia; quod decimas Nádudvarienses in praejudicium Caesaris percepisset; quod oppida: Szegedinum, Czegléd, Ketskemét, Ujjváros, Békes, censum Turcis pendere non vetasset; quod causam nigrae sylvae processu juridico determinare neglexisset; quod militem tempore necessitatis a Caesare non petiisset; quod cum gente Saxonica inscio Caesare in gratiam rediisset, quod vitam non reformasset; quod adversus pacificationem Viennensem, religionis negotium turbasset; quod bonorum restitutionem posthabuisset. Status vero et Ordines hoc commisissent: Quod licet Transylvania regno Hungariae incorporata, coronae sacrae subjecta fuerit, ideoque a legitimo et coronato rege dependentiam habere debuerit; tamen iidem status, concordi voto Turcas, enormes Christiani nominis hostes, inscio rege coronato adsciverint, qui praedarum, incendiorum, rapinarum, et latrociniorum foeda edentes signa, infinitam Christianorum multitudinem abduxissent, ac proinde regnum per omnia Turcarum potestati subjectum esset; cum constaret, litteris Alexandri purpurati, regnicolas metu

a) Actio secunda legatorum Caesareorum.

perculsos, ad conventum celebrandum accitos esse.

Ad quas Caesareanorum criminationes antequam singillatim status et ordines, per eundem Simonem Pétsium, et nonnullos proceres responderent, duo pariter sibi praemittenda censuerunt. a) Primum enim ajebant: Foedus illud, quod violatum esse jactarent, non duntaxat cum Caesare, et domo Austriaca esse conclusum, verum cum omnibus statibus et ordinibus regni Hungariae, unde accusationem hanc a solo Caesare institui absque consensu ordinum Hungariae minime potuisse. Ideoque se paratos esse non privatim Caesari super hac re rationem reddere, sed publice, palam et aperte universis Statibus et Ordinibus regni Hungariae, atque adeo toti orbi Christiano. Deinde personam praemortui principis quod concerneret, tametsi criminationes moribus ejus objectas, morte ipsius sublatas merito praeterire possent, quatenus tamen aequitatem illi patrocinari animadverterent, honori ejusdem consultum ire cuperent. Nam quod dicerent, post foederis confirmationem, Báthoreum per Franciscum Balási, et Thomam Borsos perniciosa, et contraria quaedam sollicitasse, vero consentaneum non est. Tribus enim ante conclusam confoederationem septimanis integris legati ipsi ad Portam profecti, nihil adversus confoederationem nondum factam sollicitare potuerunt. Deinde instructio principis sigillo et subscriptione roborata nihil tale continet. Evidens igitur esset, mendacium hoc, ex incertis vanorum hominum rumoribus fuisse conflatum. Decimas Nádudvarienses ex scitu principis nec perceptas nec prohibitas fuisse. Szegedinum, Czegléd, Ketskemét, Ujjváros, Bé-

---

a) Respondent status Transilv. ad actionem legatorum Caesaris secundam.

kes, eo loci haberentur, ut eorum censum princeps etiamsi maxime voluisset, prohibere non potuisset. Causam nigrae sylvae Caesareani neglexissent determinare. Militem tempore necessitatis principem petiisse, constaret ex litteris ad palatinum datis, et ex vivis testibus et sollicitatoribus auxiliorum. Primum enim per Franciscum Matskásium virum nobilem et impigrum, adhuc in initio Junii, cum primum apparatum solummodo Turcarum sensisset, praefectos Caesaris, ut se ad opponendum hosti praepararent, diligentissime admonuisset. Deinde ex patriciis Transylvanicis Lupum Cherénium, comitem Comitatus Szolnok interioris, ad maturandum quanto celerius auxilium, maximis, iisque solennibus obtestationibus misisset; sed nullum, proh dolor! in tempore apparuisset auxilium. Cum enim Turca subter Alpes ferreae portae XXXV. fere diebus Tartarorum adventum expectando tempus tereret, Sigismundus Forgátsius Pro-Rex Cassoviensis, districte Cherénio respondisset, nullum ex illis partibus sperari posse auxilium, ob metum Turcarum, qui tractus istos a tergo, si praesidia in Transylvaniam ingressa fuerint, facile devastare possent. Ipse autem Alexander purpuratus Turcicorum exercituum ductor, palam et aperte omnibus Regni proceribus confessus fuisset, non esse verendum quidpiam a suppetiis Báthoreo ferendis, cum ex consensu utriusque Imperatoris, ad exturbandum solummodo Báthoreum ipsi venissent, docebatque hoc litteris Andreae Negronii Caesarei in Porta Ottomannica oratoris, qui se vivum excoriari supremo vezirio spoponderat, si Báthoreo a partibus Caesaris vel unicum submitteretur auxilium. Nicolaus vero Gyulaffius eo tempore praenuncius auxilii venisset, et ut ut serum, terga tamen jam hoste ostentante ductabat exercitum. Sequenti die ad Claudiopolim, cum agminibus Tartarorum a prima luce ad vesperas

pugnatum fuisset. Quantum vero auxilii, quemque in finem submissum ex illis partibus fuisset, non est operae pretium pluribus declarare, cum conscientia unius cujusque et rerum eventus id declarent. Sed et pro componendis et sedandis simultatibus, quas cum Saxonica natione princeps defunctus gerebat, ut certos legatos submittens se se Caesar interponeret, conclusum quidem fuit in capitulationibus, hac interjecta conditione: si aliter negotium componi non posset At princeps cum civibus Coronensibus in publicis Regni comitiis transegisset, et restitutis arcibus, et castellis occupatis, civitas etiam ipsa fidem principi dedisset, adeo, ut non incumberet principi, jam illam legationem urgere, aut sollicite expectare. Neque Caesar documentum aliquod adferre posset, a se ejusmodi legatos institutos et ordinatos fuisse, qui si venissent, et repulsam passi fuissent, tunc demum contra foedus principem peccasse objici poterat. Sed nec adventus illorum fuit necessarius, nec venerunt, et absque illis subditorum paci et quieti princeps consulere potuit. De restitutione vero civitatis Cibiniensis nulla expresse in corpore foederis facta fuit mentio, qua de re Saxonica natio summopere conquesta fuit, imo tunc ex ore legati Saxonicae nationis frequenter auditum est, se a consiliariis Caesaris responsum aliquoties accepisse, ut rediret, diceretque reliquis, servirent principi suo. Et certe Caesar in litteris, quas clam submittere potuit, aperte significavit: Saxonibus in se nullam auxilii spem esse, ideoque pro restitutione suarum libertatum, et civitatis, orientalem Imperatorem diligentius sollicitandum esse. De reformatione autem vitae principis, agendaque poenitentia, nulla in transactione Posoniensi facta esset mentio, atque adeo eatenus etiam foederis violatio illi objici non posset. Scirent equidem status et ordines, peccatis id populi demerentibus, nunc

bonis, nunc malis principibus locum tempusque a Deo concedi, verum principatum non nostro sed divino judicio immediate subjectum esse. Deinde Viennensis pacificatio, non aliter Transylvaniam concerneret, quam quatenus in Posoniensi transactione recepta esset, ibi vero adjecta conditio esset: in quantum liberae electioni, et praesenti transactioni non praejudicaret. Vis autem liberae electionis ea esset, ut hoc Regnum in se et celebrare publica comitia, et certas pro commoditate temporis constitutiones pro se, legesque condere possit. Itaque in religionis, ademptarumque ecclesiarum negotio publicis Regni constitutionibus princeps inhaerere debuit. Illud religionis decretum, cuius meminisset, numquam a statibus et ordinibus acceptatum fuisse. Principem vero Franciscum Nagy-Mihályjum, et Petrum Kohárium ablegatos Caesareos, tam honorifice tractasse, ut ex praescripto ipsius Nagy-Mihályii, omnem Caesareis dignitatem exhibere fuerit paratus, exhibuitque tantopere, ut non solum ipsos legatos, sed et servitores eorum muneribus ornatos dimiserit. Demum de restitutione bonorum Viennensis pacificatio tunc temporis Hungariam proprie concernebat, Transylvania peculiari diplomate suam partem juraque obtinuit. Nunc autem vigore Posoniensis transactionis, certa sub conditione est acceptata, quatenus praesenti transactioni non praejudicaret. Praesens vero Posoniensis transactio haec est: Ut quaelibet partium sua jura, coram suo competente judice jure mediante prosequatur. Quod a demortuo principe, post foederis confirmationem nemo unquam expetivit. Quod difficultatem vero statibus et ordinibus oppositam concerneret; respondent: sicut negari non potest, Transylvaniam ad coronam Hungariae aliquando pertinuisse, ita apud omnes palam est, vi armorum effectum esse, ut non Transylvania solum, sed potior, major-

que Hungariae pars aliter longe, quam hodie possideatur. Recordantur status et ordines, Ferdinandum I. felicis memoriae Caesaris avum, aliquando Joanni Regi. totam Hungariam cessisse. Filio ejus Tibiscum fluvium limitem, quemadmodum et Botskaio adjecta arce Tokaj positum fuisse, adeo ut majores ipsorum suis consuluissent temporibus, ipsos autem suo consulere debere. Haec certo affirmarent, Transylvaniam statusque et ordines, istis rerum mutationibus, nihil de jure suo antiquo amisisse, nihil contra foedus ictum alienasse, nullum vel metum vel molestias imminere, praeterquam ex partibus Caesaris. Nam in confinibus, si clandestinae militum excursiones aliquoties contingerent, lucrum, damnumque in caput illorum verti, neque hoc commune esse. Quod praeteritus funestus rerum exitus proponeretur, commiserationem super eo, ex paterno et christiano affectu erumpere status et ordines intelligerent, cuperentque, ut utinam ea esset adeo seria solidaque, qua futurorum malorum occasiones in tempore praeveniri possent; cum praecipua occasio funestae etiam illius cladis a partibus Caesareanorum praebita sit. Princeps enim defunctus auxilio Caesaris in foedere promisso subnixus, Turcam, Regnum ingredientem finitimis militibus a tergo adoriri, et ditiones illius ferro, igneque vastare praeceperat. Quo offensus, accitis Tartaris par pari nobis omnibus relatum est; Princeps autem auxilio Caesaris confisus, et vita et principatu defunctus fuit. Illud certe silentio praeterire status et ordines non possunt: afflictissimam hanc ipsorum patriam, quae nunc acciderunt, his longe duplo aut triplo funestiore, sed decuplo magis horrenda, inaudita a condito mundo, nullis historiis signata, crudelitatis, ignominiarum, violentiarum, depraedationum, spoliationum, rapinarum, sub auspiciis Georgii Bastae, patratarum mole obrutam fu-

fuisse, exhaustam penitus et extreme desolatam. Nunquam vero Turcas communibus regnicolarum votis introductos fuisse, vel ex eo liquidum esset, quod ejus rei nullum prorsus, nedum probabile documentum adferri posset: ideo ex vanis vulgi rumoribus, tam atrocem Statibus et Ordinibus objici injuriam, non possunt non vehementer deplorare. Interim Status et Ordines non diffitentur, ante a) pacificationem, Caesarem Imperatorem Ottomanicum, et supremum ejus vezirium maximis promissis sollicitasse, ac litteras obligatorias ad ipsum Negronium Italico conscriptas sermone, consiliariis multis fuisse ostensas, ut certum sit, brevi illa promissa pro debitis fuisse solvenda. Similiter etiam confitentur, per nationem Saxonicam, ante factam cum Báthoreo pacem, postquam de Caesaris auxilio desperassent, pro restitutione suarum libertatum, Turcarum suppetias fuisse sollicitatas, idque per Andream Gitzium, horum omnium tumultuum primum authorem et architectum. Quod vero ad litteras Alexandri purpurati assecuratorias ordines Regni ad electionem novi principis convenerunt, id Status et Ordines negant contra foedus esse factum; saluti enim patriae in tanta rerum omnium perturbatione consulendum erat. Erant autem passim sparsi per urbes, et abditi in arcibus proceres, fatalem patriae occasum lugentes, quorum quivis tantam belli molem e meditullio Regni educere, patriamque a vastatoribus absque mora et dilatione liberare debebat. Maxime cum non fuerit positum in corpore foederis, principem absque praescitu Caesaris non esse integrum eligere, cum sine praesentissimo hujus et vicinorum regnorum periculo, in tanto belli ardore resolutionem ejusdem

a) Unus Cod. habet; contra.

nemo, ne iniquissimus quidem rerum aestimator, expectare potuisset. Imo Status et Ordines intelligunt, vigore transactionis electionem principis absque scitu Caesaris fuisse liberam, et deinceps etiam esse, eumque Ordinum confluxum Dei beneficio fuisse adeo salutarem, ut citius, atque minore damno patriam ab excursionibus exoneraverint, ditiones autem Caesaris nullas violari passi sint, et post liberationem, salutem patriae tam apud Caesarem, quam Ottomannicum Imperatorem, qua potuerunt, diligentia procuraverint. Quod laudi potius illis dari debebat, quam vitio verti, nisi forte conservatio patriae alicui unquam mortalium vitio verti potuit. His itaque omnibus ex rei veritate disputatis, postquam litteris, et vivis testibus Ordines omnia dicta et facta sua comprobassent, absolutionem a Caesareanis a tam atroci crimine postularunt. Qui cum negarent sibi ea de re fuisse attributam authoritatem, Statibus et Ordinibus intimarunt: eam de Caesare, et sapientissimis ejus consiliariis conciperent spem, qui non solum aequissimi, sed et clementissimi judices ipsorum essent futuri. Certam vero firmamque in animis securitatem praesumerent, ne illum ipsum quidem, qui vera esset veritas, rectaque conscientia, hoc violati foederis crimine, ipsos vel in praesenti, vel in futuro seculo condemnaturum.

Interea novi rumores ex aula Caesarea scripti supervenerunt, quorum respectu, recentem vicissim accusationum molem tertio scripto exhibuerunt. Quarum accusationum capita haec erant:

Quod princeps Gabriel Bethlen a) Caesarem apud Turcarum Imperatorem accusasset, quasi

---

a) Actio tertia legatorum Caesareanorum.

hostile bellum adversus Transylvaniam moliretur, petiissetque ab eo suppetias, et obtinuisset. Quod Csauzius a supremo Vezirio fuisset ad Caesarem missus, qui restitutionem arcium occupatarum peteret. Quod idem princeps non libere electus, sed vi impositus fuisset. Quod Franciscus Rhédei Turcicum praesidium in arcem Váradinam recepisset. Quod idem princeps ad comitatus Regni Hungariae litteras, querimoniis et obtestationibus plenas scripsisset, ac proinde fidelitatem eorum Caesari debitam, eo facto labefactasset.

Ad quas criminationes cum Status et Ordines partim subrisissent, partim vero easdem ex inertibus ac stolidis rumoribus, ignorantia, ridicula suspicione subortas fuisse censuissent, precati sunt legatos, a) ut sincere omnia agerent, parem integritatem expectantes, responderuntque: Quemadmodum nihil hostile ex his partibus adversus ditiones Caesaris admissum esset, illinc vero occultis consiliis et violentiis arces occupatae essent; minime inficiarentur, ob evitandam suspicionem, aliaque multa incommoda, supremo Vezirio id significatum fuisse, ut ex pactorum ratione, per litteras et internuncios modum recuperationis earum apud Caesarem, Ordinesque Regni Hungariae quaereret, quod hactenus eum praestitisse notum est. Auxiliorum etiam promissionem, si necessitas ita postularet, non negare, qua de re Caesarem, tanquam supremum orbis christiani Justitiarium, per suam, suorumque charissimorum salutem, per tranquillam ditionum ejusdem quietem et permansionem, per thronum Augustalem et Caesareum nunc etiam obtestarentur, humiliterque rogarent, ut ea, quae ditionis Transylvanicae essent, ne gravaretur quamprimum restituere,

---

a) Responsum Statuum et Ordinum ad tertiam actionem.

sapienter atque clementer recognoscens, occasionem rumpendi foederis, praesertim in tam alta rerum suarum pace Turcis non esse offerendam. Csauzius si restitutionem jurium suorum petiit, Status et Ordines id ipsum petunt: si praeterea aliud quidpiam ursisset, non pertinere huc, tam potentissimi Imperatoris legationes dirigere et moderari, qui faceret fortassis pro arbitrio et voluntate domini sui ipsum ablegantis. Si arces occupatae non fuissent, aut hactenus restitutae, nec legationibus Csauziorum opus fuisset, nec Caesar tot eorum querelis in dies molestaretur. Quod principis electionem concernit: de violenta ejus impositione nullum prorsus argumentum produceretur, siquidem exercitum Turcicum ad expellendum duntaxat Báthoreum ingressum esse, palam ipsimet confessi essent. Ad electionem vero tantam libertatem ipsis concessam, ut nullus ex Turcis interfuerit, nemo se ei rei immiscuerit, sed nec suggestione litteris et verbis, ne nutu quidem oculorum quenquam commendarint vel ostenderint, sed liberrima Statuum suffragia expectando, vulgari jactarint proverbio: Quemcunque, etiam ex infimae sortis hominibus elegissent, se illico dicto illius audientes futuros. Quin ab hominum memoria quot quot in hoc Regno electiones factae ac celebratae essent, nullam hac majore libertate factam fuisse, proceres Regni provectioris aetatis testarentur, eamque ob caussam sequentibus comitiis generalibus, omnium Ordinum consensu priores electionis modi confirmati essent. Comitatus ideo per litteras requisivisset, quod in rerum publicarum necessitudine, quam ipsorum principum amicitia majus (plus ?) inesse firmitatis animadvertisset, cum Imperatores, Reges, et principes interirent, respublicae autem benignitate Dei, et Regna diutius durarent. Quatenus ergo ex partibus Caesaris foedus violatum esset, ex officio princeps ipsis confoederatis commu-

nicare debuisset, a fide vero Caesaris neminem eorum avocasset. Et figmentum de Turcico praesidio in arcem Váradinam a Francisco Rhédei recepto, purum putumque mendacium esset. Quod vero quaererent, an a consortio et protectione totius christianitatis Status et Ordines avelli prorsus, et in aeternum Turcae mancipari vellent, facilis esset responsio: Jure enim Theologico animarum salutis, summam esse rationem habendam, ac Religione christianos cum christianis esse, quod juris etiam illis ipsis, qui in medio Turcarum Imperio sunt, liberum licitumque esset. Jure vero politico, saluti ac permansioni patriae consulentes, pacem a Turcis precibus et pretio partam modis omnibus colerent, conservarentque, exemplo tam majorum suorum, quam aliorum christianorum Regum, et Regnorum, opibus et viribus ipsis longe superiorum, qua in re, quid injuriarum Caesari, aliisque Christianis fieri posset, non intelligerent. Quibus omnibus impedimentis semotis, ad secundum scripti prioris punctum descensum est, ubi proponebatur: multis (nudis ?) verbis, promissionibus, stipulationibus, diplomatibus locum inposterum non dari, sed de reali aliqua assecuratione cogitandum; Status et Ordines flagitarunt, ut legati ostenderent, quid reali assecuratione denotare vellent.

Quarto itaque exhibito scripto, a) sollicita oratione arcem Váradinam manibus Caesaris assignari petunt. Quae postulatio simulac promiscue omnibus Ordinibus promulgata est, tantam in animis omnium indignationem commovit, ut uno ore et consensu, summa cum execratione tam alienae Caesaris petitioni reclamarent, et contradicerent, neque unquam vel cum

---

a) Actio quarta legatorum Caesareanorum.

vitae discrimine se id facturos pollicerentur. Tametsi vero indignitas rei sufficiens reclamationis et contradictionis causa esse poterat, nihilominus ut Caesari magis innotesceret, hasce ejus rei assignarunt rationes: Quod pacificatione Viennensi, praesidia Germanica omnibus arcibus Regni Hungariae exclusa prohibitaque essent; ea vero pars,(pax?) transactionis Posoniensis vigore etiam Transylvaniam concernens, nequaquam in praejudicium Statuum et Ordinum Regni Hungariae ab ipsis violari posset. Si Hungarica offerrent praesidia, nunc etiam prae manibus Hungarorum eam arcem esse profiterentur. Imo quidquid Status Hungarici de suis arcibus statuerent, ipsi viderent, sibi jure suo semper uti licitum fieri cuperent. Deinde Caesar sapiens de eo judicium ferre posset, Turcam vel sola hac petitione non parum offensum iri. Si vero intentionem ejusmodi in animis Status et Ordines assumerent, nihil, nisi certissimum patriae excidium maturarent. Nam quod caussa defensionis arcem eam ab ipsis postularet, certum esset, alia etiam loca, arte et natura longe munitiora, et tam ob loci propinquitatem, quam aliis opportunitatibus ad recipienda ejusmodi praesidia multis modis commodiora, immensis Turcarum viribus resistere non potuisse. Hanc vero arcem tam ob loci distantiam, quam alia haud contemnenda obstacula, plus periculi et offensionis admisso Germanico praesidio, quam defensionis et securitatis prae se ferre. Eapropter ejusmodi praesidium vitandum potius, quam accersendum esset. Status et Ordines aliam viam defendendae tam arcis Váradinae, quam etiam patriae ipsorum magis securiorem sequi malle, qua nimirum hactenus Dei beneficio finitima Regna, provinciae, et florentes respublicae ab annis multis sartae, et tectae fuissent conservatae. Praeterea recordarentur, largis Majorum expensis, cura, fatigiis et laboribus arcem illam fuisse

aedificatam, ideoque accuratius ac tutius a patriciis custodiri ac defendi. Extraneis vero tale Regni propugnaculum concredere, nec tutum nec salutare fore; cum palam sit omnibus, etiam Turcis testimonium ferentibus, principe Botskaio piae memoriae, praesidia Germanica, tam arcem Dévensem, quam Váradiensem non obscuris conditionibus Turcis assignare voluisse. Demum considerandum esset, nunquam in extraneis, et solo alieno militantibus, tantam repugnandi pertinaciam, et vitae contemptum reperiri, sicuti in genuinis patriae filiis, civibusque, quantumvis severa animadversione ejusmodi arcium resignatores a praedecessoribus Caesaris puniti fuerint. Constaret enim, in omnibus locis, et quidem praecipuis, Hungarica praesidia ex filiis patriae conflata, gloriosam potius mortem oppetere, atque ad internecionem deleri, quam loca ipsorum fidei concredita resignare voluisse, cujus rei Szigethum, Gyula, Tömösvárum, luculentissima exhiberent documenta. Quamobrem si Caesar permansionem Transylvaniae, si totius gentis Hungaricae salutem et emolumentum cuperet; Status et Ordines eum modis omnibus rogarent, et obsecrarent summa cum animi demissione, ut ejusmodi intentionibus et petitionibus finem imponeret, et aliter de ipsorum, publicoque christianitatis commodo cogitaret, neque ab iis ullam realem assecurationem, quae nihil, nisi excidium eorum omnium maturaret, postularet. Alium porro assecurationis modum, praeter eum, quem anno superiori dedissent, quaerere, nec honestum, nec inter Regna christiana consvetum arbitrarentur, nec possent Status et Ordines ullum novum, aut alium tractatum instituere, ne singulis annis foedera innovantes, et nihil praeter immensos sumptus reportantes, ludibriose omnium gentium exponerent. Scirent, ex his partibus foedus sancte et inviolabiliter hactenus observatum, ex partibus autem officia-

lium Caesaris praeter spem et expectationem, munitissima praesidia, et certos terrarum tractus esse occupatos, Quae si restituerentur, se libenter transactioni Posoniensi, et ex animo paratos esse stare, de legatis vero cum pleno mandato mittendis, modum et rationem reperire non possent, antequam ab ejusmodi postulationibus Caesarem destitisse, et meliora de restitutione confiniorum cogitasse intelligerent. Interim salva authoritate transactionis Posoniensis, partim ob retentionem legati ipsorum, partim quod et ipsi legati acceptis salvi Passus a principe litteris huc se contulerint, rogarent ablegatos, ut litteras vicissim salvi aditus et reditus legatis submittendis a Caesare impetrarent, et sub fide publica quam primum remitti procurarent, sollicitamque impenderent operam, ut per Sigismundum Sarmaságium consilium Caesaris, de finium, arciumque occupatarum restitutione magis salutare, clementer et paterno affectu aperiretur, atque in optatum finem realiter perduceretur. Justum enim praetendit, qui sua jura petit. Sicque legatis Caesareis ultima resolutio XII. die mensis Maji exhibita est.

Qui antequam ad Caesarem redirent, vigore litterarum plenipotentialium sibi datarum, litteras principi, Statibusque et Ordinibus assecuratorias sub publica fide dederunt, quod sub toto hoc transactionis tempore, ab omni prorsus hostili intentione et infestatione, palam vel occulte suborienda, ex partibus Caesaris abstineretur, et Transylvaniae, partibusqu[illegible] annexis securitas praeberetur.

Post discessum eorum, ne quid princeps in se desiderari pateretur, a) ad occupatorum repetitionem, sub his induciarum temporibus, novos vicissim ad Caesarem legatos mittendos cen-

---

a) Legati ad Caesarem secundo missi.

suit, tam sui, quam universorum Statuum et Ordinum nominibus; nominatique sunt Andreas Kapius de Kapi-Vára, et David litteratus Veyrauch, Judex Regius sedis Saxonicalis Kőhalom, viri authoritate et summa in patriam fide celebres, quibus injunctum serio est, ut principis, universae nobilitatis, et gentis Saxonicae nominibus, non duntaxat apud Caesarem, verum etiam consiliarios ejus scrupulosos, demissis petitionibus, variisque instarent obtestationibus, dignarentur publicam suorum tranquillitatem, et omnium Regnorum christianorum salutem, tam charam sibi existimare, ut commodis exiguis, studiisque inquietorum hominum posthabitis, restitutionem ademptarum arcium maturando, occasiones novorum tumultuum praescinderent, neque foedere rupto, iis, qui admodum lynceis oculis ex oriente terminis hisce invigilarent, ad novos subinde motus ansam subministrarent. Quae legatio integro uno mense a consiliariis Caesaris tracta, et varie ruminata, tandem ad consilium Hungaricum rejecta est. Eodem enim tempore Caesar Matthias comitia Posonium Statibus Regni Hungariae ad XIII. mensis Julii indixerat, multique ejusdem officiales, Andreas inprimis Dótzius, Andreas Lónaius, et Sigismundus Forgátsius arbitrabantur, fore his in comitiis, ut foedus cum Turca initum plane abrumperetur. Eapropter praesidiarii Cassovienses, duce Luca quodam Magno, varias Agriam et Fülekum versus excursiones faciebant, exustoque suburbio, pecudes non solum Turcarum, verum etiam Thracum Aradiensium, qui ditionis Transylvanicae sunt, hostiliter abigebant, jactitantes, se id instinctu Forgátsii patrare, futurumque esse, ut paucis post diebus foedus Turcicum ex partibus Caesareanorum abrumperetur: quam stolidam et ludicram improborum opinionem, non solum tempus, verum etiam saniorum Regni consiliariorum judicium aperte refel-

lerunt. a) Princeps enim illico ea de re, et Turcarum Vezirios, duosque Valachorum Regulos, et Imperatorem Romanorum, ejusque amplissimos Senatores, Ordines insuper Bohemicos, Moravicos, et Silesiacos commonefaciens, quid utrique parti fugiendum, quidve sperandum esset, edocuit. Turcas etiam ad continuas vigilias, quae universali hac christianorum perturbatione studiose requirerentur, cohortatus, Christianis svasit, ne adversus innumerabiles Barbarorum copias, quibus, ab occasu Ludovici quondam Regis praeclarae recordationis, post infelicem pugnam Mohátsiensem, gliscentibus praesertim inter Joannem Regem et Ferdinandum intestinorum odiorum incendiis oppressi fuissent, quidquam periculosis hisce temporibus tractarent; multo minus ferale in mutua viscera ferrum converterent, si nollent extremam patriae ruinam, sero tandem lachrymantibus deplorare et intueri oculis. Ideoque ad comitia Posonium indicta, b) Stephanum Kovátsótzium, juvenem nobilitate generis, et disciplinarum humaniorum, quas in luce Germaniae acquisiverat, cognitione conspicuum, et Georgium de Belényes amandavit, quibus serio injunxit, ut dies noctesque maximis, quam posset fieri, itineribus contenderent, quo legatos Statuum Hungariae Lintzium usque ad Caesarem mittendos facilius Posonii adhuc commorantes convenire, et de pace cum Turcis nec cito, nec temere abrumpenda sollicitare possent. Qui ex itinere Cassoviam contendentes, postquam litteras principis Sigismundo Forgátsio, et Francisco Darótzio exhibuissent, palam exprobrarunt foederum violationem, et illicitas Hajducorum excursiones ex parte officialium Caesareanorum, et inprimis ipsorummet instinctu

a) Comitia Posoniensia. b) Stephanus Kovátsótzi legatus ad comitia Posoniensia.

factas fuisse. Quibus tametsi praedonum injuriis alma pax non everteretur, ex minima nihilominus scintilla, maxima possent etiam ex nec opinato suboriri incendia, quibus aut non essemus restingvendo, aut sero manus admoveremus. Litterae enim ad Lucam Magnum datae evincerent, ipsorum verbis, promissis et legationibus facta et intentionem minime respondere. Quodsi animo sincero pacem colere vellent, operae pretium omnino esset, ut ab ejusmodi injuriis, quas Christiani nominis hostes pro occasionibus et causis rumpendi foederis arripere possent, studiose supersederent. Ex quibus cum praeter vanas obtestationes, et nonnullas partim ignorantiae, partim latrocinii Hayducorum praedis et rapinis inhiantium praetensiones, solidi nihil responsi extorquere potuissent; continuato gravi sub taciturnitate, et vigiliis itinere, posthabitisque necessariorum compellationibus, quantumvis sollicitis, Posonium pervenerunt. a) Unde Georgius de Belényes Lintzium, ubi Ordines Imperii de rebus gravissimis convenerant, ad legatos nostros, cum litteris aliis plenipotentialibus limitatis, atque aliis litterarum fasciculis, quos privatim unicuique distribuere debebat, profectus est. Kovátsótzius autem Posonii persistens, exhibitis principis litteris, ad universos magnates et proceres Regni Hungariae amice admodum, et affectu plane christiano singillatim scriptis, eorum unumquemque etiam in privatis hospitiis ad pacis et concordiae conservationem nomine principis cohortatus est, et in Senatum medio illustris Georgii Thurzonis palatini introductus, in hanc sententiam fertur disseruisse:

Illustrissimi proceres, b) qui in hunc solemnem conventum pro conservatione ac defensione

---

a) Georgius de Belényes Lintzium proficiscitur. b) Oratio Stephani Kovátsótzii.

reipublicae Hungaricae in unum confluxistis, cujuscunque Status, Ordinis, dignitatis, eminentiae, clarissimi et prudentissimi Heroes! Cum a primo principatus sui exordio, princeps et dominus meus clementissimus, nihil magis in votis habuerit, quam desideratam pacem, et auream concordiam cum vicinis Regnis et provinciis colere; ita etiam nihil majori cura et vigiliis intendit, quam ut idoneas quasvis occasiones, in tam optimae suae intentionis finem convertere possit. Non obscuris enim intelligens rumoribus, a Caesarea Regiaque Majestate, illustrissimo Domino Comiti Palatino Regni Hungariae, plenam esse datam facultatem, Status et Ordines (quibus vitam prosperam et longaevam, cum debitae complacentiae et bonae vicinitatis oblatione, servitiorumque suorum studiosà commendatione ex animo cupit et desiderat) ex omnibus Regni partibus et provinciis illi annexis huc Posonium convocandi, et comitia generalia celebrandi, me ablegandum censuit, ut de rebus non exigui momenti, fortissimi proceres! agerem. Recognoscunt enim Status et Ordines, quis, qualisque fuerit a multis temporibus Transylvaniae afflictissimae patriae nostrae status, ex imminente Turcarum vicinitate. Et certe is notior est, quam ut longa relatione indigeat. Post infelicem siquidem conflictum Mohátsiensem, casumque serenissimi quondam Ludovici Regis laudandae recordationis, cum Solimannus ingenti hominum pecudumque abacta praeda Byzantium rediisset; Ferdinandus Imperator piae memoriae, avus Caesareae Regiaeque Majestatis, jus quarundam cum Regibus praecedentibus transactionum, ex certa magnatum quorundam factione, Joannes autem Scepusinus, liberam Statuum Ordinumque more majorum solito in campo Rákos electionem coepissent urgere; tantum inter utrasque partes bellum exarsit, ut Solymannus ad obsidionem Viennae, occasione ar-

repta animum adjiciens, Regno Hungariae Joannem restituerit, Ferdinandum autem omni suo proposito cedere coegerit. Defuncto Joanne, id propositi rursus Ferdinando renovare contendente, Turca jure patrocinii Budam occupavit, ac per pacta, terram Cis-Tibiscanam cum Transylvania in peculiarem principatum Joannis filio, Joanni Sigismundo Regulo et matri Isabellae concessit. Ab eo tempore aliquoties variis bellorum procellis ista Transylvaniae conditio controversa fuit, nec unquam sine maxima vicinorum Regnorum commotione sopita. Tandem vero Rudolphi praemortui felicis reminiscentiae, et moderni etiam Imperatoris semper Augustorum diplomatibus, et certa nonnullorum Regnorum et rerumpublicarum sponsione interveniente, jus electionis liberum Statibus et Ordinibus Transylvaniae concessum et confirmatum est. Quo jure Status et Ordines freti, anno superiore, Báthoreo, propter intemperantem ejus vitam, civitatum liberarum, ac miserae plebis, praesertim nationis Saxonicae oppressionem rejecto, modernum Dominum meum clementissimum, principem elegerunt: eoque pacto et ab ingenti bellorum colluvie patria liberata est, Regnumque non aliter apud principem, quam olim apud manus serenissimi quondam Joannis II. gratae memoriae, cum omnibus antiquis juribus, religione, libertatibus, terminisque relictum est. Eaque omnia et singula, juramento mediante, diplomate etiam Imperatoris Turcarum confirmata sunt. Quibus omnibus ita firmatis, stabilitisque, revocare etiam in mentem possunt inclyti Status et Ordines, anno superiori, eos cum Statibus et Ordinibus Regni Transylvaniae stabile iniisse foedus, super quo, cum diploma Transylvanicum, more consveto, sigillis Ordinum, et manuum subscriptionibus roboratum, penes illustrissimum Dominum Comitem Palatinum depositum fuisset, ex parte Caesareae Re-

giaequae Majestatis litterae duntaxat assecuratoriae juramento roboratae in Transylvaniam missae sunt. Quae res, cum universali Statuum et Ordinum Transylvanicorum securitati, et publicae tranquillitati, non parum derogare videatur, suspicionem autem alieni animi in dies augeat; vos inclyti proceres! oro, et obtestor, ut sollicitudinem hanc animis Statuum et Ordinum Transylvanicorum eximentes, communibus studiis, secundum sanctam et illibatam compromissionem, diploma reciprocae bonae vicinitatis, candoris, et christianae affectionis vestrae testimonium indelebile, sigillis vestris, et manuum subscriptionibus confirmatum, Statibus et Ordinibus Transylvanicis, amicis, et fratribus vestris exhibere dignemini. Imo vero pro Christiana vestra erga publicum bonum affectione operam modis omnibus impendite, ut legatos Lintzium mittendos diligentissima instructione vestra praeveniatis, ne quo pacto, per turbulentos quosdam publicae pacis, et tranquillitatis osores, Status et Ordines Transylvanici a salubri Sacratissimae Caesareae Regiaeque Majestatis, serenissimorum Archi-Ducum, confoederatorum Regnorum et Provinciarum determinatione excludantur, ut vigore sanctae et almae pacis, jura et confinia amissa recuperantes, sarta atque illibata fide, et conscientia bonam vicinitatem colere possint. Praeterea non diffitentur Status et Ordines Transylvanici, ob recentes et illegitimas militum Caesareanorum excursiones, Turcam finibus etiam Transylvanicis non contemnendam inflixisse plagam, quam unice propter excessus copiarum, et turbulentorum Caesareae Regiaeque Majestatis officialium paterentur. Quos licet Sigismundus Forgátsius prorex, non existimaret ad foedus abrumpendum sufficientes; intelligere nihilominus quivis pacis, et concordiae amator posset, hostiles turmarum velitationes, incendia, rapinas, et praedas,

imo justa quandoque proelia nullo modo ad pacem pertinere, Turcam omnia consignare, et Passas, Beghosque limitaneos, cum gravi querimoniarum pondere, jam dudum internuncios suos ad fulgentem Portam misisse, cum insolentia Hayducorum neque modum neque finem proterviae ponens, plenis buccis, ante aliquot dies circa arces Turcarum limitaneas clamitarit: foedus cum Turcis esse abruptum, et deinceps justo magis abruptum iri bello. Quamobrem cogitent inclyti Status et Ordines, si pacis amor eis curae cordique amplius est, ut ex his partibus temerarii et inquieti foederis sacro-sancti violatores, non duntaxat amoveantur, verum etiam in exemplum aliorum severissime puniantur, ne adversus commune Regnorum bonum, et publicam tranquillitatem praesumant se erigere, cum ex minima scintilla saepenumero gravissima incendia suboriri soleant.

Quae legatio, quod publicum omnino bonum concerneret, magna omnium bonorum et tranquillae conscientiae Senatorum approbatione excepta fuit. Diploma opera comitis Georgii Turzonis Palatini, amantissimi patriae civis confirmatum. Sigismundus Forgátsius, Andreas Dótzius, Andreas Lónaius et Georgius Homonnaius, qui excursionum in fines Turcarum authores erant, publico Regni nomine gravissime reprehensi, et legati ad Sacram Caesaream Regiamque Majestatem, Archi-Duces Austriae, confoederata Regna et Provincias, pacis et concordiae amantes, lecti sunt: Demetrius Napragy ecclesiarum Bátsiensis, et Colocensis canonice unitarum Archiepiscopus, Administrator episcopatus Jaurinensis, locorumque eorundem comes perpetuus; Valentinus Lépes, Episcopus Nitriensis, locique ejusdem comes perpetuus et per Hungariam Cancellarius; Petrus Demetrovits Episcopus Zagrabiensis; Petrus de Réva comes Comitatus Thurótziensis, Magister curiae Regiae,

sacrae Regni Hungariae coronae conservator, et consiliarius; Nicolaus Eszterházi de Galantha, Vitus Melith, Joannes Sándor, Nicolaus Melenich, Christophorus Lackner, civis Sopronìensis, qui Lintzium ad Calendas mensis Augusti missi, postquam per aliquot dies audientiam publice sollicitassent, nec obtinuissent, scripto tandem, quid de pace Turcica sentirent, exprimere jussi sunt. Qui elaboratissima concepta oratione, nomine Statuum et Ordinum Regni Hungariae, Sacratissimae Caesareae Regiaeque Majestati, et serenissimis Archi-Ducibus, longum et felix Imperium, sublimem ad multa Imperia exaltationem, vitam prosperam et longaevam, cum humillima subjectionis, servitiorumque oblatione, et precum studiosa commendatione precati, ac deferentes, humillime supplicarunt, quatenus christianum istum Conventum in eum finem dirigere dignarentur, ut alma pax cum Turca ad Sytva-Torok facta intacte et illibate utrinque conservaretur, quo et Regnum Hungariae continuis motibus agitatum respirare, et reliqua suae Majestatis Regna, in statu florentissimo permanere possent. Animadverterent enim inclyti Status et Ordines, statum Regni Hungariae quondam florentissimum, ad eum jam squallorem devenisse, ut quanquam olim illius fines, a) ab oriente Pontus Euxinus, a meridie mare Adriaticum, ab occidente Austria, ab aquilone Polonia terminarent; Oriens nihilominus, amissa Moldavia et Valachia Transalpina, nutante Transylvania, nihil fere nobis reliquisset. Meridies a Semendria Komáromium usque centum milliaria, Dalmatia, Mysia, Croatia, Sclavoniae magna parte, Bihachio, et Kanisa amissis, Turcicae tyrannidi subjecisset.

a) Consilium legatorum Hung. de pace cum Turcis servanda.

set. Occidens unicum Jaurinum restituisset, Ovár retinuisset. Aquilo Szathmárum, Etsedum, Munkátsum, Cassoviam, alicujus momenti haberet, reliqua essent castella et oppida, sepibus, palis ligneis, et parvo aggere cincta, sicut Kálló, Tokaj, Szenderovia, Szétsénium, Gyarmath, Palanka, Léva, quae quidem miles praesidiarius inhabitaret, sed insolutus, famelicus, lacer, qui ob locorum ruinam, stipendiorum defectum, munitionum inopiam, levem nacturus occasionem, instante praecipue hoste, ad deserendam stationem paratus esset. Vel essent civitates simplici muro cinctae, ut Bartfa, Eperjes, Lötse, vel castella alia ad voluptatem et inter montium rupiumque apices, alia ob latronum injurias, securitatis potius, quam defensionis causa erecta. Unica arx nova Archi-Episcopalis, utcunque militibus et stipendio fulgeret, sed et illa vicina Strigonio, tam periculosam Turcarum vicinitatem debilis admodum sustineret. Budam, Agriam, Strigonium, Kanisam, Szigethum, Szolnok, Gyulam, Temesvárum intra spatium LX. annorum fortiter licet dimicantes, proh dolor! amisissemus. Quid igitur faciendum? Turca perfidus non servabit pacem, et periculum est, ne aliquo quaesito colore vocatus, Transylvaniae provinciam, natura, alpibus, et rupibus munitam invadat et occupet, qua obtenta, non opus erit ex Asia longo itinere copias educere; educet ex Transylvania, et utraque Valachia LX. armatorum millia, sive vere primo, sive aestate, sive autumno, vel quandocunque voluerit. Quae certe praevenire, ne accidant, sapientis est, irritare autem inimicum, et potentissimo hosti occasionem belli praebere, stolidae est temeritatis. Non enim semper etiam justa bella suscipienda sunt, nec illi audiendi, qui proprium commodum, aut privati unius cupiditatem ex multorum damno et lacrymis augere volunt, aut unius dignitatem et ho-

norem multorum caede, provinciarum jactura, multorum millium sangvine defendere volunt, non considerantes illud: Omne bellum sumere initium facile, sed aegerrime desinere, cum bellum etiam ignavo cuivis incipere liceret, sed deponere, non, nisi cum victores vellent. Metiendae insuper essent hostium vires, apparatus, comparandae nostrae vires, vis fortunae, eventus belli communis, considerandi authores, et svasores belli, qui, et quales, animadvertendum. Regna etiam pacata belli tempore, direptionibus, rapinis, incendiis, et variis involvi incommodis, non facile thesauros ingentes, et milliones promittentibus credendum. Praeterea non omittendum, ducem belli aerarium exhaurire, unde egestas principis, unde aliorum rapacitas, quibus in regno nihil perniciosius, aut pestilentius, unde odia subditorum, et seditiones, veluti ex fonte uberrimo emergunt. Et prospera sibi omnes, adversa autem soli duci attribuerent, cum haec sit iniquissima belli conditio, ut omnes sibi prospera vindicent, adversa autem uni tantum imputentur. Quodsi Turca nobilitatem coepit primum infestare, Transylvaniam populatus est, fines longius extendit; et nostri castella quaedam Turcica violarunt, excursiones Agriam et Fillekum versus fecerunt, Beghos, et magnos aliquot viros interfecerunt, incredibilia spolia publica auctione vendiderunt, non tamen illico ad arma convolandum, aut foedus solemne rumpendum est. Sed per legationes, quibus nonnunquam hostium conatus eluduntur, omnia complananda, omnia prius tentanda, quam belluarum in morem ad arma confugiendum. Litterae ad Ottomannicum principem per Turcicum illum legatum dandae, legati Hungari destinandi, qui pro sua prudentia, omnia gravamina et violentias, contra pacem patratas, pro rei exigentia declarent, inque Porta Ottomannica exaggerent et explicent. Eodem

pacto de statu quoque Transylvaniae Commissarii Hungarici in certum aliquem locum expedirentur, qui restinctis quibusvis novi belli, vel intestinorum odiorum fomitibus, negotium omne cum Transylvanis ita componerent, ut tam hujus Regni, quam ipsius Provinciae salus permaneret. Non enim odiose exagitandum esset, quod illi a Turcarum clientela secedere nollent; quilibet enim intelligere posset, eos in faucibus Turcarum positos, per centum et amplius milliaria, a nobis, a quibus aliquo subsidio juvari possent, distare; qui si se Turcis hostes declararent, nonne, antequam juvarentur, praeventi ab hoste, omnibus provincialibus ad internecionem deletis Provinciam amitterent? Sed et Palatinus Regni Hungariae, caeterique proceres in civitate Tokaiensi, nova cum Transylvanis transactione anno Domini MDCXI. celebrata juramento se se obstrinxissent, confoederationem cum Transylvanis in perpetuum observaturos. Quamobrem sapientis esset Imperatoris, cum iis, qui ad devotionem veniunt, subditis, paterne et clementer agere, injuriarum hinc inde subortarum benigne oblivisci, legatos autem Transylvanicos clementer exauditos dimittere, et si quid cum plenipotentiariis Transylvanicis venturis concluserit, illud solemni ac Caesareo diplomate confirmare. Hoc erit stabile et firmum, hoc certissimam spem Transylvaniae in manibus conservandae pollicetur. Ita Sacratissima Caesarea Regiaque Majestas vestra de rebus Transylvanicis cum Transylvanis, et cum Christianis, non cum impiis aget, neque Sultanum pacificationis authorem, et litium ac contentionis diremptorem inter Christianos faciet. Nec ut foedus Turcarum cum Christianis initum temere disrumpatur, admittendo, dignam suo munere et Majestate rem inter Christianos faciet.

Quod clarissimorum et prudentissimorum virorum consilium, varie ab omnibus confoe-

deratorum regnorum et provinciarum delegatis, atque adeo ab ipso Caesare trutinatum, eo tandem deductum est, ut omnium animi ad pacem cum Turcis conservandam et stabiliendam propenderent. Decretumque illico est: Ut Caesari Turcarum commodissime responderetur: Ut pax inita, in eo, quo erecta fuisset sensu, ac intelligentia, in omnibus punctis et clausulis sincere continuaretur. Ut Transylvania in eo, quo antiquius fuit, statu conservaretur. Deinde per Christophorum Grapterum, Secretarium Imperialem, Caesar generali quodam responso se expediens, clementer promisit, se et tractationem illam cum Turca, ratione servandae pacis, et conclusionis initae, et transactionem cum Transylvanis suscipiendam in opus deducturum, nihilque intermissurum, quidquid suarum erit partium, ut tandem Regna et Provinciae dolum versutissimi hostis minus veritae, certiori et tranquilliori securitate perfruantur. Eodem enim tempore et a Porta Csauzius novus, cum Gaspare Gratiano, qui Galatae redemptionibus mancipiorum, tam Christianorum a Barbaris, quam Barbarorum a Christianis, ad immensas opes, et amplissima latifundia pervenerat, homine Italo, et se inprimis ducem Naxiae, deinde Vajvodam Moldaviae fingente supervenit, qui certis quibusdam articulis et capitulis enucleantes, foedus ex parte Caesaris Romanorum esse dissolutum, majorem animis consiliariorum omnium sollicitudinem injecerunt. Et a principe Gabriele novi subinde submissi pro repetitione confiniorum internuncii, tandem aliquando extorserunt, ut Galgótzium, communis locus, quo utrinque, cum certis plenipotentiis ad tractatum Transylvanicum, Commissarii convenirent, nominaretur.

Appendix ad Bojthinium.

De familia, charactere et gestis principis Gabrielis Bethlen, Epistola, quam scripsit Joannes Dajka, aulicus illustrissimi principis Transylvaniae Gabrielis Bethlenii quondam concionator doctissimus anno 1618. a)

Familia suae Celsitudinis ut est antiquissima, ita semper fuit illustrissima ac florentissima. Longum esset ab ipsis familiae hujus incunabulis omnia alte repetere, et integram pertexere genealogiam; ad atavos usque duntaxat ascendam. Gregorius Bethlen Mathia I. regnante, Banus fuit Szöréniensis, et ejusdem Comitatus comes. Quanta autem fuerit olim officii Banatus dignitas, et praeeminentia, liquet ex eo: quod sub Corona Hungarica sex fuerint primarii proceres, summa post Regem authoritate in Regno pollentes: Palatinus nimirum, Vajvoda Transylvaniae, Banus Nandor-Albensis, qui et primarius inter Banos, Banus Szöréniensis, qui et secundus, Banus Croatiae, Banus Sclavoniae. Ex horum igitur numero praefatus quoque Bethlen, et quidem non postremus. Eodem tempore, aut non multo post Dominicus Bethlen Vajvoda Transylvaniae exstitit, cujus donationes,

---

a) Epistola haec in plerisque Codd. Casp. Bojthinii de rebus gestis Gabrielis Bethlen libros III. complectentibus occurrit, et quaedam ab ipso Bojthinio memorari neglecta supplet. Itaque eandem Bojthinio mea cura impresso adjicere constitui. Nota Ed.

et missiles etiamnum in grammatophylacio, seu Capitulo Albensi exstant et leguntur. Hujus filius jugo matrimoniali copulavit sibi Pauli Kinisii, strenui Martis filii, sororem minorem natu, ex qua suscepit filium Gabrielem Bethlen, avum paternum illustrissimi principis nostri, qui cum Ludovico II. in illo luctuosissimo, et nunquam satis deplorato conflictu, quem in campo Moháts, citra consensum optimatum infeliciter admodum adversus Solymannum Turcarum Imperatorem, patriae et gentis nostrae primitivam pestem commisit, interfuit, imo sex millibus hastatorum equitum praefuit. Tandem post sua praeclara facinora, in aula serenissimi Joannis I. praefectus, et supremus aulicae militiae Capitaneus est constitutus, ubi in rebus angustis et afflictis, quanta fidelitatis et magnanimitatis ediderit specimina, adhuc in recenti hominum memoria est. Hic reliquit post se haeredem filium Wolfgangum Bethlen, nequaquam ab avita virtute degenerem, qui Gyulae Ferdinando Regi fidelitatem suam consecrans, tribunus militaris ordinis equestris est designatus, laudabiliterque singularem suam fortitudinem, ac summam in rebus bellicis dexteritatem, cum alias, tum maxime in illa ipsa arcis obsidione et expugnatione testatam reliquit, quippe qui a multitudine Turcica obsessus, viriliter pugnando septemdecim vulneribus saucius erupit, et evasit. Cujus rei fama ad Joannem II. perlata, in Transylvaniam accersitum, magno ad extremum usque vitae suae halitum habuit in pretio. Eo mortuo, Stephanus Báthori, successor Joannis, qui et Rex Poloniae, haud minore illum amplexus est favore: eam ob caussam in conflictu cum rebelli Gasparo Békes commisso primipilum constituit, dum regiam dignitatem assumpturus in Poloniam e Transylvania proficisceretur: cumque paulo post Dantiscum propter rebellionem obsideretur, summa cum laude aulicae militiae praefec-

tura est functus, nec est dubium, quin vivi adhuc testes in Polonia reperiantur, qui in expeditione Moschovitica, ac contra rebelles, singularem ejus virtutem ac praestantiam videre potuerint. Unde a Stephano Rege arce, bonisque praeclarissimis donatus, tam ab ipso, quam posteris ejusdem in magno semper habitus est honore. Reliquit hic post se liberos duos: Gabrielem Bethlen, modernum clementissimum principem nostrum; et Stephanum Bethlen fratrem hujus minorem natu, nunc in aula suae celsitudinis, pietatis vitaeque innocentiae exquisitissimum exemplar, aulicae vero militiae dignissimum aequissimumque Capitaneum. Uterque adhuc puer orbatus parente, venit sub tutoriam potestatem. Ubi autem illustrissimus princeps adolescere coepit, naturali quadam propensione aulicis bellicisque rebus intentus, mature aulam serenissimi principis Sigismundi Báthorei est ingressus, ac non multo post in numerum intimorum cubiculariorum est adscitus. Eo jam tempore ferox ac crudelissimus Mars, externis aeque atque intestinis motibus patriam hanc nostram afflictissimam miserrime vexabat, unde vix ephebis sua celsitudo excedere potuit, cum belli fortunam et aleam supra vires et aetatem tentare coacta est natura avitae paternae virtutis diligentissima aemulatrix. Interfuit expeditioni Transalpinensi contra Bassam Sinan, duplici item obsidioni arcis Tömösvár. Cum Stephanus Botskai piae memoriae, post obsidionem Váradiensem ad Rudolphum II. Romanorum Imperatorem a Sigismundo fuisset solemni legatione expeditus; sua quoque celsitudo eidem ab eodem fuit adjuncta, cum ut legationis fidelitatem observaret, tum ut ex Majestate et splendore Caesareae aulae sumeret experientiae suae non contemnendum incrementum. Tandem ubi Sigismundus, nescio quibus ductus rationibus, cum Caesare Romano pacisceretur de Regni sui per

ducatum aliquem Imperialem permutatione; ortis de Regno Transylvaniae ultro citroque controversiis ac contentionibus, quae non sine ferro dirimi et sopiri potuerunt, omnibus fere pugnis et conflictibus, certe cruentissimis interfuit, masculeque nunc pro hac, nunc pro illa parte, prout melior patriae status svadebat, dimicavit. Per multas clades, cum Georgius Basta subacta Transylvania immanem exerceret tyrannidem, patriaeque nostrae libertatem totis convellere viribus intenderet, et postmodum horrenda quoque institueretur religionis persecutio; mox Stephanus Botskai, strenuus religionis orthodoxae vindex exsurgit, a) cui sua quoque celsitudo, prima quoque occasione se adjunxit, patriaeque libertatis asserendae, ac persecutores insequendi egregiam navavit operam. Consideratis serenissimus Botskai, fidelibus suis servitiis, sex millibus equitum, Transalpinam pro suppetiis, ad instantiam Simonis Vajvodae missorum, Generalem praefecit. Quid multis? Semper et ubique, prout inter infinitos casus sors atque fortuna tulit, virtutis, et magnitudinis luculenta edidit specimina. Justa proelia, quibus interfuit, triginta quatuor numerare, nervorum incisiones, ossium fracturas, cicatrices hinc inde, quas potissimum a Turcis, Tartarisque accepit, ostendere potest. Ac multis ejusmodi exantlatis laboribus gradum atque dignitatem avi, parentisque, ut aulicae militiae Gabrielis Báthori principis Capitáneus fieret, adaequavit Sed ex aemulorum quorundam iniqua accusatione, principis in se commoti acerbitatem subolfaciens, coactus est, inopinata admodum fuga vitae suae consulere, in Imperiumque Turcicum (cum ob longinquitatem loci, ac pontificiorum odium in Hungariam concedere tutum non esset) se conferre, ut ex proxima vicini-

a) Haec pro statu scribentis, et genio seculi illius interpretanda sunt. Nota Ed.

tate, commodiori occasione, et innocentiam suam apud principem testatam facere, et excandescentiam ejus, si forte esset complacabilis, lenire, aut legitimam de se, si principi ita placeret, inquisitionem impetrare possit. Verum enimvero, cum iratus princeps justis quoque rationibus nec eo adduci, ut cum sua celsitudine secundum juris processum ageret, nec ullo modo ad misericordiam flecti potuisset, aliam coactus fuit inire rationem, recuperandi sua, nulla sua culpa confiscata. Paulo ante idem princeps, cum alios plerosque ex Regni Ordinibus, tum maxime Saxones, ac liberas eorum civitates adempto ipsis et depopulato Cibinio, sibi reddiderat infensissimos: omnem inceperunt movere lapidem, ut illatas sibi intolerabiles injurias quoquo modo ulciscantur. Proinde apud Christianos principes aeque ac apud Turcarum Imperatorem maximis quibusque eum querelis et accusationibus gravare, et exosum reddere non destiterunt, donec arma in illum undique concitarent, ut si armis Caesareanis ad restituendum Cibinium, publicamque libertatem adigi non posset, armis tandem Turcarum cogeretur. Quorum auxilium cum multis donis ac sollicitationibus in procinctu tenerent, publicae horum querelae ac causae, privata etiam suae celsitudinis injuria atque caussa accessit. Turcis ergo jam contra principem armatis, se se adjunxit, hoc potissimum proposito, ut inter principem et Turcas mediatorem ageret, negotiumque sine cruore, patriaeque periculo ita complanaret, ut et princeps salvus in suo principatu maneret, et Saxones exacerbati aliquatenus mitigarentur, interim sua quoque celsitudo in pristinum principis rediret favorem, bonaque sibi adempta recuperaret, ac patriae restitueretur. Dum in hoc totis sua celsitudo incumbit viribus, princeps non minus elatum, quam obstinatum gerens pectus, nihilo se praebet mitiorem. Interim suae

ne causae ac procerum Regni fidelitati diffisus, aut virium suarum imparitate territus, Regno concessit, quod regnicolae pro occasione suo principatui renuntiandi habuerunt, renunciaruntque solemni protestatione in frequenti Conventu Claudiopoli, eo, quod si non omnium, multorum certe animi actis ejus, factisque incurabiliter erant offensi. Novum ergo principem eligendi eo major ipsis incubuit necessitas, quod castra Turcica, et Tartarica Báthoreo adversa, proxime jam ad Thordam fuerunt posita. Dum jam suffragia mittenda sunt, illustrissimus princeps, qui et ipse ad Conventum ex castris fuerat a regnicolis accersitus, in medio procerum assistens, magna cum obtestatione, et longa verborum serie monet quosvis praesentes, ne patriae liberam electionem, per mille discrimina ad hoc usque tempus inviolabiliter observatam, et conservatam, hac vice prodant, atque prostituant, neque Serithmirum, neque Turcam principatum obtinendi gratia venisse, nec se, conscientia sua teste, illam unquam affectasse dignitatem, in hoc praesertim afflictissimo patriae nutantis statu, nec Turcam ullo modo offendi, quisquis tandem eligatur, modo sit aequitatis et pacis studiosus, se vero lubentissime Dominum suum agniturum, modo bona sua a Báthoreo nullo suo merito confiscata sibi restituantur, Turcam vero e vestigio Regno egressurum. His auditis, proceres, invocato nomine Dei, suffragia sua mittunt liberrime: diriguntur autem fato quodam, et divina dispositione ad suam celsitudinem. Proinde uno ore, et more antiquo proceres, Statuum Ordinumque Regni liberrimis suffragiis electum principem Transylvaniae proclamant, ac pronunciant, et sic in summam privatorum quorundam injuriam, invidiam, et aemulationem ad dignitatem principatus est evectus. Non igitur ab Ottomannico Imperio habuit suum principatum, sed ab ipso

Regno liberam habente electionem. Quod vero pacem cum Turca colimus, id nobis magna et inevitabilis imposuit necessitas, tunc primum, cum Ludovicus II. ad Mohács in conflictu cum Solymanno una cum proceribus occidit, Joannesque Zapolya, tum Vajvoda Transylvaniae, more majorum in campo Pestiano, ex consensu partis potioris in Regiam evectus dignitatem, et coronatus, a Caesare Ferdinando, ex instigatione factiosorum quorundam procerum transfugarum, bello funestissimo petitus, et afflictus, Turcarum auxilia implorare extrema adactus est necessitate, quo in ipso bellorum ardore vita functo, filius, et successores, in hoc, quod nunc nos manet jugum, missi sunt. Tentavit quidem aliquoties gens nostra, praesertim Transylvania jugum illud collo suo excutere, confisa Christiano orbi, maxime vero Romano Imperio; sed quam infeliciter, magno cum gemitu hodie quoque sentimus. A Romano Imperatore longi absumus, sumus vero in faucibus leonum, facile nos leones comminuunt et dilaniant, dum sacra sua Caesarea Majestas consultum nobis vellet; si Regna, Regiones, Reges, Principes, longissime a Turcis dissiti, magna etiam summa pacem sibi a Turca redimunt, quid mirum si nos multorum annorum bellis attriti, et penitus infirmati, idem facere cogamur? Eo tamen non sumus Turcae, quos in momento perditos, et e medio sublatos cuperemus, quicquid de nobis homines comminiscantur, illustrissimum nostrum principem pia et aequissima regnandi ratio certe luculenter testatur, vere Christianum esse. Bonus et Christianus princeps in duobus potissimum debet esse maxime occupatus: in promotione nimirum gloriae Dei, et augmentandis reipublicae commodis, paceque ac tranquillitate conservanda. Sua vero celsitudo, quamprimum principatus habenas sibi moderandas accepit, gloriae Dei, quam adversarii horrendum in modum proculcarant, pestilentissimis

que suis erroribus obtexerant, ivit consultum, non promovendo duntaxat bonae expectationis juvenes in Academias Germanicas, verum etiam doctissimos quoque viros ex Ungaria conquirendo. Quem pium zelum in vindicanda Dei gloria ad hoc usque tempus a sua celsitudine, absque ulla diminutione conservatum et observatum esse, vel ex eo liquet, quod continuos in vestra Academia habeat alumnos, magnis sumptibus promotos. In audiendis sacris concionibus sive sit in itinere, sive in expeditione bellica, sive curis maximis distentus, sive domi in quiete et otio, ita est diligentissima, ut nihil hac in parte in sua celsitudine desiderari animadverterim. Fundatissima quoque est in religione orthodoxa adeo, ut expedite quibusvis adversariis, quos non paucos etiam ex consiliariis ex instituto Regni, penes se habet, de quovis fidei articulo respondere possit. Et compertum jam habeo, nihil svavius, nihil gratius suae celsitudini esse, quam si quis doctissime de rebus Theologicis, sive ad mensam, sive alio quovis tempore disserat. etc. etc. Nihilo est in reipublicae quoque commodis remissior: initio principatus sui, quam confusa, miserabilis, et afflictissima conditio Transylvaniae fuerit, nemo non novit; internis simul, ac externis motibus adeo flagrabat, ut furorem, fervoremque tot gentium, ferro, igne, rapinis omnia vastantium, multi inexstingvibilem arbitrarentur; sed ea omnia, labore, industria, quanta fieri potuit indefessa non solum mitigavit, verum sua quemque in loca discedere coegit. Mox ferocientes, et multum tumultuantes subditorum animos, a se invicem non secus ac si naufragium fuissent passi, disjectos, et alienatos, multa lenitate, sapientia et prudentia sacro-sanctae unioni, justitiae, ac scriptarum legum disciplinae, jugoque salutaris obedientiae restituit.

Appendix

ad Stephani Taurini Stauromachiam.

Index alphabeticus

in eandem,

ab authore concinnatus et retenta ejusdem Orthographia reimpressus.

Index Abcdarius in quinque Stauroma chiae libros suis cum adnotationibus secundum inter se seriem Literarum redactus, pio Lectori non vsque quaque defuturus.

De Litera A.

Aaron penes hebreos summo sacerdotio dignus habitus est, cujus virgam floruisse, tam veteris quam novi instrumenti testimonio comprobatur, et in sancta sanctorum miraculi loco repositam fuisse, perlege Epistolam Divi Pauli ad he. cap. 5. 6. 7. et nono. Nobis hac voce uti contigit Epitheticos in R. Dominum, D. Thomam de Erdeud. Cardinalem Strigoniensem, Appostolice sedis de latere Legatum, lib. 1. Char. 2. ver 82.

Abrugibayna Transilvaniae dives auro Oppidum, in cuius circuitu montes sunt mira quadam foelicitatis abundantia usque adeo cumulati, ut solertis naturae Thesauros et Imperatoriae cujusdam majestatis nequaquam deficiens aerarium dici jure possit. Nam istic obrizum aurum patulis de montium verticibus frustulatim proci-ditur, subter quorum valles vitrei amnes decurrunt, plures eo loci Chrysolapides in opulentis ac crebris Chrysoplysiis id est auri lavacris inveniuntur. Abrugibayna autem Ro. olim Colonia fuit, quantum ex infrascripti Eulogii

conjectura assequi possumus in altari aediculae supra Oppidum nuper inventi.

D M
CASSIAE PEREGRINAE
INTEG. F. A. L.
VIX. AN. XXVII.
F. BISIUS SCENOB.
SARD. CONJUG.
B. M. P.

Agria Pannoniae inferioris Oppidum ab Agria fluvio non magno nomen sumpsit, et se et vallem amenissimam suo amne perluente. Is trahit ortum ex fontibus ad pedem Carpathii montis scaturientibus, de quo suo loco inferius, neque longe sub Agria Tibiscum influit. Quere lib. 3. Char. 18 ver. 98.

Alba Julia civitas Daciae, et in ejus meditullio sita ab Diva Julia Aug. matre Divi M. Aur. Antonini Pii Aug. Imper. cognominata. Argumento nobis est Epitaph. vetustiss. in marmore exculptum, et a pientiss. optimoque Presule Lad. Gereb, olim fe. me. Episcopo Transilvaniensi divi Michaelis Archangeli foribus intersertum. Ejus verba nobis non abs re placitum erat hiis adnotationibus adscribere.

I. O. M ET IUNONI REGIN.
PRO SAL. IMP. M. AUR. ANTONINI
PII AVG. ET JULIAE AUG. MATRIS AUG.
M. ULP. MUCIANUS MIL. LEG. XIII.
GEM. HOROLOGIAR. TEMPLUM
A SOLO DE SUO EX VOTO
FECIT. FALCONE ET
CLARO COSS.

Est et Alba Pompeja, Item Alba Hispaniae, Galliae, ac Alba longa Oppidum, fluvius quoque. Vide Plin. lib. 3.

Albis clarissimus Boemiae fluvius, quam, ab | Austro fluens in arcton fere mediam dividit. Auth. Strab. lib. 1. Plin. lib. 4. cap. 14. et lib. 9. cap. 3. pluribus agit Luca. quo-

quoque, fundat ab extremo flavos aquilone Suevos Albis etc. Nos libro. 3. Char. 20 versu 73. Strab. lib. 7. scriptis mandavit, Romanos Albin Ipsum non transcendisse, qui duo in spatia Germaniam dividit.

Alemani Galliae populi habitantes juxta lacum Lemanum Gebenne monti vicinum influentem in Rhodanum. Vide Plin. lib. 3. cap. 4. et lib. 6. cap. 10. Idem de monte Gebenna lib. 4. cap. 17. Est autem Gebenna mons Galliam mediam fere disterminans Pomp. Mel. lib. 2. cap. de Gallia, Gallia Lemano inquit lacu et Gebennicis montibus in duo latera divisa. Alber. tamen magnus Lemanum lacum Germanorum esse tradidit, vulgi opinionem secutus, quare ex communi usu loquendo Alemannos Theutones apelltamus. Sed et Claud. autor recentior idem sentit, hec Alemannorum spoliis australibus, illa ditior exuviis, hinc Alemannia provincia Alemannorum. Idem. Imploratque tuum supplex Alemannia nomen, hunc nos secuti sumus lib. ult. Char. 31. ver. 6.

Attila primus Hunnorum Dux e Schythia veniens Pannoniam imprimis, deinde Italiam, Galliam, Germaniamque, igni tamen absistens, Marte subjecit, et diripuit, subversa funditus Aquileja nobilissima quondam Romanorum Colonia et a Ro. teste Strabone lib. 5. condita incumbentibus imposita Barbaris, quam Timanus fluvius alluit. Mar. et tu Laedeo foelix Aquileja Timauo, de victoriosissimis Attilae gestis, Paul. Diaco. in cap. lib. XV. Romanorum gestorum plurima, et notatu digna commemorat, nos partem magnam ex eo mutuati sumus, lib. 4. Char. 22. ver. 32. Sed et Nicomachus Istieus graecarum historiarum scriptor Attilam cruentatis oculis, paruo pectore, sed quem totus mundus timuerit, Heroa fuisse describit, verum haec grece melius. Attilus padi fluvii piscis esse fertur, cujus Plin. lib. 9. cap. 16. meminit.

De litera B.

Barlabassiorum familia Nobilis et antiquae stirpis, hac tempestate Transylvanis notior, quam ut origo ejus ab ovo gemino ordiatur. Legito lib. ult. Char. 34. ver. 76.

Bathoream progeniem Baronum Atavo sangvine, multisque heroicis olim gestis insignem fuisse et esse, Pannoniorum Chronica testantur, adde lib. 2. Char. 14. ver. 28.

Byzantium Thraciae, seu ut juniores in monumenta redigerunt, Misiae inferioris urbs clariss. quondam a Spartanorum Rege Pausania condita, Plin. lib. 4. cap. 11. Strab. lib. 12. A leva inquit jacent ea, quae Byzantio sunt contigua et a Thracibus habitata. Pomp. Mela lib. 1. in Bosphoro ait Byzantium. Hinc Byzantinus a. um. Nos lib. 1. Char. 2. ver. 82. Istinc Byzantiacus et Byzantius a. um. Claud. Byzantia robur fregit luxuries. Tandem a Constantino Constantini Imperatoris ex Helena filio adaucta et Imperii gloria donata, Constantinopolis ex Byzantio dicta fuit, sepulto ibidem Constantino ejus instauratore. Justinianus Imperator inter Constan. ipsi Domino, qui est sapientia dei patris, templum construxit, quod grece Agiam Sophiam id est sanctam sapientiam nominavit, cujus opus adeo cuncta aedificia excelluit, ut in totis terrarum spatiis huic simile non potuerit inveniri. Sed exigentibus forsan sceleribus Byzantinorum, Anno M. D. XII. moles illa vere Caesarea terrae motu funditus corruit. Haec eam ob rem ceu parerga adscripsimus, quo communis vulgi erroneam opinionem detegeremus saltim, si eam abrogare non datur. Neque solum plebs literarum ignara aberrat, sed etiam illi qui se veritatis professores esse gloriantur, tanquam caeci caecorum Duces hujusmodi nenias in literas referre non verentur, asseverantes templum illud sanctae Sophiae mulierculae cuidam dicatum fuisse, cum tamen Paul Diaco. cer-

tissimus author in vita Justiniani christianiss. Imp. lib. duodevigesimo Aedem illam dei filio, qui a summis Theologis Dei patris sapientia apellatur, et construi et coguominari jusserit. Apud grecos Byzantion per ypsilon scribitur, Latinis utrumque usurpatum invenimus. Lege Eutrop. in Constant. vita.

Boemi sive ut Tacitus loquitur Bojemi a Bois dicti Nemorales Germaniae populi, utputa qui Sylva Hercynia tanquam muro cinguntur. Est n. Boemia Cor. Germaniae et meditullium, perlege Aeneae sil. pii secundi Pont, Max. Cosmograph. ubi pluribus. Nos libro 1. Char. 4. Ver. 29.

Boi antiquissimi Germaniae populi inter Videlicos Noricos, Bojemos et Rauracos siti, Plin. lib. 4. cap. 18 Eutrop. de Catiline conju- Expugnavit namque Rauracos et Bojos ex quibus 47. mil. perempta sunt, cetera effugerunt, nostra aetas Bojos Bavaros apellat, videntur autem nomen sumpsisse Boi a Boja vinculum pedum seu nervum significante, huc alludens Plaut. inquit BojusBojamterit. Nos lib. 3 Char. 20. ver. 72.

Bornemyssa ut verbum verbo reddam cognomentum est Pannonico sermone abstemium significans, hiis enim Bor. vinum, nem non, yssa bibit dicitur, adde lib. 4. Char. 24. ver. 36. Est autem Joannes Bornemissa Baronum stirpe satus cui nihil antiquius quam comissum sibiRegem Regis filium, sereniss. Principem et Dominum, Dominum Ludovicum Ung. Boemiae etc. Monarcham bonis instituere virtutibus, ac ab illius conspectu ne per transversum quidem unguem discedere debeat.

Buda Metropolis Pannoniae inferioris sede Regia et externarum mercium Emporio insignis. Hanc lib. 1. Char. 4. ver. 81. descripsimus.

De Litera C.

Cetius mons ubi et qualis sit consule dictionem Noricum infra suo loco.

Chrysa mas. generis fluvius ex Dacicis Jugis Pannoniam contingentibus effluit, qui ex re nomen sumpsit, quod auro habundet Grecis Chryson appellato vide Strab. lib. 13. circa medium. Ab accolis Chreysch dicitur, habundat nobiliss. piscibus, fudulis, Salaribus, seu ut vulgus loquitur Trutis, Cephalis, Sturionibusque. Est et ejus nominis Insula ad Tamum promontorium quod Taurus Indiae mons attollit aurei soli, Pomp. et Plin. lib. 4. cap. 12. testimonio. Est insuper Chrysa Oppidum phrygie secundum alios Trojade, prope lemnum Apollini sacratum, Ovid. lib. 10. Metha. Me Thenedon Chrysenque, et Cylan Appollinis urbes. Et item fluvius agri Syracusani. Nos lib. ult. Char. 35. ver. 44.

Colosbarium civitas Transylvaniensis murorum ambitu forinsecus quam aedificiorum intrinsecus exstructorum pulchrior. Eam Saxones mixti Pannonibus incolunt. Judicem Juratosque Cives Alternis vicibus, quotannis seligunt, hii Ungarum, illi Saxonem, suos quique senatores salutant. Nos lib. ult. Char. 35, ver. 20. Ad portam Pontinam civitatis ejusdem visitur hoc Epigramma.

I. O. M.
TRAJANO PRO SALV. IMP. ANTONINI
ET. M. AURELII CAES. MILITES.
CONSISTENTES MUNICIPIO
POSUERUNT.

De litera D.

Datia olim, modo Transylvania, quondam bellipotens Regio plagae orientali exposita, et Marte multi nominis fuit, cui Decebalus Rex tam Armis quam pecunia belli nervo strenue prefuit, Eutropius libro. 9. in Aurelia. vita. Provinciam, inquit, Daciam quam Trajanus ultra Danubium fecerat intermisit, apellavitque eam Daciam, quae nunc duas Moesias dividit, et est in dextra danubio in mare fluenti, cum antea fuerit in leva. Decebalus itaque ejus Regionis Mo

narcha, cum Ulpio Trajano Ro. Caesare conflixit ingenti hostis edita cede. Nam ubi ligamenta Romanorum militum vulneribus deessent, Trajanus propriae vesti non pepercisse fertur, quam in lacinias concissam servitiis partitus est militibus suis. Deinde jugum ex jugo captans ad Dacorum Regiam evasit, perculsus Decebalus ad Trajanum deductus impetrata prius ab illo venia, eundem humi procumbens supliciter adoravit, hiis confectis Trajanus in Italiam rediit, Romam ingreditur, et ex eo Dacicus appellari cepit. Interea denunciatur Decebalum preter conventiones et foedera multa ad rebellionem spectancia parare et facere, ob hec iterum hostis a senatu judicatus fuit, Bellumque Trajanus suscepit. Plin. de Dacorum expulsione meminit lib. 4. cap. 12. Construxit pontem in Istro lapideum opus sane mirandum et maxime memorabile, cui caetera illius opera vix adequare possent, 20. stabant ex quadrato lapide pilae, quarum altitudo, 150. pedum praeter fundamenta habebatur, latitudo 60. pedes continebat, distabant inter se 180 pedibus, fornicibus vero conjungebantur. Ejus Pontis Epigrammataria inscriptio talis erat.

PROVIDENCIA AUG.
VERE PONTIFICIS, VIRTUS ROMANA
QUID NON DOMET, SUB JUGUM ECCE
RAPITUR ET DANVVIUS.

Hunc pontem nos lib. 4. Char. 23. Ver. 96. depinximus. Caeterum Adrianus Imp. Trajani successor veritus, ne pulso Ro. praesidio, aut opressis legionibus ferae et indomitae gentes facto adito ea loca invaderent, quae cis Danubium sunt, structuras et fornices quantae super aquam eminebant demoliri jussit. At Decebalus cum capta (ut praefati sumus) Regia, vicina omnis Regio in potestatem Ro. po. venisset, usque ad captivitatem periclitatus mortem sibi conscivit. Trajanus Daciam in provinciam re-

degit, ea tota altiss. Alpium jugis cincta est, unde Mar. in fusci Caes. domit. Castrorum Ducis Epitha. Grande jugum Domita Dacus cervice recepit. Stac. papi, in Equum Max. Domitia. Caes. Attoniti vidit domus ardua Daci. Hinc Dacicus ca. cum, ut Dacica juga, Dacica Arma. Claud. in paneg. sexti, consul. Honor. Dacica bellipotens quum fregerit Ulpius Arma. Nos lib. 4. Char. 22. ver. 18. Juve. Lance beata Dacus. Dives auri, Argenti, Agri, Vinetorum pecoris, Salifodinis, ex quibus Ungariae Regi pecuniosum quotannis vectigal penditur. In summa nihil non habet minus, quam policiam et aeris t mperiem.

Dantiscum Pruthenorum Metropolis vide vocem Rutheni suo loco positam.

Danubius ut veterum Chronicorum Cosmographorumque discrepantes opiniones devitem, Neotericos imitabundus, flumen ex Rhethicis montibus non longe ab Rheni, Rhodanique fontibus oritur. Cunctos Europae fluvios magnitudine superans Strabonis lib. 7 testimonio, Rhenus in Cymbricum mare duobus ostiis influit. Danubium quinque vadis pontus excipit. Author est Ephorus citante illum Strabo. Claudi. quoque sui temporis poeta ut doctiss. ita diligentissimus in Victor. Stilic. sic cecinit: Prominet Hercynie confinis Rhetia silvae. Quae se Danubii jactat Rhenique parentem. Et paulo post: Te Cymbrica Thetis Divisum bifido consumit Rhene meatu, Thracia quinque vadis Istrum vorat Amphytrite. Hunc nos secuti diximus lib. 1. Char. 3. ver. 11 Pomp. autem Mel. Plin. lib. 4. cap. 12. Strab. lib. 7. totidem hostiis inmergi pelago, quot Nilum suis e fontibus effluere, describunt. Nos similiter lib. 4. Char. 27. ver. 16. Salustius in monte Sarbone hunc oriri, et per innumeras gentes Danubium vocari scribit, ubi Illyricum attigerit, Istrum 60. amnibus acceptis in Mare involui. Ausonius *Illyricis*

regnator aquis tibi Nile secundus Danubius laetum profero fonte caput. Nos in hunc modum lib. 2. Char. 11. ver. 13.

Decebalus Dacorum Rex longe potentissimus a Trajano Caes. devictus vide latius in dictione Dacia. Nos ob majorem fidem verbis nostris adhibendam Epitaphium Ulpiani Nerve Trajani superioribus Annis in Colonia Sarmiz. ex terrae visceribus erutum adscribere voluimus, id est ejusmodi.

JOVI STATORI
HERCULI VICTORI M. ULP. NERVA
TRAIANUS CAESAR VICTO DECEBALO
DOMITA DACIA VOTUM SOLVIT.
ASPICE ROMULE PATER GAUDETE QVIRITES
VESTRA ISTA EST GLORIA.

Sed et aliud non minus elegans quam disertum Epitaphium antiquitatis majestatem prae se ferens in hunc modum subtexam loco superius designato pariter inventum.

FORTUNAE AUG. OMNIPOTENT.
UBI ERAS RHAMNUSIA. UBI ERAS.
QVANTUM ABFUIT
NE ROMA LUGERET, SED VIVIT THALAMUS
VE TIBI DECEBALE
MILSS. LEG. VI. ET XIII. G. DEVOT. CAPITIBVS.

Caetera ejus Albi suo loco adjiciemus candido lectori plurimum placitura.

De litera G.

Germania duplex superior et inferior quae nunc Bassa dicitur utraque Magnis scriptorum laudibus celebrata Haec teste Plin. lib. 4. cap. 14. Rheni ripis usque ad Alpes occidentem versus, a meridie ipsis Alpibus, illa ab oriente Sarmaticorum confino gentium, qua septentionem spectat Oceanico littore obducta est. A germania Cimbros, immensam illam ferorum populorum more procellae inundasse Italiam Justi. scribit.

Hanc tocius Europae primas olim tenuisse in re bellica Plin. author est. Sed et Pomp. Mel. lib. 3. Strabo idem lib. 4. plura. Tacitus quoque et neoterici Geographi id ipsum attestantur. Audi Claud. Poe. in vict. Stilic. contra Alaric. ulla ne posteritas credet, Germania quondam illa ferox populis quae vix instantibus olim Principibus tota poterit cum mole teneri. Sed proh nefas, subiit cum miseratione indignatio, quod Germanicus ille decor herculeumque robur ambitu, Luxurie, Ganeis, Bacho, continuis varisque simultatibus ac Domesticis Principum factionibus ne dum extinctus sed oppressus videatur. Quam rem tum commiseratione um objurgatione dignissimam. R. *Illustrissimique* Principis et Domini D. Matth. langi Cardinalis etc. per Germaniam Legati ab epistolis, meus inquam Richardus Bartholinus perpetuum suae gentis decus, utpote vir non solum omni quos nostra tempestate Latium genuit eruditissimus, verum etiam facundissimus tam lepide quam frugi deflevit publica contione, quam ipse nuper in gloriosiss. Comiciis proximi Anni mense Augusto Augustae vindelicorum celebratis pro pientissimo Caesare Maximili. coram innumero Principum Germanorum Coetu perorabat. Eam simul et Comitiorum eorundem Syntagma Aeneis exosa (excusa) prelis mihi vidisse contigit. Porro, quidjuvat inventum perituras spargere voces. Narratur surdis fabula littoribus.

De litera H.

Hercynia silva Germania omnium celebratissima, haec Boemiam nostram sepis instar totam undique circuit. De miris silvae hujus avibus lege Plin. lib. 10. cap. 47. Strabonem quoque lib. 7. mira referentem consulito. Eius Accolae quondam Bructeri vocabantur. Clau. de quarto honor. Cons. venit Accola silvae Bructerus Hercyniae. Nos lib. 5. Char. 36. ver. 82. Boemiam autem Cheruci olim habitabant, ejusdem Clau. te-

stimonio ubi supra dicentis: Et ingentes Albim liquere Cheruci, quamquam et aliae gentes utrasque Albis ripas teneant extra Hercyniam silvam. Legito Aene. Silvi Germanicam Cosmographiam.

Hunni Scythiae populi qui olim super Moeotide palude habitarunt, deinde mutatis sedibus ingenti multitudine Attilam ducem suum sequuti Pannoniam petierunt. Erat Attilae frater Bleda nomine, cui Dacia in Regni sortem cesserat a se occupata. Ambo itaque fratres conspirati Macedoniam, Mysiam et Achajam utrasque etiam Thratias immanissima rabie pariter devastabant. Attila Bledam suum Germanum regnique consortem peremit, ejusque sibi parere populos compulit. Haec Paul. Diac. in lib. 15. Ro. gest. exordio et alia complura disseruit. Divus Hier. plerisque in locis rem christianam deflet Hunnorum cedibus labefactam. De quibus ita inter caetera: Ab ultima inquit Maeotide inter glacialem Tanaim, et Massegetarum immanes populos, ubi Caucas rupibus feras gentes Alexandri claustra cohibent, erupisse Hunnorum examina, quae pernicibus equis huc illucque volitantia cedis pariter ac terroris imaginibus cuncta complerunt. Claud. ad Ruffi. lib. 1. Hunnorum laturus opem quos affore bello Norat et invisis mox se conjungere castris. Est gens extremos Scythiae vergentis in ortus, Trans gelidum Tanaim quo non deformius ullum. Caetera ex eodem collige loco, ubi et mores ritusque Hunnorum belle admodum notavit. Nos lib. 3. Char. 20. ver. 10. Ab his Ungaria, cujus moderni incole Hungari cognomentum accepere, a quibus Hungaricus ca. cum. vel Ungarus. a. um Vide lib. 1. Char. 1. ver. 1. et lib. ult. Char. 37. ver. 48.

Hussite Boemiae et nativae Moraviae nostrae populi scismatici ab Joanne Hus cognominati, quod ejus erroneum dogma contumaciter

profiteantur. Erat ille obscuro vir quidem loco, et perquam humilibus natalibus editus, verum tam vafro quam arguto pectore. Plura Pius 2-dus, in Europa sua. Item Poggius ille florentinus mira, vide lib. 3. Char. 20. ver. 78.

De litera M.

Marisius seu Marisus pe. cor. Daciae vel si tu mavis Transylvaniae Aurifer fluvius ex Alpibus Transylvaniam Moldaviam contingentibus profluens, is in primis per Siculorum agros labitur, deinde mediam fere Daciam navigabilis perluit et in Tissiam influit ad oppidum Mico Strabo lib. 7. per ipsius os autem Marisus fluvius Danubium influit, per quem Ro. milites vasa illis necessaria bellis devehere solebant; Idem ibidem. Daciam Regionem Marisius amnis disterminat, in praesentiarum super eo Sales Regii provehuntur ad Ungariam. Jo. Panno. in epigram. de Inundatione. Jam Savus et Marisus, jam Dravus et ipse Tibiscus. Nos lib. 4. Char. 23. ver. 80.

Moenis hujus menis Germaniae fluvius in Rhenum influens. Hunc vulgus Magonum seu Majum vocat. Tacitus de situ Germaniae inter Hercyniam inquit silvam Rhenumque et Moenim amnes, habitant Helvetii. Plin. lib. 9. cap. 15. Moenum vocat secundi ordinis. Nam ait: in Moeno Germaniae amne Silurus crassatur. Nos lib. Char. 22. ver. 34.

Moesia duplex. Inferior Pannoniae jungitur ad Pontum usque cum Danubio decurrens, hanc moderni Valachiam appellant. Sveto. in Tyber. Moesiam a Dacis vastari neglexit. Superior modo Moldavia appellatur. Dacia utramque dividit vide superius loco suo. Spart. in Adri. post hoc in inferiorem Moesiam translatus etc. Pomp. tamen Mela. Ptolome. Et antiquiores illi Mysiam dixere, Plin. similiter Mysiam regionem lib. 5. cap. 30. et Strabo lib. 12. depingit. Moesie autem lib. 5. cap. 26. meminit, et lib. 8.

cap. 58. Moesiam Italiae silvam esse scriptum prodidit Plin. Hinc Moesi et Mysi populi Claud. Provincia Mysos expellet citius. Nos modernorum more lib. 4. Char. 26. ver. 7. cum sequentibus.

Morava pe. cor. fluvius Moraviam nostram patriam fere mediam disterminans, oritur in montibus, qui Moraviam a Silesia dividunt, non longe a fontibus Nissae fluvii Nissam civitatem Episcopalem a se denominatam irrigantis, hinc supra Uratislaviam Silesiae metropolim praeceps oderam petit, ille infra Hainburgum Pannoniae superioris Oppidum a Danubio devoratur. Leg. lib. 3. Char. 20. ver. 75.

Moschi ut Mela ad finem lib. 2. scribit Scythiae gentes Tauricis Amazonicisque collimitaneae, neque procul a Ripheis montibus habitantes, vastis et obesis corporibus. Id nobis compertum fecit Sereniss. Potentiss. que Princeps et Dominus Dominus Sigismundus Poloniae etc. Rex, suorum regnorum vere Augustus, utpote qui nec indomitarum modo ante se, verum nostris seculis ignotarum quoque gentium victor quantam hostium cedem patraverit, capta Moschorum manus, et ad omnes Orbis partes triumphi parti signo transmissa tanti Principis gesta Herculea declararunt. Nos lib. 4. Char. 22. ver. 37. Adde Plin. lib. 6. cap. 10. de Moschorum tractu tractantem.

De litera N.

Noricum pe. cor. Germaniae superioris provintia, quam Tacitus a Rhetia Rheno fluvio sejungi memoriae (nescio an bene) prodidit. Scio nostra tempestate eos Noricos dici, quos Aenus fluvius a Vindelicis separat. Hiis Danubius ad Septentrionem, ab Solis exortu mons Cecius, qui ad secundum lapidem supra Viennam Pannoniae superioris erigitur, a meridie Taurus et Curnauca montes obtenduntur, adde Plin. lib. 3. cap. 24. Habundat haec provintia ferro et ele-

etissimo quidem, cujus Plin. lib. 34. cap. 14. meminit Hinc Noricus. ca. cum. Ovid. Durior et ferro quod Noricus excoquit ignis. Nos lib. 3. Char. 15. ver. 12. Sed et Ptole. lib. 2. hunc pene situm Noricis praescripsit, a quibus Norimbergam ad Francones civitatem Imperii dictam putatMarlianus vir sui temporis sine controversia non ineruditus. Id ex Indice quem fecit in Caesaris Comentarios liquido constat.

De litera O.

Odera fluvius, Germaniae terminus. Nam ad ripam ejus dextram Poloni, ad sinistram Silesite accolunt. Hic circa fines Moravorum nostrorum oritur, Vratislaviam, Glogoviam, ac Francfordiam celebres Urbes alluit.

Olomuntium Moravorum nostrorum metropolis. Quae si unis Scismaticorum insidiis simul et popularibus factionibus vacaret, non facile dixerim, foelitior ne, an Beatior esset? Nam si Religionis pietatem spectes; ausim venerabilem urbis ejus Clerum habitus honestate, morum comitate, hospitalitate, et non ficta vitae sanctimonia, multis Claustrinis monachis anteferre. Patricii denique et Municipes Olomuntiani tum ad Benignitatem, tum ad humanitatem oeconomicam propensissimi sunt. Nullis gravibus obnoxii viciis tantum ad voluptatem praecipue conviviorum proclives, usque adeo, ut ad publicas etiam vinarias tabernas ex more, quem apud eos longa perversi usus consvetudo approbavit, ceu senatorium in pretorium frequentissime concedant. In Autemate illo horario, quod miris quibusdam signis semet volventibus adfabre elaboratum est, ab mercatoribus extrariis, quibus pleraque pars orbis peragrata est, palma tribuitur uni Olomuntio. Quod numeroso Eruditorum caetu non paucis Germaniae civitatibus antestat. Porro ut Egregie literatos viros Martinum Sinapinum, Bernardinum Archigramateum, philosophiae Magistros Ludi

literarii Olomucensis quondam Monarchas, tunc praeceptores meos immaturo fato sublatos praeteream; Quis ignorat Augustinum Moravum serenis. Principis Vladislai Vngariae et Boemiae Regis olim vice Cancellarium, majorem et patronum meum singularissimum, antiquis illis Authoribus merito conferri potuisse. Is nempe soluta oratione et ex tempore meros loquebatur Cicerones, cujus schemata pedestria Vergilium Catullumque subolebant. Quid in literis de Reverendo Domino Martino Iglaviensi, suffraganeo causarum auditore ac in spiritualibus generali officiali, Affine nostro. Quid de Clariss. Jurium professis Venceslao de Wilharticz mei tam amantissimo quam observantissimo Ecclesiae nostrae Olomucensis Diali. Quid de Mag. Joanne Suola, de Jano Dubravio Archidyacono Olomucensi. De Joanne Saubekyo. De Jo. Clementiano, Hadriano de Wilharticz. De Andrea pisciculo. De Georgio letavallino Coetaneis Symmystisque meis, quid de Georgio Ranatino V. I. Licenciato Syndico atque librario Senatus Olomucensis, quid insuper de natu minoribus innumeris aliis Olomucensibus optime indolis adolescentibus, qui Italicis Gymnasiis bonarum literarum studia navant, quorum nomenclatio longam Plauti Comediam superaret, judicemus? Nam ingenium non esse negatum illis, ex lepidissimi viri Clementiani Jurium Doctoris Ausoniae reditu, denique ex aliis praesentaneis complurimis argumentis compertum habemus, quamquam mihi sane mediocre satis contigerit, ne dicam exiguum; ut et caetere a pleraque. Verum tamen sorte mea oppido contentus sum, quod (ut inquit ille) semper inops quicunque cupit. Sed hui quam longe ab instituto compendio distracti sumus, dum dulcis patriae memoramur. At nemo nobis id vitio verterit, quem Ciceronis illud non fugit: pro patria armis etiam, non verbis modo depugnandum esse.

De litera P.

Pannonia Romanis, Grecis Peonia, Modernis Ungaria Europae Regio Orientalis, hanc Plin. lib. 3. Cap. 23. descripsit. Ptolem. in superiorem et inferiorem partitus est. Superior ad montem Cecium olim protendebatur, jam Austriae nomen concessit. Inferior ad Moesiam decurrit. Haec a meridie Savo Dravo ac Jaurino fluminibus irrigatur, Occidens maximum Istrum mittit, Arctos Moravam, vaham,, Nitriam, Tibiscum, Dacia nostra Marisum Chrysam, Zamosum. Haec omnia flumina Danubius devorat, anteaquam Moesie inferioris oram contingat. Pannoniam olim Hunni modo Vngari habitant. Illi ultra Romanos quibus ingens orbis paruit, Totam etiam Europam belli formidine concusserunt, tanquam essent Marte insuperabiles, pellege Stauromachiae nostrae lib. 4. principium, ubi pluribus exemplis usi sumus. Isti vix umbram majoris referunt, utpote qui nedum limites suos non propagant, verum etiam magnam Jazygum agri partem (ut interim de Illyrio ac Savonis taceam) a Thurcis occupari permiserint. Speramus spem bonam, ut Sereniss. Princeps et Dominus, Dominus Lodo. Ung. ac Boemiae Rex, Sanguinarios illos Thurcas prope diem a finibus Pannonicis ejiciet, ejectos fundet, fusos et vita et usurpatis Collimitaneis Pannoniae provinciis destituet, restituet Pannoniae suae amissum jamdudum nomen, cui acclamabitur, vive Lodovice! vive Princeps! vive Auguste Augusto foelitior, melior Trajano, Tito amabilior! Panno pannonis. Et pannonus a. um. Item Pannonicus et Pannonius. Claud. Hinc obsidione solutus Pannoniae. Nos lib. 1. Char. 4. ver. 77.

Pestum Agri campani Oppidum graecis possidonia dicitur. Ejus loci territorium ob coeli clementiam continue vernans a Virgilio Biferum dicitur, quia quotannis bis fructus germinaret.

Rosis habundat et quidem fragrantissimis. Ovid, in Art. Caltaque pestanas vincat odore rosas. Idem lib. 15. tepidique rosaria pesti. Hinc pestanus sinus, de quo Pom. Mel. lib. 2. de Italia loquens. Denique Pestum Regale oppidum est, Pannoniae inferioris e regione Regiae Budensis ad ripam Danubii situm notius quam ut iterum describi debeat, non usque quaque a nobis silentio praeteritum lib. 4. Char. 23. ver. 23.

Polonia Europe Regio, quae Odera et Visula seu Istula fluminibus clauditur. Non nulli nomen Poloniae adscitum putant, quod poloni Polae campum vocant sermone patrio. Hanc veteres Sarmatiam dixere, vide loco suo. Nos lib. 3. Char. 20. ver. 62.

Praga Boemorum Metropolis olim patriarchali sede insignis, modo continuum ob schisma Acephalis ab Carolo 4 sui nominis Ro. Imperato. tam variis operibus adaucta excultaque fuit, ut hodie in aedificiorum magnificentia vel cum superba Lygurum Genua, vel cum venusta Parthenope merito certare possit. Pragam ab Jove digna Regia in monte tam natura quam opere arteque munito fundata; Albis ingens fluvius separat, quem pons Thesseratis ex lapidibus sumptuosissime extructus claudit, duae utrinque turres sunt, altera ex urbe in Arcem municipum aditui obstat, altera Aulicorum in oppidanos insultum prohibet, utraque suos vigiles habet. Sed illud mirari convenit, quanam ratione, et quibus viribus, quo denique artificio in illa gurgitum altitudine tanquam rapidissimo fluvio undeviginti columnae extrui valuerint, tantarum molum fundamenta harenoso in alveo stabiliri, praesertim cum amnis alio averti non potuerit. Verum nihil est (ut ille docuit) quod non arte atque ingenio vinci possit. Vide caetera ex Boemia Pii. 2. colligito. Nos lib. 3. Char. 20. ver. 72.

De litera Q.

Quinque ecclesiae numero plurativo ultradanubina Inferioris Pannoniae Episcopalis Civitas, Joannis Pannonii viri undecunque doctissimi natalibus et munere pontificio clara. Alluitur Dravo flumine, qui ad tertium infra urbis Moenia lapidem Danubio miscendus permutat nomen et undas. Jo. Panno. qui supra in *Panegyri* ad Guarinum. Qua mox Danubio mixturus nomen et undas, Pinguia culta secat levi jam gurgite Dravus. Nos lib. 1. Char. 5. ver. 64.

De littera S.

Sapolia Comitatus perpetuus ad radices montium Carpatiorum situatus, in eo sunt Scepusium, Leuconia non ignobilia *Oppida*. Sapoliae vero perpetui comitatus rerum ac *tit.* potitur spectabilis ac Mag. Dominus Jo. wayvoda Transylvanus suo cum fratre Germano nobilissimo pariterque spectabili Juvene comite Georgio Trenziniensi. Perge ad lib. ult. Char. 31. ver. 97.

Savus fluvius ex Tergestinis carnicis montibus prorumpens, qui in primis labaco Carnorum et Berbaso Bozna ac Driva tribus navigabilibus fluminibus, quos Dalmaciae lucosi montes effundunt, devoratis in danubium sese praecipitem dat, ubi et Istri nomen assumit Danubius. Clau. pannonius potorque Savi. *Jo.* Panno. in Epigram. cui tit. fecit de inundatione, jam Savus et Marisus jam Dravus et ipse Tibiscus. Plin. libro. 3. cap. 4. plura. Nos lib. 1. Char. 4. ver. 75.

Saxones pe. cor. populi Germaniae olim Marte potentissimi, id trium Othonum Ro. Caesarum gente Saxonica ortorum praeclara illa facinora liquido testantur. Horum gesta. Jo Baptista Egnatius vir nostro saeculo apprime eruditus lib. 3. Ro. principum non minus eleganter quam diserte prosecutus est. Saxonia itaque Regio est septentrionalis teste Ptole. non lon-

longe a Chersonaeso Cimbrica distans, quam moderni Daciam vocant, et littora Germanici Maris aquilonem versus Saxoniae objiciuntur, ad occidentem Misnenses ac Turingi habitant. Quamquam olim ad Rhenum usque protensos agros occupassent, ab Oriente Odera fluvius Saxoniae terminum ponit, ad Meridiem Hercynia silva ac Silesia superior situantur. Totam itaque Saxoniam Albis fere mediam irrigat, neque longe a Cimbria super Albim Codanus ingens sinus magnis paruisque insulis refertus est. Deinde sinuatis ad occidentem ripis nobile Emporium Hainburgum alluit, hinc spaciosissimo amne Maris acris gremio excipitur e Regione insularum, quibus Saxonum cognomento est. Modo generalis loquendi consvetudo usque adeo invaluit, ut Daciae Transylvanicae Teutonici populi Saxones dicantur, vel quod e Saxonia huc fuerint translati. Nam ut ex Chronica Ung. observavimus, Bohemi, Poloni, Greci, Hispani, Hismahelite seu Saraceni, Bessi, Armeni, Saxones, Turingi, Mysnenses, Cumani et Latini tempore Regis Geyche et S. Stephani hoc regnum occuparunt; vel quod illorum Municipalibus utantur juribus, tum quod prorsus Saxonicos ritus imitantur, et vitam. Clau. maduerunt Saxone fuso orcades. Idem: quicquid Avus senior Mauro vel Saxone victus. Nos lib. ult. Char. 34. ver. 78.

Sargetia fluvius Daciae ad regiam Decebali quondam Dacorum Regis fluens, modo Hunyadinum Arcem aetheream alluit, haec invictissimum quondam Matthiam Corvinum Ungariae Regem edidit in lucem patulam, modo illustrissimi principis et Domini, Domini Georgii Marchionis Brandeburgensis etc. Sereniss. Regis Ludovici tutoris imperio regitur. Decebalus autem subter vada Sargetiae amnis, haud procul a Regia Thesauros suos ocultaverat, quos Trajanus Imperator victo Decebalo fataliter invenit. Lege Trajani vitam per Geor. Merul. ex

Dion. Grec. traductam. Nos lib. 4. Char. 27 ver. 12. Placuit subjicere Epitaphium hanc ob sortem ab Ulp. Trajano positum.

JOVI INVENTORI DITI PATRI. TERRAE
MATRI
DETECTIS DACIE THESAURIS.
CAESAR NERVA TRAJANVS
AVG.
SAC. P.

Sergiam Solinus ex veterum sententia Coteris horreum vocabat. Ea ultra Danubium est, in qua Sirmium nobile Oppidum ac promontorium electissimo vino insigne, vide Strab. lib. 7. Item Alba Grecanica arx et oppidum ultimi Ungarorum fines, nam Senderoniam Turcus occupavit, velut cetera ejus generis proh nefas! plurima. A Sergia fit Sergiacus a, um. vide lib. 4. Char. 2. ver. 12.

Sigismundus Ro. Imp. quis et qualis fuerit, vide Egnatium de Ro. princ. Ejus cadaver Varadini sepultum fuit. Unde nos allusimus lib. 5. Char. 55. ver. 56.

Siculia extremus Daciae Angulus Moldavis contiguus, ejus populi Siculi dicuntur. Nemo apud eos ignobilis est, etiam si manu aratrum versat aut caprario gregi praesit. Scytarum a quibus originem traxere moribus vivunt. Magistratus aut Judicatus officia sorte distribuunt. Non abs re super hiis dixit Ouid. in ponto. Nulla Getis tota gens est truculentior orbe. Reliqua Pius secundus Pont. Max. habunde tetigit. Nos lib. ult. Char. 34. ver. 76.

Soerinium Castellum ad Danubii ripam nostram situm ultima Pannonum possessio. Quicquid enim ultra est, Thurcae detinent. Sub eo fons visitur, quem accolae sanctae Crucis appellant, quod in eo salutiferi Vexilli pars a Chosroe abscondita fuisse credatur, dum cum Heraclio Caes. praeliaturus esset, per quem et ipse fusus et suae omnes copiae funditus deletae sunt. Extat

sacellum S. Crucis in ejus rei memoriam constructum. Adde lib. 4. Char. 27. ver. 15.

Stauromachia grecis Latinis Crucis pugna dici potest, nam illi Stauron crucem sublitiam, id est palum ligneum fixum ac erectum dicunt, hinc Staurotypus cruci similis, et Stauroo crucifigo, Staurotes crucifixor, carnifex, Lictor, vide lib. 2. Char. 14. ver. 99.

Strigon fluvius e montibus Cremniciis prorumpens, Danubium petit e regione arcis Strigoniensis, cui et nomen suum impartitus est. Aliis vero placet, Histrogranum dici, verum usus communis Strigonium obtinuit, loquendum ut multi, ut pauci sentiendum, Varro censuit. De fluvio lege lib. 2. Char. 11. ver. 12. Arcem et divi Alberti templum strictim attigimus lib. 1. Char. 4. ver. 78.

De litera T.

Themeson Castellum munitissimum ad pannoniae oras Valachiam seu tu mavis inferiorem ad Moesiam situm, quod Georgius Zeglius obsederat, vide lib. 4. Char. 27. ver. 19.

Thurcas Mela gentes esse tradidit Thissagetis, Amazonibusque colimitaneas, vastas occupantes silvas et qui alantur venando. Adde Plin. lib. 6. cap. 7. Nostris et majorum nostrorum temporibus tanta Thurcas potentia comitatur, ut ultra Asiam et Aphricam magna etiam Europae pars illis Crucis Christi sanguinariis canibus censum pendat, sed forsan nostra crimina, aut eorum, apud quos rerum summa est, dissidia, fastus et ambitio nos in servitutem trahunt. Pellege Eneam Sylvium, et post eum Jo. Egnatium nostrum lib. 2. cap. ult. cui titulum fecit de origine Thurcarum, ubi pluribus. Nos lib. 4. Char. 22. ver. 38.

Tibiscus Carpathiis ex montibus oritur, sinuoso admodum alveo per campos Ungaricos usque adeo lente serpit, ut stagnare potius quam fluere videatur, hic maximopere piscosus est, R,

Domini mei Domini Francisci Wardae Nativum Castellum Wardam praeterlabitur, tandum prope Titillium Danubio imergitur receptis Transylvanis amnibus, vide lib. 2. Char. 14. ver. 23.

De litera V.

Valachia vulgo, Latinis Vlaccia dicitur, provintia Pannoniae Cisdanubinae contermina in pontum usque descendens cum Danubio, veteres inferiorem Moesiam dixere, vide superius loco suo. Inde Vlacci Vlacciae populi, quos vulgus Valachos appellat. Vlacci autem (ut in literas retulit Aeneas Syl.) ab Vlacco eorum duce, qui eos primus ex Italicis montibus in Moesiam deduxit, cognominari ceperunt, hii sunt scismatici, utpote (velut ipsi dicunt) Beati Pauli Apostoli fidem consectantes, vide lib. ult. Char. 34. ver. 82.

Ubii, Caesare et Plin. lib. 4. cap. 17. Germaniae populi transrhenani, quos nostra aetas Colonienses a Metropoli eorum denominat, vide lib. 4. Char. 22. ver. 34.

Vienna Pannoniae superioris quondam, nunc Archiducatus Austriae celeberrima Civitas notior quam ut a me debeat describi. Hanc Jo. Panno. Argutam vocat, quod illius Gymnasio Dialecticorum argutiae plus quam peculiariter praescribantur scholasticis, ait enim in Paneg. ad Guari. Germani argutam pro te liquere Viennam. Nos consimiliter lib. 3. Char. 19. ver. 52. Est et alia Vienna in francorum Delphinatu extra Celtas Belgas et Aquitanos, quam fl. Rhodanus alluit. Vide Caes. commentarios, et post eum Plin. lib. 2. cap. 49. et lib. 3. cap. 4.

Visula Vistula seu ut recentioribus placet Istula flu. Sarmatiam alteram ab Regno Poloniae separans. Eam veteres Germaniae terminum posuere, Neoterici Oderam, ut ibidem diximus, Ille Cracoviam Principis Poloniae Regiam praeterfluit, deinde irrigata Prussia mare Germani-

cum influit Dantisci moenia Legunto lib. 3. Char. 20. ver. 64.

Ungari qui sint vide supra in dictione Hunni.

De litera Z.

Zalatna Transylvaniae oppidum temporibus Trajani Imperatoris conditum olim Aurifodinis insigne. Extant aliquot elegantissima Epitaphia eo loci reperta, quorum uno saltim Lectori Antiquitatis observanti plurimum gratificabor.

D M.
M. AUREL. ANTONINI. MIL. LEG. XIII. GEM.
VIXIT ANN. XXII. MENS. XI.
DIEBUS. II. MILITAVIT ANN. V.
LIBRAR. AUREL. MARCIANUS ET
VAL. VALENTINA.
FILIO PIENTIS
SIMO.

Zamozus pe. long. flu. Daciae non longe a Chrysa in jugis Dacicis ad Moldaviam vergentibus. In primis orientem versus effluit, tandem Gyalu arcem Episcopalem perfluit, tendit ad Austrum et civitatis Colosbaria pomeria radit, rursus ad ortum vertitur, et cursu ad Arcton curuato jam navigabilis (utpote quod Salaria Regis naves ratibus oneratas quotannis evehat) vulgus Zamos. eum appellat, non longe a Bistricio territorio per vallem emissus abducitur in Ungariam Tibisco praecipitandus. Adde libro ult. Char. 35. ver. 22. Est Samos seu Same Insula, vide Strab. lib. 10 post princ.

Zarmiz urbs ingens et quondam Decebali Dacorum Regis sede clara, tandem ipso devicto Colonia Ulpia Trajana Augusta Dacica fuit, modo Varhel ab Accolis dicitur, hoc est locus castri. Id primum Joannes ille Mezerzius Archidyaconus Colosiensis, et olim Cano. Ecclesiae Albensis Transylvanicae, vir sane multi nominis, multarumque literarum peritus, et qui ad exquisitam eruditionem praesertim antiquam (quam

non perinde multi assequuntur) pervenerit, dum annis superioribus, velut ipsi erat ardens antiquitatum animus, urbis antiquae praedictae ruinas rimaretur, animadvertit, quod ex infra adjectis Epigrammatariis inscriptionibus luce meridiana constat clarius.

DIVO SEVERO PIO.
COLONIA ULPIA TRAJANA.
AUG.
DACIC. ZARMIS.

Alterum iterum Epigramma perinde disertum atque festivum.

I. O. M.
ROMULO PARENTI. MARTI AUXILIATORI
FOELICIBUS AVSPICIIS CAESARIS.
DIVI NERVAE TRAJANI.
AUGUSTI CONDITA
COLONIA.
DACICA ZARMIZ.
PER
M. SCAURIANUM
EJUS. PROPR.

Adde Stauromachiae nostrae lib. 4. Char. 23. ver. 94.

Zeclius pronomine Geor. Cruciferorum asciticius Dux. Zeclius autem ab Ungaro sermone derivatum, et a nobis mollitum agnomen. Nam illi Zeckell eos omnes agnominant, qui ex Siculia oriundi sunt. Geor. ergo Zeclius non ignobili Siculorum genere natus magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque fuit. Huic a puero Bella intestina, cedes, rapinae, discordia patriae gratissima fuere, animus audax, subdolus, varius, cujuslibet rei simulator, alieni appetens, sui profusus; satis eloquentiae, parum sapientiae illi fuit, vide lib. 1. Char. 7. a fronte. Item orationem ejus primam ad plebem habitam in fronte charte sequentis. Altera ad plebem persvasoria contio lib. 2 Char. 12. ver. 83. per duo integra folia expatiatur. Caetera ejus

facta et dicta in sequentibus tribus libris passim invenies. Hoc unum expertus adjiciam: Non lac lacti tam simile esse, quam Georg. Zeglius Lucio Catilinae. Qui historiam hujus apud Crispum Salustium emendatissimum simul et Candidissimum Romanorum gestorum scriptorem viderit, et gesta illius nostra ex Stauromachia collegerit, facile in sententiam nostram pedibus ibit.

Zegedinum Pannoniae Inferioris Oppidum, in quo Emporium Regalium Salium celebratur. Hic Marisus Tibiscum influit, unde et piscibus habundant Zegedinenses.

Impressum Viennae Pannoniae
per Joannem Singrenium.

Stephanus Taurinus Olomucen. etc.
Optimae Literariae Juventuti. S. D.

Eccum Stauromachiae nostrae Judicem oppido copiosum suis cum adnotationibus ad umbilicum (ut aiunt) perductum, quo terras et terrarum partes, varios mortalium ritus, oppida, urbes, castella, montes, insulas, flumina, Silvas Aequora, portus et Illustrium virorum nomina ita nominatim perstrinximus, ut rerum summas, et ex hiis Illustriora queque primoribus labellis praegustatorum more libaremus. Ad minutula enim quaedam scientes ac prudentes sepiuscule ex composito connivisse placuit, ne tedioso Lectori biliosam moveremus nauseam. Praesertim cum instituti nostri fuerit, non omnia operis hujus vocabula speciatim interpraetari, idque tam supervacaneum, quam operosum fore persvasus eram, dum istis seculis tot fere Dictionaria in promptu sint, quot dictiones. Huc pertinet, quod paucissimis admodum diebus, Saturnalibus inquam vel stultorum feriis, in quibus (ut fit) justicium edixeram, clamosi fori a

strepitu hos comentariolos raptim congessi. Hoc unum bonarum literarum candidatos admonuisse velim, se plurimum bone frugis ex hiis nostris (quantaequantae sint) lucubraciunculis percepturos esse, quibus Illyriam omnem. Item cum Boemia Moraviam nativos penates nostros. Denique utramque Pannoniam, totidemque Moesias, postremo Transilvaniam ipsam, colimitaneis cum provinciis majori ex parte a nobis tum peragratis, tum collustratis oculato testimonio perinde diligenter atque fideliter sed strictim (ut prefati sumus) descripsimus. Spectavimus summam, ne hac in re sumptus (quod Varro ait) fructum superaret. Tu mi optime Anagnostes hoc nostrum in te officium gratuito collocatum non ingratis suscipito, pellegito. Valeto. Aedibus nostris. Albae Juliae pridie Nonarum Martii, anno gratiae M.D.XIX.

Errores typi notabiliores.

I., In chronico rithmico.

Pg.	Lin.	Loco.	Lege.
4	14.	*O* Deus per Te.	Nam Deus.
5	29.	Subsequitur *honor*is.	horroris.
7	27.	Actis ita*que*.	Actis ita.
8	22.	Dic*ti* de Verona.	Dicto.
9	31.	f*eris* visibus.	ferox.
11	16.	pagnatur.	pugnatur.
12	18.	destis*u*it.	destituit.
—	19.	cons*umens*.	construens.
13	19.	Atque Alexandriam	Atque per Alexandriam.
14	21.	ultion*is*	ultiones.
15	12. et 22.	*Chrym*hildis.	Crimhyldis.
16	36.	*De* caeteris sublimus (sic)	Prae caeteris.
18	25.	Illius *e*um	Illius cum.
19	14.	Timor incur*rit*	incurvat.
—	15.	*Gen*tes horroris	Mentes.
20	30.	Bu*bol*cho	Bubulcho.
25	6.	*ceciderunt*	corruerunt.
26	12.	pros*t*avit	prostravit.
—	15.	mor*tes*	mortis.
—	26.	Bub*o*lcho	Bubulcho.
28	2.	Lu*ta*ringiam	Lutringiam.
	12.	Gen*s*erius	Gens ejus.
29	4.	censualis *hic*	censualis sic.
30	18.	*T*oppan	Toppan.
31	28.	subaravit	subarravit.
33	24.	namisma	numisma.

Pg.	Lin.	Loco.	Lege.
36	3.	*quod* Huni	quomodo Huni.
—	12.	Vi*ta* privavit	Visu privavit.
39	3	redditur *Germanis*	redditur inanis.
—	10.	assumit *grex*	assumit rex. Ita Cod. sed legi debet, assumit gens.
42	34.	*seniciae* saevitia	saevitiae saevitia.
—	35.	ad*ver*tabat	adventabat.
43	18.	trib*uit*	tribuens.
44	22.	fronduit fronde	fronduit e fronde.
46	13.	excoceavit	excoecavit.
—	30.	Fut nam	Fuit nam.
47	5.	Bohemiaeque ducem	Bohemiae sed ducem.*
49	29.	ad preces iverat	ad partes.
50	19.	Ladislaus et bello	Lad. in bello.
51	1.	Rex et cum	Dux et cum.
—	11.	Solo vernis	Sic in Cod. Sed legi deberet: Holofernis.

II. In Regestro de Thuroch.

Pg.	§pho.	Lin.	Loco.	Lege.
57	—	3.	Dalmatiae etc.	Dalmatiae Croatiae etc.
58	—	4.	apportatae	apportata
—	—	7.	revisae	revisa.
60	—	5.	festo	festi.
61	—	7.	filius	filiis.
64	VIII.	5.	Mathia	Mastia.
—	—	10.	plures	plura.
66	XI.	16.	filius de Wendegh	filius Pauli de Wendegh.
69	XVI.	25.	traditione Prebouch	traditione cujusdam particulae possessionariae possessioni Prebouch.
—	—	27.	Benedictum filium Abraham	Benedictum filium Andreae, Paulum filium Abraham.
72	XXI.	13.	anno Domini MCCCL	anno Domini MCCCLV.
74	XXIII.	18.	per praenominatum filium Johannem	per praenominatum Johannem.
—	—	29.	Judicem regiae	Judicem Curiae regiae.
—	—	—	§. XXVI.	§. XXIV.
74	XXIV.	1.	Blasius, Jacobus	Blasius, filii Blasii, Jacobus.
75	XXV.	14.	olim Ladislai	olim Domini Ladislai.

Pg.	§pho.	Lin.	Loco	Lege.
76	XXV.	14.	§. XXXVI.	§. XXVI.
78	XXIX.	7.	filii Egidii	filio Egidii.
84	XL.	9.	emnatum	eanatum.
92	LII.	7.	Andream filium Pauli Benedictum et Jacobum filios ejusdem Andreae	Andream filium Pauli praedicti, Nicolaum et Petrum filios ejusdem Andreae.
98	LXI.	10.	an. Dom. MCCLXXX. privilegaliter emanatam	an. Dom. MCCLXXX. regni autem sui anno octavo privilegialiter etc.
—	LXII.	1 et 2.	Michaelis et Ladislaus filius	Michaelis Nicolaus et Ladislaus filii.
—	—	5.	ejusdem terrae	cujusdam terrae.
101	LXV.	12.	anno Domini MCCXLI.	anno Domini MCCXCI.

Lectiones variantes Regestri de Thuroch collati cum Transumto authentico Musei Hungarici.

Pg.	§pho.	Lin.	
57	—	4.	Loco *Marchionis* lege *Marchionisque.*
58	—	12.	Loco *Praelatorum suorum, et Baronum*, lege *Praelatorum, et Baronum suorum.*
—	—	16.	Loco *praedicti*, lege *dicti.*
59	—	5.	Loco *venum dare* lege *occupare.*
—	—	11.	Post vocem *Archangeli* desideratur *anno Dom. MCCCXC.* (Male. Rectius MCCCXCI.)
—	I.	—	Post Titulum. *Super Possessione Ochklehotaja* deest (Bella) Nota. Haec, quae parenthesibus inclusa sunt, titulis adjecta videntur a seriori manu, et ita in Transumtum irrepsisse.
—	—	3.	Loco *Bubek* lege *Bebek.*
—	—	8.	Loco *Ochklehotaja* lege *Ochk-Lehotaja.*
—	—	9.	Loco *Bubek* lege *Bebek.*
—	—	14.	Loco *cum omnibus suis utilitatibus*, lege *cum suis omnibus utilitatibus.*
—	—	18.	Loco *Bubek* lege *Bebek.*
60	—	2.	Loco *Ochklehotaja* lege *Ochk-Lehotaja.*
—	—	10.	Post vocem *statutione* exmissum est *praedictae.*
—	—	11.	Loco *Ochklehotaja* lege *Ochk-Lehotaja.*

Pg.	§pho.	Lin.
60	I.	14. Loco *exaratas* lege *exortus*.
—	—	— Loco *vere* lege *veras*.
—	II.	3. Post vocem *Belae* deest vox *olim*.
—	—	— Post vocem *Regis* deest vox *Hungariae*.
61	III.	4. Loco *cujusdam* lege *ejusdem*.
61	IV.	— Post Titulum: *Super possèssione Uyfallu* deest *(Karolyfalva.)*
62	VI.	— Post Titulum : Super terra *Othmar* conditionali deest *(Bodófalva.)*
—	—	6. Loco *Banana* lege Burena.
—	—	13. Loco *tenerentur* lege teneantur.
63	VII.	— Post Titulum. *Super eadem terra conditionali alio nomine Sernowichu*, deest *(Wachvtfalva).*
—	VII.	4. Post vocem *nobis*, deest vox *quasdam*.
—	—	23. Loco *Nedelich*, lege *Nedelith*.
—	—	35. Loco *Nedelich*, lege *Nedelith*.
64	—	5. Loco *praeattactas* lege *praetactas*.
—	VIII.	— Post Titulum *Super Jordan conditionali*, deest *(Kis Jeszen.)*
65	—	2. Loco *Bogomel* lege *Bohomel*.
—	—	4. Loco *Wichk* lege *Withk*.
—	—	5. Loco *Dwink* lege *Duink*.
—	—	8. Loco restitutione, lege resignatione, item loco *dictae*, lege *praedictae*.
—	—	19. Post vocem *Literarum*, exmissa est vox *ipsius*.
—	—	24. Post vocem *vocatae*, deest vox *ambas*, item post vocem *sensu* deest vox *et forma*.
—	XI.	6. Loco *Merchon* lege *Merthen*.
66	V.	19. Loco *Michk* lege *Mich*.
—	—	22. Loco *Zaturcha* lege *Zathurcha*.
67	XII.	8. Loco *ejusdem* lege *ejus*.
70	XVII.	— Post Titulum. Super *Zarnotcha* exmissum est *(Jezernitza.)*
—	—	13. Loco *Gyelethe*, lege *Gyelethi*.
—	XVIII.	— Pro Titulo *Abertfulde* lege *Albert Fulde*.
71	XIX.	4. Loco *acquisititia*, lege *acquisita*.
72	XXI.	19. Loco *Hotimero* lege *Hosimero*.
73	XXII.	— Post Titulum super *Dankfelde* deest *(Tomcsén.)*
—	—	1. Loco *Bobonok* lege *Bokonok*.
—	—	3. Loco *Thuroch* lege *Thuruch*.
—	—	5. Loco Penech lege *Benech*.
—	—	8. Loco *Buda* lege *Bada* loco *Gyuge* lege *Gywge*.

Pag.	§pho.	Lin.	
73	XVII.	19.	Loco *Thuroch* deberet legi *Thuruch.*
—	—	25.	Loco *fuise* lege *extitisse.*
74	XXIII.	14.	Post vocem Literas deest vox dicti.
—	—	17.	Loco *Thuroch* lege *Thuruch.*
—	—	18.	Loco *Bistrice* lege *Biztrice.*
—	XXIV.	—	Pro Titulo super *Vydafelde* lege super *Videfelde.*
75	XXIV.	11.	Post vocem *Regis* deest vox *privilegiales.*
—	XXV.	9.	Loco *Petew* lege *Petrum.*
—	—	13.	Loco *series* lege *serie.*
76	—	8.	Loco *Thuroch* lege *Thuruch.*
—	—	22.	Loco *Thuroch* lege *Thuruch.*
—	—	2.	Loco *filius* lege *filii.*
77	XXV.	1.	Loco *Eenuk* lege *Csernek.*
—	XXVII.	8.	Loco *Thuroch* lege *Thuruch.*
—	—	17.	Loco *ac* lege *et.*
77	—	19.	Loco *S. Mathei* lege *b. Mathei.*
78	XXIX.	21.	Loco *Thuroch* lege *Thuruch.*
79	XXX.	14.	Loco *asserens* lege *asserentes.*
80	XXXIII.	15.	Loco *Sklabonia*, lege *Sklabina.*
—	—	22.	Loco *Sklabonia* lege *Sklabina.*
81	XXXV.	8.	Loco *Boda* lege *Buda.*
82	XXXVI.	2.	Exmitti deberet vocabulum *videlicet.*
—	XXXVII.	2.	Loco *Gaczelfalva* lege *Gacelfalva.*
—	—	16.	Post vocem *Conventus* deest de *Thuruch.*
83	XXXVIII.	12.	Loco *Zakfalva* lege *Zorkfalva.*
84	XXXIX.	5.	Loco *Jezernicha* lege *Jezerniche.*
—	—	7.	Loco *terram* lege *terrae.*
—	—	8.	Loco *continentis* lege *continente.*
—	XL.	7.	Loco *factae* lege *factas.*
—	—	9.	Loco *anno* 10 lege *anno* 11.
85	—	3.	Loco *obligamine* lege *obligatione.*
—	XLII.	7.	Loco *venditione* lege *vendicatione.* (Male in Transsumto.)
—	—	8.	Loco *venditionem* lege *vendicationem.* (Male)
—	—	10.	Loco *Oppuliae* lege *Opuliae.*
87	XLIII.	12.	post vocem *emanatam* deest vox *patenter.*
—	—	13.	Loco *Reginalium* lege *Regalium.*
88.	XLV.	5.	Loco *Nanczalo* lege *Nanzalo.* item loco *ejus* debet legi *ejusdem.*
92	LI.	9.	Loco *principio* lege *primario.*
—	LII.	3.	Post vocem *Praepositi* deest *Ecclesiae* et loco *Chasmensis* lege *Chasnensis.*
93	LIII.	1.	Loco *Michk* lege *Mich.*

Pag.	§pho.	Lin.	
93	LIII.	24.	Loco *annexus* legi *annexe*. (Male in Transsumto. Nota Ed.)
96	LVIII.	12.	Post vocem *Octavis* deest vox *festi*.
97	LIX.	6.	Loco *Agnis* lege *Agnetis*.
98	LXI.	7.	Loco *Nicolao* lege *Nicolaum*. (Male)
99	—	18.	Loco *ejus* lege *ejusdem*.
101	LXV.	5.	Loco *tenorem* lege *tenoremque*.
103	LXIX.	6.	Loco *duorum* lege *Dwor*.
103	—	—	*Post*: *Conclusiuncula etiam Linearum 12 penitus obliterata* desunt sequentia; Annus porro ex alio Documento in Originali per Dominos Zaturchenses occasione certae Vidimationis specificatus exponitur. MCCCXCI.

III. In Stephani Taurini Stauromachia.

Pg.	Lin.	Loco.	Lege.
113	14.	ge*ne*roso	groso (quod etiam legi posset gratioso.)
115	24.	negotiis praecordia	negotiis instar Hydrae subpullulantibus praecordia.
116	15.	limi*ne*	limite.
117	17.	Moranio*n*o	Moraniano.
119	1.	nefan*d*	nefandi.
121	4.	mortales qui talia	mortales fieri qui talia.
—	24.	*S*ydorum	Lydorum.
122	3.	ambiguo somno	ambiguo et somno.
125	8.	erectus	exectus.
—	22.	vit*alis*	vitreus.
—	33.	ter*r*a	terna.
131	3.	*vid*issent	tulissent.
134	13.	Cyperus	Cyprus.
140	5.	diff*e*ndere	diffundere.
—	8.	ros*c*ique	roseique.
—	9.	ro*t*antia	rorantia.
—	32.	quo fi*u*nt	quo fiant.
142	21.	*com*mittere chartis	promittere.
144	12.	*m*odis	nodis.
—	25.	Noricus contra	Noricus et contra.
146	4.	Terga*t* daba*n* *m*odi	Terga dabant nodi.
148	27.	humiq*ue*	humine.
153	18.	Crastina*s*	Crastina.
158	25.	vix t*u*tae	tectae.
159	12.	arcus oppleta	arcus geticis oppleta.
162	9.	unco hic	hic unco.

Pg.	Lin.	Loco.	
171	6.	literalae	literulae.
172	9.	Pro	Proh!
175	15.	duxit	ducit.
176	8.	Opobalsamae	Obobalsama.
177	19.	Ennogiscus	Ennogiseus.
183	24.	Illa agilis	agiles.

IV. In libro rationario anni 1526.

Pg.	Lin.	Loco.	Lege.
191	28.	fl. 15.	fl. 12.
196	22.	den. 5.	den. 25.
203	17.	servitorum	servitiorum.
205	34.	confitactis	contractis.
208	28.	Mag.	Magn. (Magnifico.)
216	—	Nota a. delenda est.	
231	28.	Gregorio	Georgio.

V. In Bojthinio.

Pg.	Lin.	Loco.	Lege.
237	1.	Böjthini	Bojthini.
239	1.	— — —	— — —
242	21.	militium	militum.
250	7.	tumentum	tumentem.
260	34.	ideoneis	idoneis.

Reliqua levia facile lector corriget.

Censura Aulica liberaliter admisit, ut duo loca Bojthinii pag. 248 et 307 mance typis impressa bibliophilorum gratia integra retinere queam. Bojthinius quidem utroque loco immoderate scripsit; sed cum Bojthinium talem exhibere opporteat, qualis est; nec insulsa quidem haec verba reticere et supprimere voluimus, verum eadem hic subjungimus.

Itaque pag. 248 lin. 31 textus originalis ita habet: dictatorem, sed hominem sacrificum devotionibus superstitiosis et levibus Italorum consvetudinibus deditum, ac veluti ruituram sua mole columnam et male materiatum aedificium facile est dejicere; ita robustus latro otiosis contemplationibus vacantem sacerdotem etc.

Pag. 307 autem et lin. 10 post vocem *habuissent*, addit textus originalis: „Ferunt enim sacerdotem sacrificum equino hepati benedixisse, ut die Veneris in piscem transmutaretur, sed superstitioni eventum minime respondisse. Tum vero etc.

H S